J O Sargent


MONUMENTA
Paderbornenſia
ex historiâ
Romanâ, Francicâ, Saxonicâ
eruta, et novis
inscriptionibus, notis,
ac figuris illuſtrata.
editio altera, priori auctior.
AMSTELODAMI,
Apud Danielem Elſevirium.
MDCLXXII.
J. Vyſſcher ſculp

M. Tullius Cicero in epiſt. ad Cæſarem.

Sed ego, quæ monumenti ratio ſit, nomine ipſo admoneor
ad memoriam magis ſpectare debere poſteritatis,
quàm ad præſentis temporis gratiam.

MONUMENTA PADERBORNENSIA,

EX

HISTORIA ROMANA, FRANCICA, SAXONICA

eruta,

Et novis inſcriptionibus, figuris, tabulis geographicis & notis illuſtrata.

Accedunt CAROLI M. Capitulatio de partibus Saxoniæ, ex antiquiſſimo MS. Palatino Bibliothecæ Vaticanæ, & Panegyricus Paderbornenſis.

Editio altera priori auctior.



AMSTELODAMI,

Apud DANIELEM ELSEVIRIUM,

cIↄ Iↄc LXXII.

IN EFFIGIEM

Reverendiſſimi & Celſiſſimi Principis,

F E R D I N A N D I

Epiſcopi & Principis Paderbornenſis, Coadjutoris Monaſterienſis,
Comitis Pyrmontani, & Lib. Baronis de Furſtenberg,

Penicillo Theodori Caſpari Lib. Baronis de Furſtenberg, Canonici Moguntini & Spirenſis, fratris, affabrè depictam, & in æs inciſam.

Dum, FERNANDE, *Tibi nuper plausêre Quirites,*
Dictus Alexandri, dictus es Urbis amor.
Nunc etiam Imperii Paderæque mereris amorem,
Diceris & PATRIÆ, *quam regis, eſſe* PATER.
Et Cæſar, Scythico cùm ferveret Auſtria bello,
Te vidit trepidis addere rebus opem.
At populis, qui Te nunquam vidêre, videndus,
Et, quod quiſque Tibi debet, amandus eras.
Creta videre velit, quoties Tua dona recenſet,
Quo vultu, quâ ſint illa profuſa manu.
Repperit ars fraterna modum: Te pinxit, & orbis
Te fruitur. ſic Te, quem videt, orbis amet.

JACOBUS WALLIUS, S. J.



FERDINANDUS DEI GRATIA EPISCOPUS PADERBORNENSIS,
Coadjutor Monasterienſis, S.R.I. Princeps, Comes Pyrmontanus,
et Liber Baro de Furſtenberg.

Natus 21 Octob. An. 1626. electus Epiſc. Paderb. 20 April. Confirm. 30 Maij An. 1661. elect. Coadjut. Monaſt. 19 July An. 1667. Confirm. 30 Aprilis An. 1668.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/monumentapaderbo00furs

Reverendiſſimis, Illuſtribus, Generoſis, & Clariſſimis Diœceſis Paderbornenſis

ORDINIBUS,

COLLEGIO CATHEDRALI, NOBILITATI EQUESTRI, ET CIVITATIBUS,

S. P. D.

DANIEL ELSEVIRIUS Typographus.

PRæcipua omnino & pæne ſacroſancta ingeniorum exiſtimatio ab omni temporum memoria jam olim viguit, haſce præſertim inter nationes, quas elimatæ ob indolis morumque terſiorem ob cultu-

ram

ram miratrix fama in ore poſteritatis præ ceteris approbandas circumfert: quaſque, ceu normam & legem exactam, nobis oſtentat, cujus ad æmulationem humana vita perpulchrum ac laudabilem maximè componatur in modum. Adeò quidem, ut Græci veteres, quos potiſſimos artium bonarum vindices ac propagatores haud immeritò dixerim, & Græcorum poſt ſubſecuti exemplum Romani, dum ambitioſè plus ſatis ſibimet unis gloriam hanc omnem eunt adſertum, gentium reliquarum oppidò nihil, quod eam quidem ſub tempeſtatem orbe terrarum in univerſo opibus florebat ac potentiâ, aut laude ceteroquin bellica ſpectabatur, à Barbarorum numero, atque ab ignominioſi iſta nominis contumelia immune exemtumque ſiverint haberi. Non Perſas (ſeu Parthos malumus dixiſſe) armorum aſſultu toties totieſque concuſſa Græcia, tum ipſæ hoſtili manu inſeſſæ Atticæ Athenæ, non profligati deletique identidem Romani exercitus, Tigridiſque ac Euphra-

tæ

tæ limes populum adverſus rerum domitorem præſtitus fato quodam invictus & tantum non inacceſſus; non Indos, & quicquid gentium præter hoſce ſub exortu Solis atque occaſu minus aut cognitum aut intactum penitus jacebat, ſive id odorum aliove lætiore felicis ſoli proventu opimum, ſive affluens divitiarum copia ac facultatibus, ſemet vindicare quiverit ab inuſta ut temerè ſic arroganter hac tam inſigni nota. Quid verò de Majoribus noſtris effabor, eò probroſius ſuperbiuſque à moleſto ſubſeſſore paſſim exceptis, quod eruditionis & ſcientiæ vim omnem, ab animo mutuandam rectius, in ſolo membrorum robore, tractandiſque haud ignaviter armis, artium ceterarum plus nimio incurioſi, collocatam habebant? At verò tantum ſerenæ tempeſtatis, tantum repentini luminis huic ſæculo vix tandem nunc adfulget, poſt diſcuſſam deterſamque ſenſibus à noſtris ignorantiæ incumbentis annoſam ac fœdiſſimam iſtam caliginem, ut

ſi non hos ipſos, quos præ aliis commendabam modo, Græcos ac Romanos, politura mentis elegantiaque interdum adæquamus, propiusve ſaltem accedimus, iiſdem certè, quibus ob agreſtem inconditamque vitæ ac ſtudiorum illuviem deſpicatui, neque id ſine jure nonnullo, ducebamur ante, nunc à convitio probroque veteri tutos quodammodo noſmet, minus certè reprehenſioni obnoxios, præſtemus. De non paucis Germaniæ utriuſque præſtantiſſimis viris, popularibus noſtris, è plebe media in ſummum Graiæ ac Latinæ eruditionis culmen haud ita nuper mirificè & glorioſè eluctatis, ne quid præter ordinem hîc à me dicatur, operoſius enim, quàm loci hujuſce permittant anguſtiæ, dicendum foret, præeſt Vobis, Reverendiſſimi, Illuſtres, Generoſi, Clariſſimique Viri, & ut diuturnus præeſſe pergat, utque florentiſſimo vitæ decurſu Neſtoream ac Tithoniam excedat ætatem, Deum Opt. Max. omni votorum ardore ſupplex & ve-

venerabundus convenio: præeſt, inquam, is Vobis nunc Princeps, qui innumeras inter eminentiſſimaſque ac prægloriosiſſimas virtutes, tanto ingenii perſpicacis nitore, tantâ mentis candidæ atque urbanæ excultus venuſtate, tantâ artium ingenuarum cognitione, ſollertique prorſus ac induſtrio rerum longè plurimarum uſu & experientiâ inſtructus, adeò in oculis nemini non verſatur, ut omnem antiquitatis perpolitæ titulum publico conſenſu unus hac parte exhauſerit ac conſummarit: dignus nominibus heroum accenſeri priſcis, dignus fortunatiore illo floruiſſe ſæculo, prima inter Romanæ laudis decora, atque in iis numerari loco perquam ſpectabili; ni, præſentiſſima fatorum benignitate, ævo in univerſum huic noſtro, Vobis autem peculiariter obtigiſſet altæ dignationis ac faſtigii principalis ſingulare id ornamentum, per quod indubitatis evincatur argumentis, animum haudquaquam eſſe nobis

deſpondendum, poſſe quandoque confieri, ut in ſterili ac neglecto ſolo, ſi probè excolatur, fructus oriantur quàm emendatiſſimi, & cum nulla non felicium locorum ubertate comparandi. Ultro jamdudum agnoſcitis, puto, deſignari à me Reverendiſſimum juxta ac Celſiſſimum FERDINANDUM, inclytæ atque pervetuſtæ, nec nunc primitus Diœceſi Veſtræ multa cum laude imperitantis FURSTENBERGIÆ Gentis primarium & Famæ commendatiſſimum decus. Is cùm ad ſtabiliendam augendamque rem Veſtram immane quantum incrementi contulerit, vix quicquam tamen offertur in omni, qua pollet, excelſa animi hac ingentis dote conſpectius ſublimiuſque, quàm quod à Majoribus Veſtris præclarè jam olim geſta ſtudio indefeſſo it adſertum; temporiſque rubiginoſo dente eroſa penitus ac profundiori oblivionis abyſſo immerſa lucem in conſpicuam perpetuamque revocat dexterrime, ſi quæ ad gloriam nominis Veſtri propagandam

gandam & ſæculorum æternitati inſcribendam videntur factura. Quod uti liquidò ſatis apparet ex hoc Monumentorum Paderbornenſium libello, quem auctiorem luce publica nunc redonamus, ac Vobis in manum ſiſtimus, ſic argumentis multò plenioribus manifeſtum id ipſum aliquando fiet, ſi telam hiſtoricam, quam de Patriæ Antiquitatibus litteratiſſimi hujuſce Principis auſpicio luculentam atque operoſam inter homines eruditos ſunt qui moliantur, dabitur detexi: ut quantum ſalutaribus ejus conſiliis, atque inculpatis regnandi artibus Vos debetis, ob reſtitutam temporum ſecuritatem, ſolidoſque Pacis integratæ ſucceſſus, tantundem patrocinio ſcientiarum, Muſiſque ac lucubrationibus ejuſdem mirè concinnis debituri mox ſitis: quarum beneficio pervigili Majores Veſtri, formidanda illa Romanis armis nomina, tanquam poſtliminii jure, à diuturno ætatis interlapſæ ſitu, ac pædore iſto carcerario liberati tandem, & meritiſſimis reſtituti Famæ

præconiis in ora memoriamque hominum rurſus exſurgunt. Ne non aut Vos in antegenitis habeatis, quos æmulemini, aut defuturi ſint è poſteritate Vobis, qui Vos viciſſim æmulentur: tum Princeps ipſe ne non poſt ſe relinquat nobis exactè formatam omni ex parte ſui ipſius imaginem, per quam in diſcrimen controverſiamque vocetur olim jure, utrumne manu feliciore is geſſerit ſcripto poſt concelebranda ab aliis, an aliena geſta laudabilius idem concelebrarit partim, partim concelebrari ab hominibus rei tantæ idoneis commodùm accurarit. Cavendum enim unicè, ne arbitremur, latiſſimè patentem in illo ingenii hunc campum intra rei poëticæ hiſtoriæque aut litteraturæ politioris exiles terminos ac cancellos ſtrictiores coërceri: qua tamen orbita tam tenui vel ſola certiſſimam nominis immortalitatem acquiri palam eſt atque in comperto. Ac primo quidem, Antiſtitis rem ſacram Eccleſiamque ex officio curantis ſi plenas percenſemus partes, facilè

con-

conſtabit nobis, verſari eas præcipuè circa divini cultûs promovendam auctoritatem, ac convulſam temporum injuria diſciplinam eccleſiaſticam pro virili inſtaurandam: tum Deum circa per ſubmiſſas preces rebus humanis arctius conciliandum: adhæc in jejuniis ac ſupplicationibus indeſinenter iterandis: nec minus in demerenda ac ſublevanda conatu omni mortalium inopum egeſtate: in templis denique, noſocomiis, cœnobiis qua exædificandis de novo, qua reficiendis, ſi quæ collapſura præ ſenio videantur. Hæc pluſquam totum hominem unicè occupare quid ni poſſint? At quis muniis in hiſce cunctis religioſè adimplendis cogitationes in æterna ac cœleſtia ſemper obverſas contentius defigit, quàm Celſiſſimus FERDINANDUS? Quis Clerum ad ſaluberrima frugalitatis ac temperantiæ ſuæ inſtituta imitanda certiore provocat exemplo ac rapit? In re familiari quàm temperata, & quaſi ad æqualem libram trutinamque exacta omnia! Nihil illic

lic aut nimia lautitiarum exundans voragine, aut contrà ſordidè plus æquo perparcèque & præter Principis viri dignitatem, ſplendidam in primis ac magnificam, adminiſtratum. Hæc, inquam, omnibus abſoluta numeris rite præſtare, quàm arduum effectu, quàmque excellens eſt judicandum! Quotuſquiſque enim mortalium ex hiſce, qui prædicabiles ſunt maximè, vel minimam in partem gloriæ iſtius venit? At hercule quantò difficilioris eſt rei, ad rectè ordinandum præter hæc provinciæ totius ſtatum, & ad alias ex aliis leges promulgandas, per quas mores publicè privatimque, ac ratio vitæ civilis univerſa in melius conformentur, animo à ſomnis pernocte ſic avocari, atque in politicis curas perpetim contentas adeò & diſtrictas habere, ut Eccleſiæ fulciendæ provehendæque nil prorſus derogetur tamen! Quanti reputandum moliminis, dignitati, prærogativæ, exiſtimationi omnium ac ſingulorum civium ſic conſultum ire, propulſatis hinc inde factionibus,

nibus, ut ne quis gentium minorum ac plebeiæ conditionis è mortalibus exponatur ulli in propatulo injuriæ, nec clam per machinationes potentiorum & cuniculos circumveniatur ambitioſius aut ſubruatur: tum ne colluvie ac fæce vulgi, quod alibi contingit haud raro, inſultante irreverentius magiſtratui, opumve ſplendore ac natalium eminenti viro cuicumque, turbetur quid in publico, aut detrimenti vel minimum capiatur: providere inſuper, conſpiratis validè firmoque animorum nexu adſtrictis inter ſe civitatum ac Diœceſios univerſæ membris, ne quid Ordo Eccleſiaſticus ab Equeſtri, Equeſter ab Eccleſiaſtico, aut hic & ille ab reliquo cive per ſimultates clanculum ſubortas, aut acriora partis ſive hujus ſive illius ſtudia agitatus divellatur collidaturve: neve trinus hic Ordo plus uno corpore in bonum commune videatur contuliſſe, ſalvo nihilominus ac illibato ſingulis permanente, niſi ſicubi adaugendo fortaſſis privilegiorum vetuſto jure. Quanti

 eſt

eſt ad hæc, occaſionem rei novandæ quamcumque ſeditioſis præcidere ingeniis: annonæ arctioris difficultates expedire: nubem procellamque offenſiuncularum vel minimam amoliri ac cautè prævertendo diſſipare maturo occurſu, priuſquam ſeſe erumpat, ſi quæ foris ingruens dubiè ſolummodo ac ſubobſcurè minitetur è vicinia. Gratulatur Ordo Equeſter, aſſertum ſibi priſtinum ſplendorem, legeſque à Principe conditas, per quas opportunè caveatur, ne cui Nobilitatis antiquæ viro plebeiis immiſceri matrimoniis ſit integrum. Gratulatur idem is Equeſter Ordo, adoleſcentibus loco ſplendido prognatis impenſas munificè ſuppeditari, per quas omni diſciplina liberaliore non imbuantur hi ſolummodo primoribus, quod aiunt, labris, ſed verò ſaturentur largo eruditionis paſtu, ac interius affatim redundent. Nec ſufficiens retur, pro cetera, quam ſibi acquiſivit, gloria Princeps laudatiſſimus, optimum ſeſe æquiſſimumque tot populis

præ-

præſidere Rectorem, niſi animo verè paterno civium utilitati in futurum quoque patrocinetur; hoc providè inprimis, quantum in ſeſe, ac conſultè agendo, ut quam ſimillimos ſui Rectores, ceu lege agnationis hereditaria, proſerat, quibus de manu in manum rectè abs ſe conſtituta mox tradantur, ſuaque ævi in immenſum propagentur per poſteros beneficia: unde demum fiat, ut è vivorum poſt tollendus numero, meritis tamen ſuis ſempiternis ac benefactis, ceu præſens, numquam non ſit interfuturus. In vectigalium exactione publiciſque oneribus irrogandis minimum ſibi permittere, in amovendis temperandiſque plurimum. Aut ſi per duriora tempora, ac urgentes ærarii anguſtias, eo neceſſitatis quandoque eſt confugiendum, ut deflectat nonnihil à ſemet ipſo, nec moribus in totum ſuis obſequatur, dolere tum verò graviter, ac ſibi detractum putare, quicquid privatis civium ſingulorum facultatibus decreſcat, publico utcumque

 emo-

emolumento acceſſurum. Pari lenitate atque animi moderatione ſpectari ſupplicia circa ac pœnas: adeò quidem, ut vindicando in facinoroſos nec ſeveri plus nimio aut atrocis vel tantillum præ ſe ferre, nec contra remiſſiore præter juſtum indulgentiâ culpam foviſſe atque invitaſſe poſſit inſimulari. At quoties præmiis remuneranti luculentis benefacta accendenda ſunt, ac nutrienda virtus, iter planè diverſum contrariumque inſiſtendum ſibi idem proponit. Nihil tunc lentum aut cunctabundum; nihil non acre, concitatum, &, ſi fas ſic loqui, grandini ſpiſſæ profuſæque in illo ſimillimum agnoſcas. Victorias & triumphos, quos vicina bella ſpondere nonnumquam poterant ampliſſimos ſanè, rejicit faſtiditos, atque abs ſe excludit; nullis omnino horum admiſſis, niſi cruoris humani expertibus, nec cui rem veſtram objecturis umquam diſpendio: & quos promotæ Pacis certamen, ac Principum quâ confinium quâ longius remotorum expugnatus affectus

ctus domituſque miti illa & numquam non exporrecta obviaque officioſæ benignitatis illecebra, admodum frequentes ingeſſit ultrò. Sic ex publica benevolentia tropæum longe lateque ſplendidiſſimum, & ætatis omnem ſenectam laturum, in animis hominum, ceu vectigalibus ſibi pulcherrima hac militiæ togatæ opera & ſtipendiariis quodammodo factis, erexit conſtituitque, in quo ſerus utique ac ſuperſtes ſibi ipſi poſt mortem obitam triumphet. Qua re ſapienter planè ſollerterque cognita ac perſpecta Celſiſſimo Monaſterienſis Diœceſios Præſuli, ex compluribus haud longè quærendis viris ſummatibus, unum hunc præſertim dignum eſt arbitratus, quem ſibi ſucceſſorem cuperet decerni. Sed colligo me, jam plus æquo exſpatiatus, dum orationis panegyricæ, & quidem ingentis, diffuſum opus, quale tot tantiſque præſtringendis virtutibus vix ſuffecerit, tralatitia hac epiſtola comprehendi nequicquam ſpero. Otioſum quippe ac ſupervacaneum prorſus

videri poſſit, in iis apud vos laudibus commemorandis diu multumque hærere, quarum experimenta infinita, & tantum non quotidiana à Vobis oculatis teſtibus è proximo capiantur. Huc adde, quod non niſi rudi admodum ac tranſcurrente penicillo Patriæ hic & Litterarum communis Parens à me nunc delibatur, idque loco in primis alieno, ubi ipſummet ætherios illos hauſtus in perennaturis ſemper ingenii mirè felicis fœtibus altius ſpirantem contemplamini. Valete, Reverendiſſimi, Illuſtres, Generoſi, Clariſſimique Viri. Quod ſi ſatisfeci vobis in hiſce primitiis, plura id genus defæcatæ atque aureæ venæ monumenta exſpectetis è typographia noſtra par eſt.

Datum Amſteladami,
Anno CIↄ Iↄc LXXI.
a. d. VI. *Kal. Novembr.*

BERNARDUS ROTTENDORFFIUS MONASTERIENSIS Com. Palat. ac Med. Cæſ.

NEC NON

Reverendiſſimi ac Celſiſſimi Principis,

FERDINANDI

Epiſcopi Paderbornenſis, & Coadjutoris Monaſterienſis &c. Archiater

LECTORI SALUTEM.

PRodeunt denuo in lucem Monumenta Paderbornenſia, aucta lucubrationibus, expreſſa æneis ſingulorum figuris, ornata novo typorum veſtitu; Prodeunt, inquam, non alius cujuſquam ingenii meditamento & labore, quàm ipſius Ferdinandi Principis, ut jam non tam ipſa Monumenta elaborata à Principe, quàm in his ipſe Princeps multò pulchrius monumentum poſteritatis conſpiciatur, haud ſecus, quàm de C. Julio Cæſare dixit Cicero, Eum dum Pompeii ſtatuas reficeret, ſuas erigere. *De utroque pau-*

paucis te in veſtibulo libri convenire neceſſe habui. Compreſſit diu Princeps hunc præclarum ingenii ſui partum, atque ægrè admodum, quæ ſubmiſſa ejus de ſe æſtimatio, modeſtiaque fuit, in publicum proferri paſſus eſt: Adſtiti ego aſſiduus monitor, hortatorque, ut vinci ſe ſineret, ratus cui medico ſuo tot annos, inter cæteros Principes, valetudinis ſuæ curam commiſiſſet, hanc etiam non tam famæ ejus quàm gloriæ partem ad me pertinere. Accendebant me omnium, qui priora legerant, plauſus ac vota, cumprimiſque popularium noſtrorum deſideria, quorum guſtus cùm primi præli miſſu ferculoque non eſſet expletus, tum illa exemplarium paucitate, quæ prima ſtatim legentium fames abſumpſerat, minimè poſteritati conſultum cenſebant inter nos ſapientes viri. Reputabant nimirum illi ſecum, opus quidem mole non adeò magnum, ſed eleganti carminum inſcriptione, quâ veteres Poëtas exæquavit, antiquitatum cognitione, multiplici hiſtoriarum doctrinâ, & quod ſummum eſt, eruditis monumentorum lucubrationibus prorſus egregium, atque ab ipſa, ſi nobiſcum loqui poſſet, æternitate expetendum: Immortalitati enim nata ſunt, & ſatis commendavero, ſi illuſtria dixero, quia illuſtri Principis manu eruta, & novo quodam exquiſitoque commentarii genere ab eodem ſunt illuſtrata. Ac ne quid ad ſplendorem operis, aut jucundam poſteritatis memoriam deſiderari poſſit; ſingula monumenta ex inciſis in ære formis novâ quâdam amœnitate exhibentur, quò prius adſpectantium oculi, quàm legentium animi paſcantur, atque iis etiam, qui litterarum ſunt rudes, aut quibus noſtra hæc legere non vacat, ſuo, ut libet, uſu ſubſerviant. Tam digna hæc omnia poſteritate, quàm ſingulare patriæ, cui dicantur, ſunt decus

decus & ornamentum. Nam cùm omnis Saxonia, Germaniaque vetus, quantùm inter Rhenum, Viſurgim atque Albim porrigitur, quantumque ad maris uſque ſinus ſternitur, multis Romanorum Francorumque bellis ſit clara, & ubique ſua antiquitatum veſtigia oſtendat; tum nulla pars Saxoniæ monumentis illuſtrior, quàm diœceſis Paderbornenſis. Hic enim caſtellum Aliſonis, per initia belli, à Druſo Cæſare poſitum; hic caſtra Druſi, Germanici, & Tiberii Cæſarum; hic tribunal Vari conſulis, & tot hiberna militum; hic Luppiæ & Amiſiæ flumina, toties alterno Romanorum Germanorumque ſanguine decolorata; hic ſaltus Teutoburgienſis, Varianâ clade, cæſis legionibus, & amiſſis aquilis nobilitatus; hic ara Druſi, & cæſorum militum tumuli, circumque decurſiones equitum; hic Arminii caſtrum, tropæa victoriæ, & triumphantis bellatoris campus Martius, in eodem Teutonicorum montium tractu, ubi VVidikindus, alter horum Germanorum heros, caſtrum ſuum habuit, & hodiedum monumentum ſuum poſſidet. Huc à Rheno per humentia paludum ducti inſtratique pontes longi; hic Sicambri, Bructeri, Angrivarii, Marſi, Cheruſci, Catti cæteræque pugnaciſſimæ pro libertate gentes; hic, ut verbo complectar ſingula, belli Romani ſedes, ad Aliſonem, & Luppiæ fontes. Tot ſæculis & tot Cæſarum armis decertatum, nec tamen hæc regio inter Rhenum & Viſurgim, quam cæteri populi interioris Germaniæ ſuum propugnaculum habuêre, unquam ſubigi potuit. Primus Auguſtus Cæſar, ſuperato Rheni limite, in provinciæ formam redigere aggreſſus. Quo conſilio Druſus Cæſar, ut Florus luculentus eſt auctor, in tutelam provinciarum Lib.4.c.12. præſidia atque cuſtodias ubique diſpoſuit per Moſam,

d

ſam, per Albim, & Viſurgim: nam per Rheni quidem ripam quinquaginta ampliùs caſtella direxit. *Haud dubium quin exinde Luppiam atque Amiſiam iiſdem caſtellis atque oppidis præmunierint Romani, quorum memoriam intercidiſſe queſtus eſt Dio Caſſius. Idem multorum inde conſequentium Cæſarum labor fuit. Certè Trajanus Imperator, alter poſt Auguſtum Romanæ potentiæ ac majeſtatis inſtaurator*; urbes trans Rhenum in Germania reparavit; *quod teſtatur Eutropius. At nemo id opus ſumpſit contentiùs quàm Probus Cæſar: Is enim poſtquam imperium Romanum ad omnes cæli plagas armis compoſuiſſet, Germaniam hanc noſtram tanquam poſtremum victoriarum terminum, ut Vopiſcus memorat, eſt aggreſſus; primùm profligatis Germanis ultra* Nigrum fluvium & Albam (*Nicrum volunt, Viſurgim veriùs & Albim crediderim*) *exercitum traduxit.* Urbes deinde in ſolo barbarico poſuit, atque illic milites collocavit, agros & horrea, & domos & annonam Tranſrhenanis omnibus fecit, nec ceſſatum eſt unquam pugnari cum barbaris, dum ſubigerentur: ſed viſum eſt id non poſſe fieri, niſi limes Romanus extenderetur, & fieret Germania tota provincia. *Sed nec ille conatus proceſſit, quanquam ad gentem debilitandam ſedecim millia tyronum abducta, diſperſaque per provincias, novem Reges diverſorum populorum ad pedes Cæſaris proſtrati jacuerint, & quadringentis hominum millibus cæſis ſedecim millia armatorum oblata ſint. Inexhauſta interim & invicta ſtetit trans Rhenum hæc Germaniæ pars, neque à Diocletiano & Maximiano, neque à Conſtantino M., Juliano, Valentiniano, & tot inde Cæſarum exer-*

Lib. 56.

Lib. 8. in Trajan.

In Probo.

exercitibus importatis, vel hæc ſola regio inter Rhenum & Viſurgim, quam VVeſtphaliam nunc dicimus, in provinciæ formam ſe redigi paſſa eſt, orbe propè toto obſtupeſcente, qui in Romanorum poteſtatem & provinciarum deſcriptionem jam venerat. Donec verſis deinde armis, mutatoque fortunæ curſu, hi ipſi Germani inter Rhenum & Viſurgim, ſumpto Francorum nomine, tanquam libertatis ſigno, ſuperatoque Rheni limite, Galliam primùm Pharamundo, Clodione, & Meroveo Regibus, ac deinde cætera regna Francici juris & imperii facerent, ipſamque Germaniam reflexis per Rhenum armis ſubigerent, & Chriſtianam religionem primi in Saxoniam importarent.

Jam verò ex hac ipſa Francica & Saxonica hiſtoria quanta monumentorum copia & gloria ſe ex Paderbornenſi diœceſi objicit? ſi quantùm utrâque juriſdictione, ſacrâ & civili, ſe extendit, metiaris. Nam ex quo primùm Clotharii An. DLV. *& deinde Dagoberti & Clotharii patris An.* DCXXX. *Francorum Regum armis nobilitatus Viſurgis, tum Pipini Regis victoriâ adverſus Saxones, Rema ad confluentes VVarnæ & Viſurgis apud nos inclaruit, amiſſo tum ſimul Hildegario Colonienſium Archiepiſcopo, quæ non inde à Carolo M. Saxoniæ domitore monumenta ſacra & profana Paderborna exhibet? Intra fines complexumque hujus diœceſis celebre Eresburgum caſtrum, in eoque idolum Martis (quod Irminſulam dixere) ac genticæ ſuperſtitionis fanum à Carolo M. everſum. Hic Brunsberga, Driburgum, ipſum vetus Iburgum, Deſenberga, Schidroburgum, arces & munimenta Saxonum in editis montium jugis tanto Francorum ſanguine expugnata. Hic Thietmallum & Sindſeldius campus, duo loca, tropæis*

Turon. lib. 4. c. 10. Aìmoinus lib. 2. c. 27. l. 4. c. 18. Epit. Geſtorum Franc. c. 27. & 41. Sigebertus in Chron. ad An. 630.

 Ca-

Caroli præclara. In altero Saxones ad internecionem cæſi, Carolo aciem ducente: nam, ut Eginardus ſcripſit, omni bello Saxonico ipſe non ampliùs cum hoſte, quàm bis acie conflixit, ſemel juxta montem, qui Oſneggi dicitur, in loco Thietmelle nominato, & iterum apud Haſam fluvium, & hoc uno menſe, paucis tantùm interpoſitis diebus. *Res ſanè memorabilis, eodem propè loco, quo Arminius Romanos, Carolus Saxones cecidit, tanquam Germani non niſi à Germanis, & ſuperſtitio Saxonum non niſi à Chriſtiana religione debellari poſſent. Altero in loco poſtremus Saxonum Francorumque præliaris congreſſus fuit, poſt quem tandem quieti Saxones, VVeſtphali, Chriſtianæ religioni ſe permiſerunt. Ludam ad Ambram, Bocam ad Luppiam, Heriſtallum ad Viſurgim quid memorem, Caroli caſtris & hibernis loca celebrata, quando ipſa Paderborna circum Paderæ fontes novum omnium monumentorum ſe fontem nobis aperit? Oſtendant Saxones noſtri, ubi aut ſæpius Carolus M. caſtra collocarit, aut procerum Francorum Saxonumque conventus & populi comitia frequentiùs habuerit, aut legatos barbaræ gentis exterorumque Regum magnificentiùs audierit, aut ubi tot Saxones abjuratâ ſuperſtitione, fonteque baptiſmatis abluti Chriſto primùm nomen dederint. Hic celebris ille Caroli M. & Leonis III. Pontificis congreſſus; hic ſollemni ritu à Pontifice Romano, quod inauditum erat inter barbaros, templa, aræ, & loca Sacrorum conſecrata. Ut vel inde Carolus M. Paderbornæ ſedem Epiſcopalem inter primas, non tam ad Paderæ Luppiæque ortus, quàm ad primum religionis Chriſtianæ fontem fundarit. Scio primam quidem Epiſcopi ſedem Oſnabrugo dari; ſed primam*

mam

mam in comitiis imperii ſedem inter occidentalium Saxonum Epiſcopos, cùm ex Metropoli Moguntina, tum ex antiquitatis ſuæ origine Paderbornæ vendicari. Nec reperio in his Saxoniæ oris vetuſtius Chriſtianæ religionis domicilium, quàm Eresburgum. Ibi ſubverſo idolo Martis & fano, de ſuperſtitione gentis primùm triumphatum. Ibi & primum veræ religionis fundamentum & ſeminarium Chriſtianorum Sacerdotum, religioſorumque virorum à Carolo M. eſt poſitum, eò opportuniùs, quòd jam Thuringia, & vicina Haſſia Chriſti fidem ex Francorum dominatu, & D. Bonifacii cultura admiſerant. Eresburgo Paderbornam, Paderbornâ Heriſtallum, & Heriſtallo iterum Paderbornam, primùm Chriſti religio cum ſacerdotum collegiis eſt traducta. Inde, poſtquam à Carolo M. celebrata cultaque Paderborna fuit, cæteri quoque Imperatores, Ludovicus Pius, ejuſque filius Ludovicus Germaniæ Rex, Otto M. S. Henricus, Conradus Salicus, Henricus Niger, Fridericus Ænobarbus, Otto IV, Carolus IV, capti non tam amœnitate quàm veneratione loci, Paderbornæ aut hoſpitia, aut domicilia ſibi delegerunt. Ex his locum nullus Cæſarum frequentiùs ſanctiùſque habuit, quàm Divus Henricus, qui D. Cunigundam conjugem à VVilligiſo Moguntinorum Archiepiſcopo Paderbornæ Reginam coronari voluit. Urbs, ſi quantùm naturâ loci & fontibus, tantùm arte & opibus exculta eſſet, urbium prodigium ſpectaretur. Ac nihil jam attinet naturæ opera, & fontium miracula memorare. Quo in genere nihil Germania, nedum Saxonia admirabilius proferet. Padera intra urbem centum fontibus proſilit, alibi ex profunda terræ voragine, alibi ex ſcaturientibus venis ſuis, ac tantâ aquarum vi, ut mox intra

mœnia tot molas verſet, tantumque frumenti commolat, quantum amplæ urbis incolis, viciniſque ad panem, uſumque vitæ humanæ ſatis eſt. Verſâ aquarum indole, fontes æſtate frigidi, hyeme calidi, ſemper cryſtallo lucidiores. Luppia ex vaſto gurgite effuſus ſub ipſo Lipſpringæ oppido haud minori aquarum impetu fertur. Amiſia in medio Sendæ ericeto ex vaſtis terræ hiatibus prorumpens, varios deinde amnes trahit, donec juſto medioque flumine navigabilis in mare ſe evolvat. Nec aliunde horum fluminum origines, quæ haud magno intervallo à ſe naſcuntur, quàm ex Teutonicis montibus per ſubterraneos petroſoſque meatus, quos natura immortalium canalium inſtar diverſo exitu ſubſtruxit, multò admirabiliùs, quàm Romana ingenia aquæductus ſuos. Eò in ipſis montium jugis decurrentes rivi alibi ſe condunt, terraſque ſubeunt, ut alibi in hæc tria flumina emergant. Sanè, quod Plinius in Lyco Aſiæ flumine, Eraſino Argolicæ, Tigri Meſopotamiæ admiratus, id uno naturæ prodigio ſpectatur apud Paderbornenſes. Par naturæ beneficium acidulæ, quarum celebriores Pyrmontanæ, Driburgenſes, & Smechtanæ. Ac tametſi Tabernæmontanus, præſtans ſuâ ætate medicus, ſcripto de his libro, magnoque bono, judicium ſuum reliquerit; meum tamen Princeps, ut omnis hujus ſcriptionis, interponi hic voluit, ne quid temerè poſteritati conſignaret. Hæc ſunt, mi Lector, monumenta provinciæ, miracula naturæ, immortalitatis decora, quæ Princeps ex rerum obſcuritate, temporum vetuſtate, & ſcriptorum diſſenſione, luci ac ſplendori reddidit, tam præclarè meritus de ſua diœceſi, quàm hæc ad poſteritatis memoriam, ad excitandos legentium animos, ad loci hujus celeberrimi fundatiſſimique gloriam faciunt.

ciunt. Nihil inter mortalia opera immortale, non inſcripta notis marmora, non inciſa metallo ſigna, non grandibus ſaxis ſtructæ moles.

Tempus edax rerum, tuque invidioſa vetuſtas,
Omnia deſtruitis, vitiataque dentibus ævi
Paulatim lentâ conſumitis omnia morte.

Ovid. in Metamorph. lib. 15.

Ubi nunc Ægyptiæ Pyramides, ubi Mauſoleum Cariæ Regis, ubi magnificentiſſimum illud Salomonis templum? Dudum hæc quoque admiranda divini operis fabrica è memoria hominum abiiſſet, niſi ſacrarum literarum monumenta nobis ſervaſſent. Oſtende mihi Romanorum obeliſcos, arcus triumphales, amphitheatra, ac regia illa Cæſarum palatia. Trajani forum Theodoricus Italiæ Rex nunquam ſine novo miraculo ſatis aſpici poſſe faſſus eſt: Capitolia conſcendere, haud aliud eſſe, quàm omnia humana ingenia ſuperaſſe. Et quota nunc pars eorum operum ſupereſt, quæ tam ambitioſo luxu auſuque ſtruxit Romana magnificentia? Omnia propè vetuſtate aut Gothicâ barbarie in rudera conſederunt. Et tamen hæc omnia immortalitati conſecrata erant, quæ ne centum quidem facibus modò perſcruteris. Tantum vitæ & ſpiritûs retinent, quantum ſcriptores voluerunt. Nimirum exempla omnia, *& monumenta pleraque,* jacêrent in tenebris, niſi literarum lumen accederet. *Præclarè Agathias hiſtoricus lib.* 1. *quem legi velim, hac ſuper re philoſophatus:* Quicquid athletæ in palæſtris, belli duces in armis, agunt; non in his aliud ſibi magis propoſitum habere, quàm gloriam. Hunc autem gloriæ fructum percipi non poſſe, niſi ipſos hiſtoria immortales faciat. *nam tropæa, inſcriptiones lapidum, cæteraque poſteritatis monumenta, quæ*

Sigon. lib. 18. de imp. occid.

Cicero pro Archia Poëta.

eri-

eriguntur immortali nomini, fluxa & caduca fuiſſe, & cum ipſis ſæpe victoribus interiiſſe. Quale illud Germanici Cæſaris apud nos monumentum, poſt Arminium profligatum, ſuperbo cum titulo: DEBELLATIS INTER RHENUM ALBIMQUE NATIONIBUS, EXERCITUS TIBERII CÆSARIS EA MONIMENTA MARTI ET JOVI ET AUGUSTO SACRAVIT. *Nil jam mirum Aliſonis caſtellum, Druſi aram, Trajani urbes, Probi munimenta, Conſtantini M. pontem, quo Saxonia intrata, cæteraque Romanorum opera, quibus Luppia, Amiſius & Viſurgis nobilitati, vetuſtate temporum conſepulta jacêre; quæ nunc ex Principis hujus monumentis immortalem lucem, vitamque ipſam receperunt. Propior quidem Caroli M. ætas. Sed quis tam exactè ordinatèque noſſet ſingula, aut ſibi unquam perſuaſiſſet, tantum monumentorum theſaurum intra unam Paderbornenſem diœceſin reconditum eſſe; niſi hæ monumentorum tabulæ palàm exponerent, & poſteritati donarent. Jam illud Horatianum* PRINCIPIS *eſt*:

Tacit. lib. 2. Ann.

Exegi monumentum ære perennius,
Regalique ſitu Pyramidum altius;
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.

Lib. 3. ode 30.

Res ardua, *inquit Plinius*, vetuſtis novitatem dare, novis auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem. *Perfregit hæc contentus hic labor, & gratus in Carolum M. Francorumque proceres animus, quorum armis religio Chriſtiana in has Saxoniæ provincias primùm invecta eſt. Tot ab Hathumaro Epiſcopi, tot literati ad hanc uſque*

Præf. ad Veſp.

ætatem

ætatem viri; nemo tamen tam diligenti curâ & præſtanti opere id munus pro amore patriæ, pro gloria gentis ſuæ ſuſcepit, quod nunc eò acceptius, quò illuſtrius ab ipſius Principis ingenio & manu poſteritas excipiet. Libet nunc de FERDINANDO *pronunciare, quod Romani apud Ciceronem de Varrone*: Nos in noſtra urbe peregrinantes erranteſque tanquam hoſpites eramus, tui libri quaſi domum deduxerunt, ut poſſemus aliquando, qui, & ubi eſſemus, agnoſcere.

Retuli paucis, Lector, quid Princeps in monumentis ſuis præſtiterit, nunc ipſum Principem poſteritatis monumentum proponere licebit, non ab ipſo virtutum aſpectu, quibus ad principatum pervenit, quæ uberius & ſublimius ſcribendi genus poſcunt: ſed à doctrina, & multiplici ſcientiarum comprehenſione, quæ præcipua ſemper Principum in gubernando adjumenta ornamentaque fuerunt. His ille à prima ætate per omnem liberalium artium cultum adoleſcentiam tranſegit, ingenio ſemper facili expeditoque, induſtriâ etiam ſupra nobilium uſum conſtante. Hæc Sigenæ Naſſaviorum, Paderbornæ, & Monaſterii VVeſtphalorum prima experimenta fuerunt. Indè Coloniam ad ſublimiora ſtudia latus, exæquare cœpit majorum exempla & gloriam, quos fundatiſſima Baronum Furſtenbergiorum familia pari ſemper nobilitatis & doctrinæ claritudine illuſtres habuit. Muſis Coloniæ aſpirantibus, in Fabii Chiſii Legati Apoſtolici familiaritatem venit. Captus mox ſuavitate morum & doctrinâ Juvenis, & inter purpuratos Patres cooptatus Chiſius, Romam invitavit, & haud multò pòſt renunciatus Pontifex Max. eo nomine Alexander VII. in aulam, & Cubicularium intimum adſcivit. Nihil tum Ferdinando felicius evenire poterat, quàm

Romæ in arce ſapientiæ multiplex ingenium excolere. Oblectabatur Pontifex modò hiſtoriâ, modò antiquitatum cognitione, modò poëſi; oblectabat his ſtudiis Pontificem Ferdinandus, ſemper aliquod exſertum ingenii ſpecimen dando, etiam cum applauſu Cardinalium, tanquam ingenium in Germania natum ſubtilius Italiæ cœlum ſpiraret. Maxima iſtic pars vitæ, amœnitates ſtudiorum, & commercia cum eruditiſſimis viris Sfortia Pallavicino, Proſpero Fagnano, Luca Holſtenio, Cæſare Raſpono, Natale Rondinino, Carolo Emanuele Vizzanio, Oderico Raynaldo, Alexandro Pollino, Auguſtino Favorito, Stephano Gradio, Leone Allatio, Joanne Baptiſta Turricellio, Vincentio Guiniſio, Hieronymo Petruccio, Gulielmo Dondino, Petro Poſſino, Paulo Zacchia & Matthia Naldio medicis, & quos extra Italiam fama ſcriptorum librorum orbi celebres fecerat; cum aliis certamen Poëſeos inire, cum aliis antiquitatum & Hiſtoriarum monumenta recolere. Ibi cùm in omni ſcientiarum cultu verſaretur, tanta brevi ingenii & præcellentis doctrinæ parta fuit æſtimatio inter Romanos, ut cùm in Academiam, quam Romæ honoratiſſimi quique & eruditiſſimi viri, omni ingeniorum concurſu, omnique diſciplinarum & facultatum culturâ florentiſſimam habent, Ferdinandum recepiſſent, haud multò pòſt Principatum ſuæ Academiæ ultro detulerint. Nimirum quod jam ante Alexander Pontifex Max. ſagax ingeniorum explorator commendarat, id literatorum ſenatus multò conſpectiùs comprobavit. Ille Ferdinandum, quod rarum admodum in Germanis & peregrinis, inter familiares admiſſionis intimæ, ad cubiculi Pontificii prærogativam admiſit; hic Academiæ ſuæ Præſidem ac Principem delēgit. Qui certè honor

nor ac dignitas eò illuſtrior, quòd hactenus non niſi Italorum atque excellentium genere & doctrinâ virorum fuerit, quæ tum uni primùm ex Germanis Ferdinando obvênit, tanquam his ſuis præjudiciis Romæ Principem dicerent, antequam apud ſuos inter Romani Imperii Principes conſpiceretur. Per id ſimul otium literarium luſtrata Bibliotheca Vaticana, Holſtenio monſtratore, & apparatus horum monumentorum, cumprimiſque Hiſtoriæ Paderbornenſis ſeligi cœptus, cùm nondum cogitatio de Epiſcopatu Paderbornenſi ſubire animum poſſet, tanquam præſago tum ſe ſtudio deſignaret Epiſcopum Paderbornenſem. Adeò Muſæ ſuo numine reguntur. Pòſt ubi Paderbornenſium Epiſcopus, Romæ abſens, delectus ad Paderam, & coràm Principis munus adiit, nihil inter cætera antiquius habuit, quàm tabularia omnia Eccleſiæ ſuæ, collegiorum & cœnobiorum perveſtigare, omniaque antiquitatum monumenta veluti mellis ſuccum in ſuos favos comportare, quo præter hæc ipſa aliquando Paderbornenſis Hiſtoria contexi poſſet. Præclarus haud dubiè labor, fruenti etiam quàm colligenti futurus dulcior.

Sed an Principe dignum ſit Hiſtoriæ ſtudium, ita à quibuſdam controverti video, ut prorſus nolint Principem, qui regendis populis eſt impoſitus, aſſidere libris, tractare literarum ſtudia, & hiſtoricorum monumenta pervolvere. Regum, inquiunt, & Principum eſt tractare arma, & bibliothecam in armamentario quærere, obire provincias, luſtrare arces, reficere munimenta, conſiliis provinciæ aſſiduò intereſſe, jus ſummis infimiſque dicere, controverſias publicas privataſque decidere, inſpicere miniſtrorum rationes, fraudes retegere, ſubmovere infidos, audire querelas civium & miſe-

 rorum

rorum hominum. Et quæ non rerum moles quotidie unius mente verſanda? ut tot publicæ curæ, quibus vita Principum occupatiſſima eſt, hæc otia literarum minimè patiantur. Haud equidem ignarus, ea maxima eſſe Principum munia, quæ nec ipſi ignorant. Sed & pacis ſunt tempora, quæ ante bella ſemper quærenda ſunt Principi, nè continuis armorum terroribus urgeantur populi, & honeſti otii horæ, & ſeriarum curarum laxamenta ſunt interponenda, quibus aut contenta mens remittenda, aut inſtruenda iis ſcientiarum ſubſidiis, quibus ſe alioſque regat. Nihil autem ad Principem formandum præter regalem illam philoſophiam, aut honeſtius, aut utilius, quàm hiſtoriam, ſapientes ſemper præceperunt viri, quòd ea non tam Principem oblectet, quàm doceat, inſtruatque ad ſublime & divinum illud munus vitæ dignè ſuſtinendum, nihil blandiendo, nihil celando. Hoc inſtituto Livius

In proœmio lib. 1.

hiſtoriam ſuam aggreſſus, præfatuſque: Illud præcipuè in cognitione rerum ſalutare ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri; inde tibi tuæque Reip. quod imitere capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites. *Zenonem philoſophum percontatus quiſpiam, quâ ratione Princeps felix eſſe poſſit*; Si in ſuperiorem, *inquiebat*, ætatem oculos intendat. *Si nimirum res majorum præclarè geſtas, ſi veterum monumenta pervolvat. Tacitus cùm libros & monu-*

In vita Agricol.

menta clariſſimorum virorum in foro exuri videret: Illo ſcilicet igne, *ingemuit*, vocem populi Romani, & libertatem Senatus, & conſcientiam generis humani aboleri. *Sanè qui hiſtoriarum libros è Principum manibus ſubtrahunt, illi cuſtodem temporum, memoriam omnis antiquitatis, majorum*

rum ſuorum præclariſſimam imaginem, lucem veritatis, magiſtram vitæ, ex humana ſocietate proſcribunt, ne tanquam in ſpeculo exornare ſe Principes poſſint, & vitam ſuam ad alienas virtutes componere. Barbarum hoc eſt; quales olim Germani, cùm literarum ſecreta viri pariter ac feminæ ignorarent. *Indè horum res domi militiæque geſtæ perpetuo ſilentio conſepultæ jacent. Quicquid de præclaris eorum moribus ac virtutibus, quicquid de bellis fortiter geſtis ſupereſt, Tacito, & Romanis ſcriptoribus debemus: & quàm admiranda Tacitus de Germanis reliquit? Jam quæ vitæ ratio inter homines, quam Hiſtoria non egregiè format. Civilem vitam expetis? audi Polybium:* Veriſſima diſciplina exercitatioque ad res civiles Hiſtoria eſt. Illa, *Ariſtotele judice,* utilis etiam eſt ad publicas deliberationes rerum geſtarum: *ut verè dixerit Alphonſus Rex eximius,* optimos conſiliarios eſſe mortuos, *Hiſtoricorum videlicet libros. Quin Agathias nobilis Hiſtoriæ ſcriptor auſus eſt dicere,* Hiſtoriam civili philoſophià non inferiorem eſſe. *Vitam militarem vis? quæ pars ejus, quæ ars, quam Hiſtorici veteres recenteſque non tradiderunt? Probarunt hoc omni ævo præſtantes belli duces, qui, uti Alexander M. Homerum, etſi tot fabulis inſperſum, ſibi militiæ magiſtrum aſſumere non eſt veritus; & quemadmodum, teſte Paterculo,* Scipio tam elegans liberalium ſtudiorum, omniſque doctrinæ & auctor & admirator fuit, ut Polybium Panætiumque præcellentes ingenio viros, domi militiæque ſecum habuerit; *ita illi in caſtris præſtantiſſimos hiſtoricorum libros, quos aſſiduò volverent, ſibi comites eſſe voluerunt. Quo aſpectu Alexander Imperator bellis etiam ad Rhenum geſtis, & in*

Tac. de morib. Germ.

Polyb. l. 1.

Ariſt. l. 1. Pol. c. 5.

In procemio l. 1.

Lib. 1. cap. 13.

Lamp. in Alexandro. *has provincias deſtinatis clarus, togæ militiæque conſiliis* literatos adhibebat, & maximè eos, qui hiſtorias noverant. *Et jam ille Alexandrum Magnum promittebat Romanis, ni juvenem militaris furor ad Moguntiam trucidaſſet. Hæc* Vopiſcus in Tacit. *illa ſenatus, populique Romani acclamatio*: Quis meliùs quàm literatus imperat? *Tacitus is erat Imperator, qui ob id* Cornelium Tacitum ſcriptorem hiſtoriæ Auguſtæ, quòd parentem ſuum eundem diceret, in omnibus Lipſius præf. in Tacit. bibliothecis collocari juſſit: *Nam is verè ſcriptor eſt, qui in caſtris militem, in aulis politicum, in* Republica *civem, in omnibus interiorem Principum vitam format. Sed Chriſtiani Principis, & Chriſtiani hominis, ex toga ſagoque, imò religioſi viri normam vivendi expoſcis, & à quibus rectiùs integriùſque diſces, quàm vel ex ſacrarum literarum monumentis, vel ex Hiſtoria Eccleſiaſtica, vel iis ſcriptoribus, qui Chriſtianorum Regum ac Principum aut ſanctorum virorum res geſtas nobis conſignarunt. Nec divino conſilio inſtitutoque hæc pars vacat: Quorſum enim Deus hiſtorias Regum & Principum Hebræi populi ſcribi voluit, & ut ſcriberentur dictator adſtitit, niſi ut ex bonorum Principum factis ſalutaria documenta, ex malorum facinoribus, divinæ juſtitiæ vindictæque exempla orbis & poſteritas exciperet. Quæ res & Præſules Eccleſiæ, & Principes viros commovit, ut non modò Hiſtorias ſacras profanaſque diligenter pervolverent, ſed & ſcriptis ſuis res geſtas poſteritati conſecrarent. Quo in numero, cùm innumeros percenſere poſſem, habemus cumprimis Dithmarum Mersburgenſem, & Ottonem Friſingenſem Epiſcopos, Imperiique Principes; uterque ex Marchionum familia, non indecorum cenſuit claritudini nominis & muneris dignitati hiſtorias*

rias

rias ſcribere. Nec domeſtica deſunt, quorum veſtigiis inſiſtat hic Princeps: Olivarius & VVillebrandus Paderbornenſes Epiſcopi, poſtquam in Palæſtinam profecti totum illud iter ſacrum, & omnem illam Chriſtianorum expeditionem, quæ apud Principem, inter cætera monumenta antiquitatum, tempori edenda aſſervantur, fidi & præclari eorum temporum Hiſtorici ſuâ manu conſcripſerunt; Alter è prima nobilitate & Metropolitanæ Colonienſis Eccleſiæ Scholaſtico, alter è Comitum Oldenburgenſium familia hujus loci Antiſtes, non minùs ingenii, quàm virium opibus clarus eſſe voluit. Quem narrandi finem hic fecero? ſi vel omnes illuſtrium familiarum viros, vel Eccleſiæ Præſules proferre velim, qui Hiſtoriarum monumenta à ſe elaborata magno primùm ſuo fructu, tum majori etiam poſteritatis bono, cum immortali gloria reliquerunt. Ego dum omnes auctores revolvo, qui de Hiſtoriæ dignitate & utilitate ſcripſerunt, nullum propè ſtudiorum genus Principi magis commendatum præſcriptumque reperio, quàm Hiſtoriam. Innumeri ſunt qui hæc pertractarunt, & faſtidio ſim, ſi ex notis atque obviis plura conſecter. Id unum, ut propiùs ad noſtra redeam, præterire non licet. Principum eſt ſupremum judicem in publicis privatiſque agere, ſcire jura & privilegia provinciæ, eaque ut familiæ ſuæ peculia tueri, controverſias, quæ cum vicinis aut inter ipſos proceres agitantur, recognoſcere, limites regionis deſcriptos tenere, ſcita, leges, pacta, fœdera, donationes, parta & abalienata provinciæ bona, & quæ ejuſmodi ſunt, explorata habere, ne tanquam hoſpes ſemper inter ſuos agat; aut cùm de his judicium eſt pronunciandum, tanquam ſimulacrum Principis inter conſiliarios ſuos conſideat, quorum fi-

des ſæpè tam auro, quàm ignorantiæ obnoxia eſt. Quòd ſi Epiſcopi munus, uti inter Germanos ſe hæc habent, in eundem Principem concurrat; quæ non cognitio ex patrimonio Eccleſiæ, ex donationum tabulis, ex Cæſarum diplomatis, ex ſuperiorum Antiſtitum decretis conventiſque requiritur? Hæc autem omnia in utroque munere, unde certiùs hauriet, quàm ex perluſtratis tabulariis, antiquitatum monumentis, & fidis Hiſtoricorum ſcriptis? Quo in genere ſi quiſquam inter Germanos Princeps eminet, tum auctor horum monumentorum, ut vel ipſa monumenta ſatis teſtabuntur, cui ad ingreſſum principatûs nihil ſollicitiùs fuit, quàm archiva & tabularia omnia, diplomata Cæſarum, monumenta publica privataque, ſcripta & reſcripta perluſtrare, & quod verè Principum eſt, vivam ſemper provinciæ ſuæ imaginem in ſinu portare. Indè Ille in omnem ſuper his ſermonem expeditus, in quæſita præſens, in conſilia promptus. Magnorum id ſemper Cæſarum fuit, habere rationaria ſua cum Auguſto, deſcriptiones provinciarum cum Antonino, tabulas & compendia rerum publicarum cum aliis; majus etiam in hoc Principe, apparatus videlicet antiquitatum, ingenio, labore & manu propriâ digeſtus, ex quo hæc monumenta delibatio ſunt. Omnia hæc præſtitit Hiſtoria, anima illa, & vita memoriæ. *Non jam quiſquam, opinor, erit bonæ mentis cenſor, ſi quantum alii Principes venationi, equorum agitationi, choreis, aleis, conviviis, cæteriſque oblectationibus ſe permittunt, tantum Principi huic hiſtoriarum ſtudiis, & antiquitatum lucubrationibus, indulgeant. Sanè ut natura non omnes homines ad eaſdem artes, ſic nec Principes ad eadem ſtudia finxit.*

Propert. l.3. eleg.7. Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.

Sed

Sed hæc ingenii meditamenta eò decora magis Principi, pleniuſque ſapientem virum explent, quò animi exercitatio præſtantior eſt hiſce corporum oblectamentis: Animi enim imperio, corporis ſervitio utimur. *Quanquam ſi utrumque in laxandis curis ſuo temperamento miſceatur, illa demum ſit jucundioris, ſanioriſque vitæ ratio. Memoriâ teneo, ſæpe illum narraſſe, ex quo humaniores literas diſcere cœpit, miro quodam animi impetu in Poëſin & Hiſtoriam abreptum, quæ annis inde matureſcentibus in hanc orbis famam exculta. Hoc eodem genio Theodorum Furſtenbergium Paderborn. Epiſcopum & Principem, avi fratrem accepimus, quem mirificè in omnem vitam Poëſis & Hiſtoria oblectabat. Tanta ingenii & ſanguinis eſt conſenſio. Sed ille aliorum lucubrationibus & ſcriptis paſci ſolitus; hic verò Princeps facere, quibus ſe alioſque paſcat, & gloriam familiæ poſteritatique tranſcribat. Teſtes tot ingenii partus in publicum dati, Monumenta dico & Poëmata novis ob id prælis donata, ut novo ſui aſpectu veſtituque in theatrum orbis prodeant, non ſine novo etiam certamine, majorne Poëta, an Hiſtoricus æſtimetur. Rarum id in Principe decus, eòque pulchrius, quò glorioſius inter mortales, ſtudia literarum cum nobilitate, doctrinam cum virtute, & ſapientiam cum Principatu conjunxiſſe.*

Salluſtius de bello Catilin.

Hæc habui, erudite Lector. Panegyrim, quam olim Joannes Horrion Societatis Jeſu ſacrarum literarum Doctor, ex eodem monumentorum argumento, Theodoro Furſtenbergio Paderbornenſium Epiſcopo dicatam conſcripſit, hic conjungere placuit, quò altera ſcriptio alterius lumine juvaretur, ac duo ſimul conſanguinei & fulgentiſſimi Paderbornenſium

Prin-

Principes ex eadem Furſtenbergica domo in unum poſteritatis conſpectum venirent. Quæ verò de ipſo Furſtenbergiorum ſtemmate Monumentis attexuntur, ea primùm Dithmarus Mollerus Tremonienſium annalium ſcriptor conſignavit, auxit Joannes Veldius Societatis Jeſu Sacerdos, ac demum in hanc accuratam familiæ ſeriem digeſſit Fridericus Honingius, Canonicus Præmonſtratenſis, Theologus, Conſiliarius & Bibliothecarius Paderbornenſis. Nec de me quidquam, niſi quòd poſt multiplices ſtudiorum meorum labores (quos cum eruditiſſimo hujus ſæculi & ſapientiſſimo Principe, mihi vitæ ratio, intimaque, quâ me ſemper dignatus, amicitia communes fecit) ex anno ætatis meæ ſeptuageſimo ſexto, ultimum quoque monumentum meum circumſpiciam. Te verò, Lector, hæc Monumenta, quod nomine ſuo monent, ita legere velim, ut è mortali vita ad immortalem aſpires. Monaſterii VVeſtfalorum. Calendis Januariis. Anno Chriſti CIↃIↃCLXXI.

A U-

AUCTORIS
PRÆFATIO
AD LECTOREM.

QUem hîc librum, benevole Lector, in manus ſumis, Monumenta Paderbornenſia inſcripſimus, nec aliter oportuit; quòd non aliud libri argumentum, quàm præclara hujus diœceſis monumenta, quæ ex Romana, Francica & Saxonica hiſtoria proferimus eruta: & quia plura antiquitatum monumenta (auſim hoc dicere) ſeſe in hac diœceſi offerunt, quàm vel in ulla Saxoniæ provincia inter Rhenum, Viſurgim & Albim; Nos ea pro veteri inſtituto, & pro amore decoreque patriæ noſtræ, carminum inſcriptionibus, notis ac figuris illuſtravimus, quò conſpectiora ex antiquitatum tenebris denuò in lucem veniant. Decorum id ſemper fuit & laudabile inter omnes gentes, quarum exempla ſequimur. Neque in hac re tam vires ingenii noſtri, quàm cauſas, quæ ad id præterea nos excitarint, expendimus. Quarum prima, regionum ſplendor, urbium decus, Majorum gloria æternitati conſecranda. Quemadmodum præclarè Suetonius de Auguſto

Cæſare, cùm is publica opera quàm plurima extruxiſſet: *Cæteros principes viros ſæpe hortatus eſt, ut pro facultate quiſque monumentis vel novis, vel refectis & excultis urbem adornarent.* Hoc verò uti à condita Urbe cœptum, ita ab Auguſto omnium deinde conſequentium Cæſarum pulcherrimum opus fuit, etiam Chriſtianorum Principum, ut quantùm Romani rerum à ſe geſtarum magnitudine cæteras gentes, tantùm Urbs cæteras orbis terrarum urbes monumentorum multitudine & gloriâ ſuperaret. Hinc votivæ Deorum aræ ob bella feliciter geſta, lapidum Pyramidumque inſcriptiones, tropæa victoriarum, arcus triumphales, Heroüm & præclarorum virorum ſtatuæ & imagines; quas vel in foris vel in ædium veſtibulis, vel in bibliothecis poſuerunt: haud aliam præterea ob cauſam, quàm ut poſterorum animos ad virtutis æmulationem excitarent. Cùm multa hujus rei experimenta adſint, tum illud illuſtre apud Salluſtium: *Sæpè*, inquit, *audivi Q. Maxumum, P. Scipionem, præterea civitatis noſtræ præclaros viros ſolitos ita dicere, cum Majorum imagines intuerentur, vehementiſſimè ſibi animum ad virtutem accendi.* Et quid, obſecro, ut hoc tertium addam, jucundiùs etiam, quàm in antiquitatum monumentis non tam legere, quàm ſpectare Majorum res domi militiæque præclarè geſtas, & velut in ſculptis annalium tabulis omnem antiquitatis memoriam revolvere? *Naturâ*, inquit Lipſius, *trahimur ad ſimulacra & effigies magnorum virorum noſcendas, & illa corpora ſive hoſpitia, quibus cæleſtis*

Sueton. in vita Auguſti Cæſar. c. 29.

Salluſt. de bello Jugurth.

Syntag. de Biblioth. c. 10.

leſtis ſe animus incluſit. Verè Lipſius: ſed non in his ſiſtendum, cùm eâdem cupidine inſitâ & dulcedine, ad cætera quoque monumenta rapiamur: *ex quibus*, uti Plinius ſapienter dixit, *immortales animæ adhuc in iiſdem locis nobiſcum loquuntur*, factaque ſua mortalibus ad imitationem immortalis gloriæ exponunt. Altarum mentium eſt hæc ſequi: nam cum vulgo nobis hîc nullus ſermo eſt, cui nec calcar, nec ſenſus ex his integer. Illos appellamus, quos Majorum gloria, ut Miltiadis tropæa, exſtimulat. Ideò Plinius denuò: *Nullum majus felicitatis ſpecimen, quàm ſemper omnes ſcire cupere, qualis aliquis fuerit*, ex illo videlicet præſtantium virorum numero, qui aut virtute bellicâ, aut doctrinæ præſtantiâ, aut egregio aliquo facinore clari eminuerunt. Et nos, ut hoc poſtremum inter cauſas referam, quid aliud in conſervandis illuſtrandiſque monumentis agimus, quàm ut facem æternitatis accendamus, & præclaris illuſtribuſque viris pro merito vitam præmiumque reddamus? Eò Horatius nobis ſiſtit *Plinius lib. 31. c. 11.*

> Hæc *inciſa notis marmora publicis,*
> *Per quæ ſpiritus & vita redit bonis*
> *Poſt mortem Ducibus.*

Inſita hæc omnibus poſt mortem vivendi cupiditas, & quæſita ſemper à magnis Heroüm mentibus, ne cum mortali corpore in terram abdito, totæ ſimul ex hominum oculis & memoria abirent. Quo præclarè etiam docuerunt non tam mortali, quàm immortali vitæ naſci nos, atque ita in hanc ſcenam

 pro-

produci, ut immortalia ante mortalia ſectemur. Hinc nulla gens uſquam tam barbara & inhumana, à qua non aliquod horum monumentorum genus poſteritati relictum ſit. Ignoravêre quidem priſci Germani noſtri ſecreta literarum, quibus bella factaque ſua poſteris tranſmitterent: Non tamen deſunt monumenta, ex quibus res bello geſtas cultumque religionis recognoſcas. Habuêre enim ſuas arces & caſtella, inter quæ Arminii & VVidichindi rudera adhuc monſtrantur apud nos. Habuêre ſua fana & delubra, inter quæ *celeberrimum* illud apud Marſos *templum, quod Tanſanæ vocabant*, Luppiam inter & Amiſiam flumina. Præterea aras ſacrificiorum, ſimulacra deorum, lucos & nemora conſecrata diis, turrim Velledæ, ex qua fatidica virgo reſponſa dabat inter Bructeros. Horum pleraque Carolus M. & Chriſtianorum Præſules ſuſtulêre, ne quod genti toties perfidæ invitamentum ſupereſſet ad veterem ſuperſtitionem relabendi. Ex his ſola ferè Heroüm ſepulchra remanent, quemadmodum hæc per VVeſtphaliam, Emslandiam & Tranſiſalaniam ex grandium ſilicum lapidumque aggeſtorum cumulis ac tumulis hodiedum aſpiciuntur. Sed nulla in gente hæc frequentiora celebrioraque monumenta, quàm inter Romanos etiam extra Urbem & Italiam. Quot illi bella exteris intulere, tot bellorum tropæa, ſuperbos victoriæ titulos, ſtructa præſidiorum caſtella, vias militares, quas inter *pontes longi* paludoſis apud nos locis inſtrati, caſtrorum aggeres, hibernantium

Tacit. lib. 1. Annal.
Cluverius lib. 3. c. 47.
Tacit. lib. 4. Hiſt.
Lib. 4. de Germ.

nium militum valla, inſcriptiones lapidum, cipporum ſepulchralium notas, & quæ ejuſmodi ſunt, poſteris reliquêre. Ex his ea Germaniæ pars, quæ Paderbornenſis diœceſis finibus continetur, Caſtellum Aliſonis, Aram Druſi, Varianarum legionum tumulos, aliaque præclara antiquitatum monumenta nobis exhibet, quæ ſervato temporum ordine, hâc lucubratione noſtrâ, exornanda ſuſcepimus. ſecuti etiam non inſolitum nec injucundum, ut confidimus, ſcriptionis genus: quod in Urbe terrarum domina, arcus triumphalis Druſi Neronis, pons Salarius, deorum templa, aræ, ſimulacra, tabulæ votivæ, fontes, obeliſci, columnæ, atque innumeri cippi ſepulchrales Latinis Græciſque verſibus inſcripti, apud Janum Gruterum, in abſolutiſſimo inſcriptionum Romanarum opere, jam olim uſitatum fuiſſe abundè demonſtrant.

Atque ut hoc officium Poëſis præſtet, facit conjunctio, quam cum Hiſtoria habet, quemadmodum ab Agathia nobili hiſtorico, in procem. præclarè ex Floridoti viri eâ ætate præſtantis judicio ſcriptum eſt: *Hiſtoriam à poëtica non multum diſtare; ſed hæc duo gemina affiniaque eſſe, ac ſolo propemodum rhythmo inter ſe diſcrepare.* Ut altera prorſus alteri in conſervandis illuſtrandiſque antiquitatum monumentis opem ferre nata ſit.

Juvabit ad hæc pleniùs cognoſcenda, Saxoniæ & diœceſis etiam noſtræ diviſio. Qua ſuper re Lectorem verbo commonendum cenſui. Germania omnis, cum-

cumprimiſque Tranſrhenana, quæ vetus, & vera, & magna eſt Germania, fœcundaque illa bellicoſarum gentium procreatrix, cujus nobiliſſima pars eſt Saxonia, primùm in populos eſt diviſa; quales Sicambri, Tencteri, Uſipetes, Bructeri, Angrivarii, Marſi, Chamavi, Tubantes, Catti, Cheruſci, aliique bellis Romanorum celebres. Nullum inter eos regni nomen, quod gentis libertas, pro qua tot ſæculis pugnarunt, neque Regem inter ſe, neque ab aliis imponi ſibi pateretur, & qui Reges inter illos ex nobilitate ſumpti, ii bellorum potiùs Duces fuerunt, qui cum bello nomen & munus ponerent. Neque provinciæ nomen inter hos populos auditum. Primùm quidem Auguſtus, exinde cæteri etiam Romanorum Cæſares in provinciæ formam redigere tot expeditionibus belliſque tentarunt; ſed is labor fruſtra fuit. Quàm invictæ ſemper gentes, tam id jugum etiam nunquam pati voluerunt; orbe toto obſtupeſcente, qui jam à Romanis in provincias redactus, diſtributuſque erat. Carolo M. id primùm conceſſum, qui debellatam Saxoniam, quod Romanis non licuit, Romanorum more in provincias & Epiſcoporum diœceſes deſcripſit, ideò verè magnus, quia omnium Cæſarum conatus in ſubigenda Saxonia, religione, virtute bellicâ & felicitate ſupergreſſus. Populorum deinde regiones in pagos, certoſque diſtrictus erant diviſæ. Neque pagi nomine tum vicus, ut modò ſonat, ſed pars regionis notabatur: quemadmodum vel in Satrapias vel Comitatus

Diplom. Bremenſ. Diplom. Verdenſ.

poſtea

poſtea hi pagi tranſiêre. Pagis interim ſuus cuique Satrapa, Saxonum cumprimis ævo, præpoſitus. Ita Cæſar *totam Helvetiam in quatuor pagos eſſe diſtinctam* ſcribit: Et Tacitus de moribus Germanorum: *Eliguntur in iiſdem conciliis & Principes, qui jura per pagos vicoſque reddunt.* Hoc vocis uſu leguntur apud Marcellinum *pagi Alemannici.* Multi hæc pertractarunt, & nos in Monumento Bocæ delibavimus. Neque operæ pretium plura in hanc rem proferre, cùm hos pagorum Satrapas etiam Beda nobis exhibeat in Divorum Ewaldorum nece, quod alius ſcriptor expreſſiùs retulit: *Regem antiqui Saxones non habebant, ſed per pagos Satrapas conſtitutos, moriſque erat, ut ſemel in anno generale concilium agerent in media Saxonia, juxta VVeſeram fluvium.* Sed illo antiquior ſcriptor, Arnulpho Imperatore, Poëta videlicet Anonymus, quem plerique Paderbornenſem cenſent, hæc teſtatiùs inter res geſtas Caroli M. retulit:

Cæſar. lib. 1. de bello Gall.

Tacit. lib. de mor. Germ.

Marcell. lib. 13. & 18.

Avernerus tractat. de laud. Weſtph.

Sed variis diviſa modis plebs omnis habebat
Quot pagos, tot penè Duces, velut unius artus
Corporis in diverſa forent hinc indè revulſi:
Sed generalis habet populos diviſio ternos.

Poëta Anonym. ad An. 772.

Oſtfalos nimirum ſive Oſterlingos, Angarios & VVeſtfalos, in quorum gentem nomenque externis & civilibus bellis ſuperſtites inter Albim & Rhenum populi conceſſerant. Poſtquam verò Carolus M. gentem in avita ſuperſtitione pertinacem non ſine multis expeditionibus, & maximo labore ad religionem Chriſtianam perduxit, nova in Epiſcopatus &

Diœceſes cœpta diſtributio, & certi cuique limites deſignati. Adam. Brem. c. 8. & 9. hiſt. eccleſiaſtic. *Tunc demum Saxonia ſubacta in provinciam redacta eſt, quæ ſimul in VIII. Epiſcopatus diviſa.* Sumpſit hæc Adamus ex diplomate Caroli M. in Eccleſia Bremenſi aſſervato, & hiſtoriæ ſuæ inſerto. *Proinde omnem terram eorum antiquo Romanorum more in provinciam redigentes, & inter Epiſcopos certo limite diſterminantes, Septentrionalem illius partem, quæ eſt piſcium ubertate ditiſſima, & pecoribus alendis habetur aptiſſima, pio Chriſto, & Apoſtolorum ſuorum Principi Petro pro gratiarum actione devotè obtulimus: ſibique in VVigmodia, in loco Bremon vocato, ſuper flumen VVirraham, Eccleſiam & Epiſcopalem ſtatuimus cathedram. Huic Parochiæ decem pagos ſubjecimus. Adhuc etiam ſummi Pontificis & Univerſalis Papæ Adriani præcepto, nec non & Mogontiacenſis Epiſcopi Lullonis, omniumque qui affuére Pontificum conſilio, eandem Bremenſem Eccleſiam cum omnibus ſuis appendiciis VVillehado probabilis vitæ viro, coram Deo & ſanctis ejus commiſimus. Et quia caſus præteritorum nos cautos faciunt in futurum, nequis, quod non optamus, aliquam ſibi in eâdem Diœceſi uſurpet poteſtatem, certo eam limite fecimus terminari, eique hos terminos, mare Oceanum, Albiam fluvium, &c. firmos & intransgreſſibiles circumſcribi juſſimus. Signum Domni Caroli Regis invictiſſimi. Hildebaldus Archiepiſcopus Colonienſis & ſacri Palatii Capellanus recognovi. Dat. II. Julii, indict.* XII. *Anno autem regni Domni Karoli* XXI. *Actum Palatio Nemetenſi.* Simillimum biennio ante, nimirum anno regni ſui XVIII. Indict. VII. VI. Kal. Julii, Moguntiæ de fundatione

datione Eccleſiæ Ferdenſis & finibus Diœceſis dederat: in quo ad propoſitum faciunt: *Terram autem eorum ſecundùm antiquorum Romanorum morem in Provinciam redigentes, & in Epiſcopatus certo termino diſtribuentes; quandam Aquilonarem illius partem Domino noſtro Jeſu Chriſto, & ſanctiſſimæ ejus Genitrici devotiſſimè obtulimus, & in loco Farduin vocato ſuper Aleram fluvium in pago, qui dicitur Sturmi, Eccleſiam & Cathedram Epiſcopalem ſtatuimus, & Moguntinenſis Eccleſiæ Archiepiſcopatui, interventu Lullonis illius Metropolis Eccleſiæ Epiſcopi, eam ſubjecimus. Verum tamen, quia caſus præteritorum præſcios, & cautos reddunt futurorum, certo eam limite fecimus terminari. Terminos autem ejus firmos, inconvulſos, & per omne ſæculum incommutabiles Apoſtolicâ auctoritate & noſtræ Regiæ Majeſtatis præcepto circumſcribi præcepimus, id eſt, VVirraham fluvium, &c.* Ex quo utroque diplomate, reliquos in Saxonia Epiſcopatus certis limitibus determinatos fuiſſe manifeſtum evadit, nec eſt dubium, fundationem finiumque deſignationem Pontificiis & Regiis literis ab initio fuiſſe confirmatam.

Ac Paderbornenſis Diœceſis, ex qua primùm Chriſtiana religio Caroli M. armis auſpiciiſque, D. Burchardi Herbipolenſis Epiſcopi adminiſtratione, D. Sturmionis primi Fuldenſium Abbatis, ac viri prorſus Apoſtolici contento ſtudio introducta eſt, haud ſecus quàm Oſnabrugenſis, Bremenſis, Ferdenſis, ac cæteræ Diœceſes quàm latiſſimè ſuis finibus circumſcripta fuit à Carolo M. Id cùm ex aliorum deſcriptionibus ac tabulis Geographicis, tum vel maximè ex Ludo-

vici Pii Imperatoris, Ludovici Germaniæ Regis, & Caroli Craſſi Imp. diplomatis ſatis ſuperque cognitum eſt; qui Eccleſiam Paderbornenſem *ſub ſua tuitione & immunitatis*, ut loquuntur, *defenſione conſtituerunt*; ac ſe in donationum ſuarum tabulis ad progenitores avoſque ſuos, ac poſtremùm ad Carolum M. primum hujus Epiſcopatûs conditorem referunt: & ad hos rurſum appellant conſequentes inde Cæſares, cumprimiſque S. Henricus, qui in gemino diplomate, quorum alterum anno MIX. alterum anno MXXI. conſignatum eſt, Carolum M. fundatorem Eccleſiæ Paderbornenſis profitentur. Sanè quanto circùm ambitu Paderbornenſis Diœceſis, fines Epiſcopatûs Moguntini, Colonienſis, Monaſterienſis, Oſnabrugenſis, Mindenſis & Hildeſienſis contingit, tantùm ſe per Ducatum VVeſtphaliæ, & regionem Brunswicenſium, per Haſſiæ & Corbeiæ Principatus, per Comitatum VValdecenſem, Lippienſem, Swalenbergenſem, Stoppelbergenſem, Sternbergenſem, Ravensbergenſem Pyrmontanum, Spiegelbergenſem, Eberſteinienſem, Homburgenſem, Ritbergenſem, & Dynaſtiam Schònenbergenſem, ipſamque veterem Angariam, & Teutobùrgienſes montes, ſubjectamque eorum montium planitiem, inter decurrentes Luppiæ & Amiſiæ ripas, juriſdictione ſacrâ, quàm latiſſimè exporrigit, ac civili etiam poteſtate poſſeſſioneque, per Haſſiæ Principatûs, & Comitatûs Lippienſis magnam partem, Comitatum Pyrmontanum, Stoppelbergenſem, Sternbergenſem & Swalenbergen-

bergenſem antiquitus fuit explicata, atque etiamnum ex parte protenditur. Ac ne fata temporum hîc cum aliis requiras, olim multò etiam potentior fuit, quàm nunc conſpicitur. Indè propter amplitudinem diœceſis, neceſſe fuit in plures eam Archidiaconorum regiones, partitâ Epiſcopi operâ dividere. Quarum nobiliores Horhuſana, cujus pars Hellinghuſana, Huxarienſis, Herivordienſis, Schildecenſis, Lemgovienſis, ſive Dethmoldienſis, præter duos Archidiaconatus majoris Præpoſituræ, & Præpoſituræ SS. Apoſtolorum Petri & Andreæ, præterque Achidiaconatum VVarburgenſem, Iburgenſem ſeu Driburgenſem, & Steinheimenſem. Ipſa verò Epiſcopi ſedes tanquam in umbilico Diœceſis, ad Paderæ fontes, celeberrimo totius VVeſtphaliæ loco conſtituta eſt, ubi Romanis Franciſque belli ſedes fuit. Quapropter inter cætera, quæ proferentur, monumenta, Variana clades, ſaltus Teutoburgienſis, prælium Caroli M. apud Dethmoldiam, Eresburgum, Brunisberga, minimè aliena cenſeri debent: cùm horum loca ſituſque nunquam alterius, quàm Paderbornenſis diœceſis fuerint. Propria hîc damus, ac noſtra tantùm. neque extra orbitam progredimur, qui iiſdem terminis monumenta, quibus Diœceſin concludi volumus. Atque ut hæc, quæ diximus, quæque in Monumentis hiſce noſtris expoſituri ſumus, planiùs ſub aſpectum veniant, placuit triplicem geographiæ tabulam addere, quarum prima Romana eſt, quæ regionem Diœceſis hujus ex Romanorum bellis & monumentis exhibet.

hibet. Altera Francica, quæ Diœceſin & monumentorum loca ex Francorum armis & imperio repræſentat. Tertia poſterioris ac noſtræ ætatis topographiam exponit, tantò pleniùs, quantò poſt cultior Diœceſis fuit. Id verò cùm ex inſtituto aliorum ſit factum, qui ex temporum mutatione, obſita ſitu & vetuſtate monumenta, ſuis locis reddiderunt: tum haud minùs opportunum, nec injucundum erit, hac etiam in parte legentium oculis atque animis ſubvenire. Fruere his, Lector, & ſi quid minùs expolitum exactumque, quod ultrò & candidè fatemur, ſcias velim hæc inter graviores Reipubl. curas furtim magis ſucciſivis operis, quàm meditato aliquo ſcriptionis genere ab ipſo auctore in lucem eſſe data, & ſicubi umbræ, aut minùs quædam illuſtrata, iis quilibet facilè pro ingenio lucem affundet, dummodò, quæ damus, benigno tantiſper vultu aſpiciantur. Vale.

INDEX
MONUMENTORUM
PADERBORNENSIUM.

ALiſo Romanus. pag. 1
Fontes Luppiæ. 13
Clades Variana. 21
Saltus Teutoburgienſis. 39
Fontes Amiſii. 51
Delbruggia ultima veterum Bructerorum ſedes. 57
Viſurgis. 69
Rema ad confluentes Warnæ & Viſurgis, pagus Ravensbergici Comitatus. 81
Eresburgum ad Dimolam. 102
Brunisberga prope Huxariam. 123
Boca ad Luppiam. 139
Deſenberga prope Warburgum. 155
Paderæ Fontes. 168
Driburgum, olim Iburgum appellatum. 187
Luda ad Ambram. 197
Tropæa Caroli M. Francorum Regis, in campo Sintfeld. 205
Heriſtallum Saxonicum in ripa Viſurgis. 213
Wevelsburgum prope Bodecam, Monaſterium S. Menolphi. 219
Deſertum Sendæ, olim Sinedi appellatum. 233
Fons Reſonus, vulgò Bullerborn, prope Becam veterem, pagum diœceſis Paderbornenſis. 241
Fons Padulus ante Neuhuſium, conſuetum Epiſcoporum & Principum Paderbornenſium domicilium. 251
Acidula Smechtana. 261
Acidula Driburgenſis. 267
Oldenburga in monte Furſtenberg, prima Baronum de Furſtenberg in Weſtphalia ad Ruram ſedes. 271

ALI-


Romanus
vulgò Elſen.


DIOECESIS PADERBORNENSIS et locorum adiacentium descriptio noviſſima.
M D C LXXII.
Poſt Præfationes, ante Indicem
WESTPHALIÆ DUCATUS
STIFT PADERBORN
RITBERG COMITATUS
RAVENSBERG COMITATUS
LIPPE COMITATUS
COMITATUS WALDEK
HASSIÆ PARS
Ducatus Brunſvicenſis pars
Paderborn
Die Senne
Septentrio
Meridies

ALISO ROMANUS.

MEMORIÆ. SACRUM

SIQUIS. ALISONEM. VESTIGAS. FORTE. SICAMBRIS
IMPOSITUM. DRUSI. GRANDE. NERONIS. OPUS
QUO. STETERUNT. AQUILÆ. POPULIS. QUO. ROMA. SUBACTIS
JURA. DEDIT. SIGNIS. PERNICIOSA. SUIS
HUC. PROPERA. PAGO. VICINO. NOMEN. ET. AMNI
HÆRET. ADHUC. PRISCIS. NOBILE. TEMPORIBUS
LONGA. DIES. FOSSAS. LATE. COMPLEVIT. ET. HOSTIS
MOENIA. VICTRICI. DIRUIT. ALTA. MANU
FAMA. SUPERSTES. ERIT. SCRIPTORIBUS. AUCTA. LATINIS
DONEC. ALISONIS. LUPPIA. CRESCET. AQUIS

FERDINANDUS. DEI. ET
APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCO-
PUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR
MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS
COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BA-
RO. DE. FURSTENBERG

ALISONEM. ROMANORUM. CASTELLUM. CON-
TRA. SICAMBROS. A. NERONE. CLAUDIO. DRUSO
AD. LUPPIÆ. ET. ALISONIS. CONFLUENTES. PO-
SITUM. RERUM. GESTARUM. GLORIA. CELE-
BERRIMUM. DIOECESI. SUÆ. VINDICAVIT
ET. PATRIÆ. ANTIQUITATIS. ILLU-
STRANDÆ. STUDIO
M. H. P

A NO-

NOTÆ.

1. ALISONEM.] Fluvii & caſtelli nomen eſt. Fluvii apud Dionem Caſſium l. 54. *Ex eo namque barbari propiùs adire veriti, eminus tantùm hoſtem infeſtavêre, ita ut Druſus viciſſim iis contemptis, caſtellum contra eos ad Lupiæ & Aliſonis confluentes, aliudque in Chattis ad ipſum Rhenum exſtruxerit.* Loci ſeu caſtelli apud Velleium lib. 2. *Lucii etiam Ceditii præfecti caſtrorum, eorumque qui unà circumdati Aliſone immenſis Germanorum copiis obſidebantur, laudanda virtus eſt, qui omnibus difficultatibus ſuperatis, quas inopia rerum intolerabiles, vis hoſtium faciebat inexſuperabiles, nec temerario conſilio, nec ſegni providentiâ uſi, ſpeculatique opportunitatem, ferro ſibi ad ſuos peperêre reditum.* Plura de Aliſone Tacitus lib. 2. Annal. memorat. *Cæſar, dum adiguntur naves, Silium Legatum, cum expeditâ manu, irruptionem in Chattos facere jubet. Ipſe audito, caſtellum Lupiæ adpoſitum obſideri, ſex legiones eò duxit. Neque Silio, ob ſubitos imbres, aliud actum, quàm ut modicam prædam, & Arpi, Principis Chattorum, conjugem filiamque raperet. Neque Cæſari copiam pugnæ obſeſſores fecêre, ad famam adventûs ejus dilapſi. Tumulum tamen, nuper Varianis legionibus ſtructum, & veterem aram, Druſo ſitam, disjecerant. Reſtituit aram; honorique patris ipſe cum legionibus decucurrit. Tumulum iterare haut viſum; & cuncta inter caſtellum Aliſonem ac Rhenum novis limitibus aggeribuſque permunita.* Verum de poſterioribus verbis, utrum caſtellum & Aliſo jungenda, magna controverſia: nam ut Lipſius in comm. in Tacit. n. 19. *Diſtinguendum videri caſtellum, Aliſonem, ac Rhenum, pronunciavit Vetranius, & rectè ad mentem Dionis lib. 54. Nam ſcribit, à Druſo caſtellum exſtructum ad Luppiæ & Aliſonis confluvia, aliudque in Chattis ad ipſum Rhenum. Velleio tamen loci nomen Aliſo eſt; & Ptolemæo Ἄλεισον inter Germaniæ urbes.* Imò qui junxerunt, hos imperitè legiſſe Xylander interpres Dionis annot. 710. monuit. *Aliſonem dicit Tacitus libro ſecundo, his verbis: cuncta inter caſtellum, Aliſonem, ac Rhenum novis limitibus aggeribuſque permunita. Quo in loco Tacitus loquitur de diſcuſſa obſidione caſtelli ad Luppiam poſiti: ubi tamen (quod obiter monere viſum) imperitè quidam caſtellum Aliſonem legerunt, ut Aliſo ſit nomen caſtelli:*



OCCIDENS.
pag. 2.
MERIDIES.
SEPTENTRIO.
ORIENS.
ANGRIVARII.
TENCTERI.
SICAMBRI.
ULTIMI MINORUM BRUCTERORUM.
MARSI.
TEUTOBURGIENSIS
SALTUS
TEUTO MARSI
CHATTI.
DULGIBINI.
CHERUSCI.
CHERUSCI.
CHERUSCI.
Luppia flu. nunc Lippe
Aliſo fl. nunc Alme
Aliſo Caſtellum
Caput Amiſy, nunc Embſprung
Ara Druſi
Caput Luppiæ, nunc Lipſpring
Locus cladis Vari
Teutoburgium nunc Dethmolde
Druſus a Sicambris hic prope oppreſſus
Arx Arminij nunc Herminsburg
Viſurgis flu. nunc Weſer
Idiſtavisus campus prælio Germanici Caeſ. et Arminij clarus
Eder
Caſtellum Chattorum nunc Caſſel
DIOECESIS PADERBORNENSIS sub Imperio Romanorum diverſis populis diverſo tempore habitatæ deſcriptio nova.
MDCLXXII.

caſtelli: quod falſum eſſe Dio nos docet. Aſt è contrario Cluver. l. 3. Germ. antiq. c. 9. ſcribit. *Diſtinguendum hîc ego omnino nego, idque rectè ad mentem Dionis juxta ac Taciti, ſimulque Velleii. Si enim*, inquit, *cum Vetranio ac Lipſio diſtinguimus dicta tria verba in tria loca; quodnam caſtello iſti alteri dabimus nomen? aut quodnam fuiſſe præter id putamus, quod Dio Druſum ait exſtruxiſſe ad Luppiæ & Aliſonis confluvia? Si aliud fuit; certè nomen, aut ſaltem ſitum debuit addidiſſe Tacitus. Si idem; cur diſtinguimus in Tacito? nam quum duo limitibus iſtis ſive aggeribus ponantur extrema, caſtellum ad Luppiæ Aliſoniſque confluenteis, & Rhenus amnis; quid, tanquam tria forent diverſa inter ſe loca, ſeparamus caſtellum ab Aliſonis confluente, cui id impoſitum? tum verò, quos Germanicum limiteis, inter caſtellum Rheno adpoſitum, & ipſum Rhenum egiſſe cenſemus? denique quæ hæc fuerit apud auctorem mira atque inepta locorum tranſpoſitio vel perturbatio; dum primò caſtellum ad Rhenum nominaverit; dein retrogrado ordine Aliſonem; tandem vero ad priora recurrendo Rhenum? apage ſis cum tantis abſurditatibus. certum igitur eſt, diſtingui non debere, quæ diſtinguenda videbantur Vetranio ac Lipſio*; & conſequenter Aliſonem etiam apud Tacitum proprium caſtelli nomen eſſe, quod præter Cluverium, Ortelius in theſaur. geogr. J. Horrion & complures alii memoriæ tradidêre; nec contrarium Dio prodidit. Docuit is tantùm caſtellum ad Luppiæ & Aliſonis confluentes à Druſo poſitum fuiſſe, ſed propterea non negat, aut falſum eſſe docet, idem caſtellum Aliſonem appellari. Quid enim obſtat caſtellum, urbem, vel alium locum commune cum amne nomen habere? Exempla obvia, & propinqua in Luppiâ, Amiſiâ apud Ptolemæum, Cluver. l. 3. c. 9. & Fuldâ in Annal. Franc. oppidorum & fluminum nominibus; &, ſi neceſſe foret, plura in medium proferri poſſent: nam ut Schildius de Cauch. l. 1. c. 10. talium neque recentior eſt infecunda, neque priſca coſmographia.

2. SIQUIS ALISONEM VESTIGAS.] Dignus inveſtigatione & notitiâ Aliſo, utpote Romanorum monumentorum antiquiſſimus in Weſtphaliâ, & rerum geſtarum gloriâ celeberrimus. Hic namque Druſi, Tiberii, & Germanici ex domo Auguſtâ belli ducum; hic conſularium & triumphalibus ornamentis inſignium legatorum ſedes & tribunal fuit; hic contra Tencteros,

Uſipetes, Bructeros, Chattos, Cheruſcos, & potiſſimùm Sicambros firmiſſimum præſidium, & hiberna æſtivaque exercitûs. Hinc nobiles expeditiones ſuſceptæ, & prælia multa decreta. Haud procul ara Druſi caſtelli conditoris ſita. Varus cum legionibus cæſus. Varianarum reliquiarum tumulus exſtructus, & ſolutâ obſidione Aliſonis à Germanico ara genitoris ſui reſtituta. Huc denique à Rheno uſque cuncta novis limitibus aggeribuſque ab eôdem permunita. Vellei. Tacit. Dio ll.cc. Cluv. l. 3. Germ. ant. c. 9. Horrion l. 2. Paneg. Paderb. c. 9. Si quis igitur Romanæ aut patriæ antiquitatis ſtudio Aliſonem fortè veſtiget, & contra quos, quo auctore, quo loco & tempore exſtructus, quæ veſtigia ſuperſint, huc properet, & inſpiciat, legatq; monumentum, cui nihil inſcriptum reperiet, quod non antiqui & gravis ſcriptoris teſtimonio, vel ſaltem valde veriſimili argumento nitatur, & probari queat.

3. SICAMBRIS IMPOSITUM.] Dio Caſſius l. c. Notiſſima hæc gens, quam non tantùm hiſtoriæ Romanæ, & Annalium Francicorum authores, inprimis Cæſar lib. 4. & 6. Strabo lib. 7. Florus lib. 4. c. 12. Sueton. in Auguſto c. 20. Tacitus Annal. lib. 2. c. 26. lib. 12. c. 39. Dio Caſſ. lib. 39. 40. 54. Plutarchus in Cæſare, Ptolemæus & Appianus. Notitia utriuſque Imperii, & Oroſius lib. 6. c. 21. verùm etiam poëtæ. Horatius lib. 2. od. 4. lib. 4. od. 14. Propertius l. 4. eleg. 6. Ovidius ad Liviam de morte Druſi. Juvenalis Satyr. 4. Gratius Faliſcus in Cynegetico v. 202. Martialis de ſpectac. epigr. 3. Claud. de bello Gildonico, & de laudib. Stiliconis. Sidonius Apollinaris, & complures alii celebrarunt.

Cauſæ, cur Aliſo caſtellum contra Sicambros potiſſimùm conditum fuerit, variæ habentur. Plurimùm potentiâ & virtute militari valebant; nec ulli fuerant erantque eo tempore infenſiores & graviores Romani nominis & imperii hoſtes. Julio Cæſari Galliæ victori Tencteros & Uſipetes dedere recuſârant. Cæſar l. 4. *Ad quos* (Sigambros) *quum Cæſar nuntios miſiſſet, qui poſtularent, eos, qui ſibi Galliæque bellum intuliſſent, uti ſibi dederent, reſponderunt: populi R. imperium Rhenum finire. Si, ſe invito, Germanos in Galliam tranſire non æquum exiſtimaret; cur ſui quidquam eſſe imperii aut poteſtatis trans Rhenum poſtularet.* Caſtra ejuſdem in Eburo-

buronum finibus oppugnaverant, & parum, quin occuparent, abfuerat. Cæſar l. 6. Dio lib. 40. *Cæterùm Sicambris non ſatis fuit ex Eburonibus prædam egiſſe, ſed ipſos quoque Romanos petierunt: quos cùm frumentatum digreſſos animadvertiſſent, caſtra aggreſſi ſunt: Romanorumque re perceptâ ad defendendum caſtra concurrentium multos occiderunt.* Præterea cum Cheruſcis Sueviſque, viginti centurionibus crematis, ſumpſerant iterum bellum. Flor. lib. 4. c. 12. *Inde validiſſimas nationes Cheruſcos, Suevóſque & Sicambros pariter aggreſſus eſt: qui viginti centurionibus crematis, hoc velut ſacramento ſumpſerant bellum, adeò certa victoriæ ſpe, ut prædam in anteceſſum pactione dividerent. Cheruſci equos, Suevi aurum & argentum, Sicambri captivos elegerant.* Demum Druſus à Viſurgi revertens, cum toto exercitu, à Sicambris circumdatus ferè periiſſet. Dio lib. 54. *Regreſſus in ſociorum terram, in ſummum devênit periculum, inſidiis hoſtium frequenter læſus, & aliquando in loco anguſto ac concavo circumcluſus, haud procul abfuit, quin cum toto exercitu periret, à qua eum pernicie nihil aliud eripuit, quàm hoſtium temeritas: qui cum uno omnes Romanos impetu deleri poſſe crederent, nullo ordine ſervato eos aggreſſi, victi indè, ferociâque ſuâ fractâ diſceſsêre.* Quare occaſionem irrumpendi in Sicambrorum fines, & ponendi ibidem caſtelli, tum ex bello ipſorum cum Cattis, tum nuperâ ſuâ victoriâ oblatam minimè Druſus neglexit. Dio lib. 54. *In Sicambros irrupit, perque eos in Cheruſcorum regionem uſque ad Viſurgim proceſſit: id ut ei liceret Sicambrorum in Chattos, qui ſoli finitimorum auxilia negaverant, totius populi viribus facta expeditio effecerat, quo tempore Druſus, iis imprudentibus, regionem peragravit, Viſurgim etiam tranſiturus. Ex eo Barbari propius accedere veriti eminus tantùm hoſtem infeſtavêre, ita ut Druſus, &c.*

Quod ad ſedes hujus populi attinet, Sicambri ſive Sigambri Sigam primùm accoluerunt; hinc progreſſi ad Rhenum, cui proximos Cæſar facit; ad Ruram, ubi Sigeburgi, unius ex tribus præcipuis Saxonum caſtellis, veſtigia ſuperſunt; ad Luppiam, & penè ad Viſurgim uſque fines ſuos protulerunt. Dio lib. 54. *Initio veris rurſus ad bellum profectus Rhenum tranſiit, Lupiæque. fluminis ripis ponte junctis in Sicambros irrupit, perque eos in Cheruſcorum regionem uſque ad Viſurgim proceſſit.* Quis non videt, magnum his ver-

bis Paderbornenſis diœceſis tractum deſignari? quem niſi eo itinere tranſierit, intelligi explicarique non poteſt, quâ viâ Luppiæ fluminis ripis ponte junctis in Sicambros irrumpere, perque eos in Cheruſcorum regionem uſque ad Viſurgim procedere, & quomodo redux, ad Luppiæ & Aliſonis confluentes, caſtellum potuerit erigere. Habitarunt igitur eo tempore, quo Druſus Aliſonem munivit, Sicambri in diœceſi Paderbornenſi, Horrion lib. 2. Paneg. c. 9. Ægid. Bucherius in Belgio Rom. lib. 1. c. 14. §. 6. & limes inter ipſos Cattoſque, fuit montis jugum, quod ab Aldenbecâ juxta oppidum Cleinenbergam ad oppidum Brilon extenditur. Cluver. l. 3. c. 9. At brevi deinceps ſpatio in his locis hæſerunt, à Tiberio Cæſare, C. Cenſorino & Aſinio Gallo Coſſ. in Galliam tranſlati, atque in agris Rheno proximis collocati. Sueton. in Aug. c. 23. Eutrop. l. 7. Cluver. l. 2. c. 18. Horrion lib. 2. c. 9. Lipſ. in 2. Annal. Tacit. n. 66. Anno dein proximo, Tiberio, & Calphurnio Piſone Coſſ. Kal. Januarii, quibus Tiberius conſulatum iniit, Romæ triumphati. Cujus triumphi meminêre Velleius l. 2. Dio Caſſius l. 55. Marmor Capitolinum apud Pighium in Faſtis, & Ovid. lib. 4. Triſt. eleg. 2. & l. 3. de Ponto. eleg. 4. Sueton. in Tiberio c. 9. Ex his Sicambris Iſac. Pont. l. 2. orig. Franc. c. 6. conſcriptam arbitratur *Sugambram cohortem, quam Romanus promptam ad pericula, nec minùs cantuum & armorum tumultu trucem haud procul inſtruxerat.* Tacit. 4. Annal. Nec eſt dubium, quin ex his etiam coacta LEGIO SICAMBRORUM, cujus ſub Valentiniano Imp. in limite Iſtri præſidium agitantis monumentum in Pannoniâ prope Budam eſſe repertum auctor eſt Lazius lib. 6. de Rep. Rom. c. 13. Bonfinius lib. 1. rer. Hung. decad. 1. Legionem 1. auxiliatricem ex Sicambris auxiliaribus conflatam ſub Valentiniano II. contra Quados, Sarmatas, Gothoſque, in Pannoniâ excubias habuiſſe aſſerit. Utrum verò non aliqua Sicambrorum portio in antiquis ſedibus permanſerit, controvertitur: negat Cluverius lib. 2. c. 9. affirmant alii, inter quos Horrion. l. c. probantque Strabonis teſtimonio, qui lib. 7. *Sicambrorum*, inquit, *exigua reſtat portio*, in Germaniâ videlicet magnâ, poſtquam inde fuerunt deportati.

Idem

Idem libro eodem narrat à Germanico Cæſare, qui ſub Tiberio Aug. Germaniam adminiſtravit, inter ceteros Germaniæ principes ductum in triumphum *Teudorigem principem Sicambrorum.*

Interim ex Sicambris ortos, adeóque veros extitiſſe Sigambros, priſcos Francorum Reges Merovingos, communiſſima eſt ſententia. Hincmarus in vita S. Remigii lib. 2. c. 11. Greg Turon. lib. 2. c. 31. Venantius Fortunatus lib. 6. carm. 4.

4. DRUSI GRANDE NERONIS OPUS.] Dio l. c. Pertinet ad notitiam & celebritatem Aliſonis, & ſimilis cujuſque operis origo: commendat enim opus auctor nobilis, & venerabile reddit vetuſtas. Neutrum de plurimis inſignibus alioquin urbibus, arcibus & locis, vel non niſi obſcurè, & incertis conjecturis notum. De Aliſone utrumque memoriæ Dio Caſſius prodidit, quod *Druſus prætor Urbanus creatus Q. Ælio Tuberone, Paulo Fabio Maximo Coſſ. initio veris rurſus ad bellum profectus Rhenum tranſiit, & contemptis hoſtibus caſtellum contra eos ad Lupiæ & Aliſonis fluviorum confluentes exſtruxit.* Habet igitur Aliſo conditorem genere, honoribus & rebus geſtis nobiliſſimum, magnæque apud populum Romanum memoriæ, Claudium Neronem Druſum, Octavii Auguſti privignum, fratrem Tiberii, & Germanici patrem. Nec minùs, anno ab U. C. ut Sigonius rationem iniit, 742. nono ante natum Chriſtum exſtructus, antiquitate & magnitudine excellit. Bis quidem C. Julius Cæſar, & primus Romanorum cum exercitu Rhenum tranſiit, Cæſar l. 4. & 6. Florus l. 4. c. 12. Dio l. 39. & 40. ſed intra brevius tempus & minore cum victoriâ rediit, quàm ut caſtellum ponere, vel aliud gloriæ monumentum in hoſtium finibus relinquere potuerit. De primo tranſitu Dio l. 39. ſcribit: *Sed cum Sicambros in loca munita ſe recepiſſe inveniret, Suevos autem ad auxilium his ferendum coire, intra vigeſimum diem regreſſus eſt.* De ſecundo idem lib. 40. *indè quoque maturè metu Suevorum ſe recepit, nullâ re perfectâ, quàm quòd gloriam Rheni alterâ vice trajecti reportavit.* De Druſo Flor. l. 4. c. 12. memorat: *Præterea in tutelam provinciarum, præſidia, atque cuſtodias ubique diſpoſuit, per Moſam flumen, per Albim, per Viſurgim. Nam per Rheni quidem ripam quinquaginta ampliùs caſtella direxit.* Nullum dubium quin per

Lup-

Luppiam & Amiſium eadem diſpoſuerit. Verùm, Aliſone excepto, proprius illorum locus, nomen & initium ignota, incerta & dubia: quia, ut Dio lib. 56. *in hiſtoriis nulla eorum ſit mentio.*

5. GRANDE.] De magnitudine Aliſonis fortè quis dubitabit, atque ex nomine caſtelli, quo à Tacito & Dione appellatur, parvæ rei ſpecimen animo effinget. Verùm grande opus fuiſſe, uſus ejus à Dione lib. 56. occaſione Varianæ cladis, quam ſtatim ſubjungit, deſcriptus, & veteris ſitus veſtigia manifeſtè demonſtrant. *Loca*, inquit, *quædam Germaniæ Romani tenebant, non ſimul, ſed ut fortè ſubacta fuerant hinc inde, unde in hiſtoriis eorum nulla ſit mentio. Iis in locis Romani milites hiberna habebant, urbes condebant, eorum mores jam barbari accipiebant, in forum conveniebant, congreſſuſque cum iis pacatos habebant.* Ingens igitur opus Aliſo fuit: quia exiguum nec valde magnum, præſidio adversùs validiſſimas gentes in mediis eorum finibus, ſedi graviſſimorum bellorum, caſtris, civitati, tribunali & foro frequentiſſimo, quale Aliſone fuiſſe, ex Velleio, Floro, & Dione colligitur, & ſpatio, quod à vico Eſſen ad confluentes Luppiæ & Almæ ultraque protenditur, implendo nequaquam ſufficere potuit.

6. QUO STETERUNT AQUILÆ.] Præcipuum Romanæ militiæ ſignum, quod in omni legione in primâ ſemper cohorte præferri, & in caſtris ante prætorium in terram defigi ſolebat, nec prius hibernis moveri, quàm univerſus exercitus egrederetur, aut captatis auſpiciis legiones in prælium prodirent; hinc Virgil. Æneid. 11. —— *Ubi vellere ſigna*
Annuerint ſuperi. —— Vide Plin. lib. 10. c. 4. Lipſium in milit. Rom. Pierium in hieroglyphicis.

7. JURA DEDIT SIGNIS PERNICIOSA SUIS.] Quia cladis, quâ ſigna amiſſa, occaſionem dedêre. Flor. lib. 4. c. 12. *Itaque improvidum & nihil tale metuentem improviſò adorti, quum ille (ô ſecuritas!) ad tribunal citaret, undique invadunt, caſtra rapiunt, tres legiones opprimuntur.* Velleius lib. 2. *Quo propoſito* (Varus) *mediam ingreſſus Germaniam velut inter viros pacis gaudentes dulcedine, juriſdictionibus agendoque pro tribunali ordine trahebat æſtiva. At illi ſimulantes fictas litium ſeries, & nunc provocantes alter alte-*

alterum injuriâ, nunc agentes gratias, quòd eas Romana juſtitia finiret, feritaſque ſua novitate incognitæ diſciplinæ miteſceret, & ſolita armis diſcerni, jure terminarentur, in ſummam ſocordiam perduxêre Quinctilium, uſque eò, ut ſe Prætorem Urbanum in foro jus dicere, non in mediis Germaniæ finibus exercitui præeſſe crederet. Ita cùm aliàs provinciæ vi partæ jure retineantur; Varus jus dicendo, & negligendo arma, ſignis & rebus Romanis perniciem in Germaniâ attulit.

8. HUC PROPERA.] Quo manifeſtiſſima Velleii, Taciti, & Dionis teſtimonia, locus ad præſidium, hiberna, bellum contra Sicambros, Cheruſcos, Marſos, Bructeros & reliquas finitimas gentes ſuſtinendum & gerendum, ad iter, commeatum, & expeditiones Viſurgim verſus, ad aquationem, annonam exercitûs, equorum pabulum opportunus, item vetuſtiſſimæ munitionis veſtigia, fama ſuperſtes, ſimillima vici & fluminis nomina ducunt vocantque. Nam juxta Tacitum, ad Luppiam; Velleium, non procul à capite Luppiæ; Dionem, ad Luppiæ & Aliſonis fluviorum confluentes, à Druſo revertente à Viſurgi contra Sicambros exſtructus fuit. Præterea clarè ex Velleio, vicinum Varianæ cladi fuiſſe, colligitur. Idem clariùs Tacitus tradit, additque inter Aliſonem & Rhenum cuncta Germanicum permuniviſſe. Sed etſi Aliſonis Romani ſitus à tribus Romanæ hiſtoriæ clariſſimis ſcriptoribus ſit deſignatus; fuêre tamen, qui alibi caſtellum illud collocaverint. Ortel. in theſauro geographico. *Aliſo caſtellum habet Tacitus ad Rhenum. Hujus & Paterculus quoque meminit. Hodie Weſel vocari ad oſtium Lupiæ H. Junio placet. Iſelburg eſt Hieronymo Verrutio, quod magis probo. In doctiſſimis Sckegkii ad Velleium notis lego, à Rhenano pro Alzheim haberi. Aliſo Dioni fluvius eſt, quem idem Verrutius de Oude Iſſel interpretatur. Aliſum* Ἄλεισον *Ptolemæo ad Rhenum urbs. Hanc Villanovanus Harſtein putat: ipſe viderit. Heroldo circa Hailprun & Saltzhorn videtur ad Concharum amnem.* Verum horum omnium opiniones falſas eſſe, ut Cluverius ſcribit, facilè diſertiſſimis ipſorum auctorum teſtimoniis probari poteſt. Ad Rhenum eſſe nequit; quia Tacitus cuncta inter Aliſonem & Rhenum permunita teſtatur: fuit ergò à Rheno remotus. Habet quidem Veſalia,

Iſelburgum & Altzheimium cum Aliſone aliquam ſimilitudinem nominis, aſt iis in locis Luppiæ & Aliſonis flumina non confluunt. Quare vera & communiſſima ſententia, quam Cluverius l. 3. Germ. antiq. Iſac. Pontan. lib. 1. Geldr. Joannes Horrion l. 2. Panegyr. Paderb. c. 9. Pideritius in chron. Lipp. Teſchemacherus in chron. Clivienſi. Stangevolius & plures tenent, in Diœceſi Paderbornenſi, ubi prope Neuhuſium, haud procul Paderbornâ, Luppia & Alma coëunt, Aliſonem conſtituit. Quod ſi *Aliſi* memorati à Ptolemæo vera ſedes ad Rhenum fuerit, à Velleii, Taciti, Dionis Aliſone diverſum erit; ſed utrum omnes Ptolemæi civitates per Germaniam rectis veriſque ſitibus ſint locatæ, multi dubitant. Interim cum ſatis oſtenſum ſit, Aliſonem in diœceſi Paderbornenſi, ad confluentes Almæ & Luppiæ ſitum fuiſſe, ſupereſt inveſtigandum, utrum in vico *Elſen*, an *Neuhuſii*, ubi municipium & arx: pro Elſen nomen, antiquitas & Cluverius; pro *Neuhuſio* facit, quod ibidem ſint propriè Luppiæ & Aliſonis confluentes, nota Aliſonis ex Dione ſedes. Componi poſſe videtur hæc controverſia, ſi cum Horrione dicatur, Aliſonem utrumque locum lato ſuo ambitu comprehendiſſe.

9. PAGO VICINO NOMEN.] Prope Luppiæ & Almæ confluentes antiquus & celebris etiamnum vicus *Elſen*, de quo Cluver. l. c. *Ipſe autem vicus Elſen haud dubiè eſt caſtellum* Ἐλίσων, *quum iiſdem penè literis nomen ejus antiquum in dicto vico exſtet.* In documentis antiquis An. 1058. 1107. 1209. *Helſen*, *Hileſan*, *Heleſon* appellatur: unde vix ambigi poteſt, quin *Elſon* aut *Alſon* quoque priùs dictus fuerit. Frequens enim hujuſmodi nominum in *on* terminatio tum erat. Fuit olim ejuſdem nominis, quod more veteri nobilium à vico ſumpſit, familia equeſtris ſeu militaris *de* Elſen / aliter Ileſen / ex quâ *Hartmannus* & *Hildeburgis* ejus conjunx benefactores Monaſterii Gerdenſis An. 1177. *Rotgerus* An. 1186. *Joannes* & *Volbertus*, ambo Canonici Paderbornenſes; ille An. 1202. 1238. hic An. 1230. 1244. *Suederus* An. 1213. 1272. in antiquis literis memorantur.

10. ET AMNI.] Parum ab Aliſone fluvio nomine differt, re

re ipſâ autem omnino idem eſt *Alma*, qui proximè à capite Luppiæ, eidem infra Neuhuſium arcem, & vicum *Elſen* confunditur: recenſenti enim omnes amnes, qui in Luppiam ſe exonerant, nullus occurrit, qui Aliſoni caſtello magis conveniat. Cluver. l. c. Horrion l. c.

11. LONGA DIES.] Quid hoſtis manu, ferro, & igne non diruit & evertit? quid ſine vi non collabaſcit, & conſumitur ſolâ vetuſtate? E grandi illo Druſi opere, ſi Almæ & Luppiæ confluentes, nomen in vico vicino ſervatum, & exigua foſſarum veſtigia excipiantur, nihil omnino hodie ſupereſt, neque à longiſſimâ memoriâ ſuperfuit. Vix annis 20 ſteterat, quando poſt cladem Varianam à Germanis obſeſſus, atque Lucio Cæditio caſtrorum præfecto, qui cum quâdam manu, ut obſervat Cluverius, præſidio caſtris relictus fuerat, erumpente, in poteſtatem eorundem venit. Zonaras Annal. tom. 2. Hos caſtellum à Romanis deſertum, & ſibi inviſum funditus evertiſſe, Romani nominis odium, & inſitus veteris libertatis amor facilè perſuadent. Inſtauràſſe tamen Romanos certum ex Tacito lib. 2. Annal. *Ipſe* (Germanicus) *audito caſtellum Lupiæ flumini adpoſitum obſideri, ſex legiones eò duxit, &c.* conſervatum quidem tum fuit; *neque enim Cæſari copiam pugnæ obſeſſores fecère, ad famam adventûs ejus dilapſi*: Tac. l. c. ſed non ultra principatum Claudii Imperatoris retentum, qui ut apud Tacit. Annal. 11. habetur, C. Valerio Aſiatico, M. Valerio Meſſalâ Coſſ. qui, Horrionis judicio, à condito Aliſone ſextus & quinquageſimus erat, *adeò novam in Germanias vim prohibuit, ut referri præſidia cis Rhenum juberet.* In quorum tum poteſtatem Aliſo à Romanis iterum deſertus venerit, an poſtea occupatus à Saxonibus, inſtauratuſque à Carolo M. eruditè Horrion c. 10. 11. 12. diſſeruit. Interim dum vetus caſtellum quocunque demum tempore & caſu corruit; ad vicinos Paderæ fontes crevit Paderborna, civitas multis rebus inclyta, & hoc ipſo loco, quo Aliſo ſtetit, nova arx ſurrexit; conſuetum Epiſcoporum ac Principum Paderbornenſium, ab anno milleſimo ducenteſimo, domicilium. Horrion lib. 2. c. 15.


ſeu Luppiæ fontes, Romanorum
et Francorum comitiis clari.

FONTES LUPPIÆ.

MEMORIÆ. SACRUM

LUPPIA. ROMANIS. ANNALIBUS. INCLYTUS. AMNIS
NEC. MINUS. IN. FRANCA. NOBILIS. HISTORIA
HIC. ORITUR. NOMENQUE. DEDIT. FAMAMQUE. NERONUM
QUO. SITA. MAJORIS. CASTRA. FUERE. LOCO
ET. QUEM. CONCILIO. PRO. RELLIGIONE. VOCATO
SAXONIÆ. CAROLUM. TER. CELEBRASSE. FERUNT
DEVENERARE. SACRUM. FLUVII. CAPUT. HOSPES. ET. ALTE
CELATIS. NILI. PRÆFER. ORIGINIBUS
QUI. LICET. INNUMERIS. TUMIDUS. PETAT. AMNIBUS. ÆQUOR
FONTE. TAMEN. MAJUS. LUPPIA. NOMEN. HABET

FERDINANDUS. DEI. ET
APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCO-
PUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR
MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS
COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BA-
RO. DE. FURSTENBERG

AD. FONTES. LUPPIÆ. FLUMINIS. IN. DITIONE
PADERBORNENSI. SURGENTIS. ROMANI
EXERCITUS. HIBERNIS. ET. CAROLI
M. CONCILIIS. CELEBRATOS
M. H. P

NOTÆ.

FOntes & fluvii plures trecentis diœceſin Paderbornenſem irrigant, nec pauci ex his in eâdem naſcuntur. Præcipui & plerique in hiſtoriâ tum Romanâ, tum Francicâ & Saxonicâ nominati. *Alma*, Aliſo olim, *Ambra*, *Amiſius*, *Bevera*, *Dalca*, *Effata*, *Hedera*, *Luppia*, *Luttera*, *Padera*, *Netha*, *Warna* & *Viſurgis*.

1. LUPPIA] Ita apud Tacitum, & rectiùs ſeu magis genuinè; quia in Germanico vocabulo litera *p* geminatur: apud Melam *Lupia*; Dionem & Strabonem Λȣπίας; in Annalibus Francicis *Lippa* & *Lippia* ſcriptum legitur. Hanc poſteriorem dialectum vulgatus ſcribendi loquendique uſus retinuit. In Velleii exemplaribus, in quibus *ad caput Juliæ fluminis* legitur, vel mendum in *Juliæ* pro *Lupiæ*, vel *quaſi in honorem C. Julii Octaviani flumen ſic noviter appellatum.* Lipſ. in Vell. n.194. Bœclerus in eund. Cluverius lib. 3. Germ. antiq. c. 49. Verum uti breve Auguſti ad *Luppiam* imperium fuit mox Rheno terminatum, ita quoque memoria nominis in illo flumine non diu perduravit. Nimis levis & falſa Vadiani doctiſſimi cæteroqui viri, qui *Luppiam* fluvium eſſe putat, quem hodie *Neccarum* vocant, & Irenici ac Spidelii in not. in Bartolinum l. 12. Auſtr. *Lanum* eſſe ſuſpicantium conjectura, ita ut refutatione non indigeat. Diverſus enim ab utroque fluvius, à capite uſque ad oſtium nomen *Luppiæ* gerit, cui ſoli, quæ in Romanâ, Francicâ & Saxonicâ hiſtoriâ memorantur: atque inter cætera, quòd *per Bructeros minores fluat*, Strabo lib. 7. quòd ab *ultimis Bructerorum*, *à ſaltu Teutoburgienſi* & Amiſiâ haud procul abfuerit, Tacitus; quòd *ad caput Tiberius hiberna locaverit*, Velleius; *ad confluentes cum Aliſone caſtellum Druſus poſuerit*, Dio; accommodari queunt. Quomodo igitur aut Neccarus aut Lanus potuit eſſe *Luppia?* non illi *Luppiæ* oppido juxta Ptolemæum in mediis Germaniæ finibus ſito, & in tribus clariſſimis locis ab eo numerato; non *Lippenheimio* in Annalibus Francicis cele-

celebri; non Lipſtadio tribus Paderbornâ milliaribus remoto, quod *Luppiam* antiquum Ptolemæi oppidum Cluver. eſſe contendit; non familiæ nobilium Dominorum & Comitum; non ſaltui, non toti Lippienſi Comitatui nomen dederunt.

2. ROMANIS ANNALIBUS INCLYTUS AMNIS.] Velleii, qui primus inter Latinos amnis meminit lib. 2. Taciti l. 2. Ann. & 5. hiſt. Dionis lib. 54. Multa enim & præclara ad hunc fluvium Druſus, Tiberius, Germanicus egerunt.

3. NEC MINUS IN FRANCA NOBILIS HISTORIA.] Prima ejus, quod ſciam, mentio occurrit apud Fredegarium Scholaſt. cap. CIX. quando (an. 737.) *Carolus Martellus commoto exercitu Francorum, in loco, ubi Lippia fluvius Rhenum ingreditur, ſagaci intentione tranſmeavit, maximâ ex parte regionem illam diriſſimam ſtravit, gentemque Saxonum ſæviſſimam ex parte tributariam eſſe præcepit.* Sæpius deinde expeditionibus Saxonicis implicitus ad *Luppiam* Carolus M. venit, caſtra poſuit, memoriâ & monumento digna multa geſſit. Hinc in Francica hiſtoria, in vita Caroli M. apud Pithæum, Annalib. Franc. apud eundem & Reuberum, Poëtâ Anonymo, Adelmo Benedictino, Reginone, Urſpergenſi, alibique nobilis & clarus Luppia.

4. HIC ORITUR.] Non in montibus Haſſicis, ut Althamerus in Tacit. de morib. Germ. ſed ſub caſtro *Lipſpringâ* uno milliari à *Paderborna* in ultimis Bructeris, & poſtquam ſupra *Neuhuſium Paderam*, *Aliſonem* infra alveo accepit, & multa inſignia caſtra, & oppida alluit; juxta *Veſaliam* in Rhenum evolvitur. Falluntur ergò, qui in eandem cum Amiſia & Viſurgi partem ferri, & Oceanum ſubire exiſtimarunt. Hos ſequi videtur Bartolinus l. 4. Auſtr. ut Spidelius notavit.

Nunc verò Oceani populos, atque extima mundi
Regna ſequar.
Hic fluit & Lupiæ turgeſcens ſanguine ripa.

Errori huic immani & manifeſto anſam præbuit Strabo lib. 7. *In eandem cum Amiſiâ partem feruntur Viſurgis & Lupia amnis, qui per Bructeros minores fluit, diſtans à Rheno* IↃC *ſtadiis*, ſive millibus paſſuum LXXXV. Meliùs Luppiæ oſtium agnovit Mela, lib. 3.

c. 3.

c. 3. *Amnium in alias gentes exeuntium Danubius & Rhodanus, in Rhenum Mænus & Lupia.* Excuſat tamen Strabonem Junius, quaſi ἐπὶ ταῦτα (videlicet ἔθνη, quod præceſſit) id eſt, *ad has nationes* decurrere Luppiam tradiderit. Iſac. Pont. lib. 1. Orig. Franc. c. 9.

5. NOMENQUE DEDIT.] *Lipſpringæ* arci, ſub quâ *Luppiæ* fontes conſpiciuntur, oppidoque, diu poſt conditam arcem, in oppidum evecto: nam ſub initium ſæculi decimi quinti incolæ libertate primum donati vel manumiſſi. ſic quoque in eàdem hac diœceſi vicus quidam Vpſprunck vocatur. Arx porrò & oppidum Lipſpring ad collegium Cathedrale Eccleſiæ Paderborn. ſpectant, & incolumitatem ſuam debent Caſparo Philippo de Ketteler Decano, Joanni Wilhelmo Cantori, & Joanni Henrico Baronibus de Sintzig/ Canonicis Paderbornenſibus; qui arcis ruinam anno MDCXLVI. cùm Vrangelius ſubjecto pulvere nitrato eam funditus evertere decreviſſet, unicè ſunt deprecati.

6. NERONUM QUO SITA MAJORIS.] Horatius lib. 4. od. 14.

Major Neronum mox grave prœlium
Commiſit, immaneſque Rhætos
Auſpiciis repulit ſecundis.

Uterque Neronum diviſis partibus Rhætos Vindelicoſque adgreſſi. Velleius lib. 2. c. 95. Cui ergò Venuſina periphraſis convenit? Tiberio, cui operis adjutor datus fuerat Druſus frater, *quem intra Cæſaris penates enixa erat Livia.* Vell. l. c. ideoque natu minor. Claudius Druſi filius apud Senecam in conſolat. ad Polybium. *Cæſar* (Tiberius) *patruus meus Druſum Germanicum patrem meum, minorem natu, quàm ipſe erat, fratrem intima Germaniæ recludentem, & gentes ferociſſimas Romano ſubjicientem imperio, in complexu & oſculis ſuis amiſit.*

7. CASTRA FUERE LOCO.] Hiberna, Vell. lib. 2. c. 105. *Pietas ſua Cæſarem penè obſtructis hieme Alpibus, in urbem traxit: ad tutelam imperii eum veris initio reduxit in Germaniam; in cujus mediis finibus ad caput Juliæ* (Lupiæ) *fluminis, hiberna digrediens*

grediens princeps locaverat. Juſt. Lipſius in not. ad Velleii lib. 2. n. 194.

8. ET QUEM CONCILIO] Anno 776. vita Caroli M. apud Pithæum, Aſtronomus, Adelmus Benedictinus, Poëta Anonym. Regin. lib. 2. Chron. Annal. Caniſiani.

Ad fontem Lippiæ veniens, ſcribit Aſtronomus, *immenſam illius perfidi populi multitudinem velut devotam & ſupplicem, ac quaſi erroris ſui veniam poſcentem invênit. Cui cùm & miſericorditer ignoviſſet, & eos, qui ſe Chriſtianos fieri velle affirmabant, baptizari feciſſet, datis & acceptis pro fide ſervandâ fraudulentis eorum promiſſionibus, obſidibus quoque, quos imperaverat, receptis, Eresburgo, quod dirutum erat, reſtaurato, alioque caſtello ſuper Lippiam exſtructo, & in utroque non modico præſidio relicto, ipſe in Galliam reverſus in villa Hariſtallo hiemavit.* Terruerat enim Saxones Carolus, *velut ingens tempeſtas omnia proſternens.* Regin. l. c. Vita Caroli. *Et perterriti Saxones omnes ad locum, ubi Lippia conſurgit, venerunt ex omni parte, & Domno regi Carolo per Wadium manibus ſuis reddiderunt patriam, & ſpoponderunt ſe eſſe Chriſtianos, & iterum ſubditi ſunt ditioni Domni regis Caroli.* Cùm An. 780. ad fontem Luppiæ veniſſet, caſtra metatus alteram ſynodum ibidem celebravit. Aſtron. in Annal. *Cum magno exercitu in Saxoniam profectus eſt, tranſienſque per arcem Eresburgum ad fontem Lippiæ venit, ubi caſtra metatus per aliquot dies moratus eſt.* Regino.

Vita Caroli apud Pithæum: *Iterum iter peregit ad diſponendam Saxoniam, & pervenit ad Eresburgum, & indè ad locum, ubi Lippia conſurgit, ibique ſynodum tenuit*; in qua Carolus M. litem multis annis agitatam, inter Aſſuerum Abbatem Prumienſem, & Weomadum Archiep. Trevirenſem, de cella S. Goaris ad Rhenum, ſecundùm Abbatem decîdit, & monaſterio Prumienſi cellam donavit. Browerus lib. 7. Annal. Trevirenſ.

Tertium & maximum ſeu generale concilium in An. 782. incidit. Aſtron. *Æſtatis initio, cùm propter pabuli copiam duci poterat, in Saxoniam eundum, & ibi, ut in Franciá quotannis ſolebat, generalem conventum habendum cenſuit. Trajectoque apud Coloniam Rheno, cum omni Francorum exercitu ad fontem Lippiæ venit, & caſtris ibi po-*

C *ſitis*

ſitis per dies non paucos ibidem moratus eſt. Regin. lib. 2. *An. dom. incar.* 782. *Carolus Coloniam veniens Rhenum tranſiit, & ſynodum tenuit, ubi Lippia conſurgit*. Annal. Caniſii.

In hoc conventu legati, quos Godefridus Nortmannorum rex & Avarorum principes Cacanus & Jugurtus miſerat, auditi. Vita Caroli M. Aſtron. in Annal. Annales incerti auct. apud Pith. Regino, Urſperg. ll. cc. Abfuit autem Widichindus. Aſtron. Urſperg. Regino, Annales incerti auctoris apud Pithæum. *An.* 782. *Carlus habuit conflictum in loco, ubi Lippia oritur, cum omnibus primatibus Saxonum, excepto Widikindo rebelle, & iis, qui cum eo erant.*

9. DEVENERARE SACRUM FLUVII CAPUT.] Sacri olim fontes habiti, & floribus, aris, ſacrificiis culti. Virg. l. 7. Æneid. Horat. lib. 1. od. 1. lib. 3. od. 13. Mart. lib. 4. c. 57. Seneca epiſt. 41. *Magnorum fluminum capita veneramur: ſubita ex abdito vaſti amnis eruptio aras habet*. Latè hæc ſuperſtitio patuit, nam ad Saxones quoque & Pruſſios pervaſit. Adamus Brem. *Frondoſis arboribus fontibuſque venerationem exhibebant*. De Pruſſiis Helmoldus lib. 1. cap. 1. circa An. 1168. *Uſque hodie profecto inter illos, cùm cætera omnia communia cum noſtris, ſolus prohibetur acceſſus lucorum & fontium, quos autumant pollui Chriſtianorum acceſſu*. Alium atque alia ex cauſa honorem *Luppiæ caput* meretur, nempe ob memoriam ſacri lavacri, quo ad fontes ejus, hauſtis inde aquis, ingenti numero Saxones abluti. Aſtron. Annal. Poëta Anonym. l. c.

10. ET ALTE CELATIS NILI PRÆFER ORIGINIBUS.] Tibullus lib. 1. eleg 8. Horat. lib. 4. od. 14. *Te fontium qui celat origines Nilus*. Lucan. lib. 10. Plinius lib. 5. c. 9. *Nilus incertis ortus fontibus*. Hinc apud Æthiopas *aqua è tenebris profluens* appellatur. Licet ergò Nilus

11. INNUMERIS TUMIDUS PETAT AMNIBUS ÆQUOR,] per oſtia plura, ex quibus ſeptem potiora Plin. l. c. enumerat:

12. FONTE TAMEN MAJUS,] illuſtrius religione & armis, caſtris & conciliis, & tam Romanæ quàm Francicæ hiſto-

riæ

riæ monumentis celebratum nomen habet Luppia: nam Nili è contrario fons aut omnino abſconditus, aut ſaltem obſcurus & incertus, nec ullâ memorabili re inſignis & cognitus. Plin. l. c. *Nilus incertis it fontibus, & per deſerta & ardentia, & immenſo longitudinis ſpacio ambulans, famâque tantùm inermi quæſitâ cognitus, ſine bellis, quæ cæteras omnes terras invenêre.*



CLADES VARIANA.

MEMORIÆ. SACRUM

EN. UBI. ROMANÆ. CLADIS. MONUMENTA. SUPERSUNT
VARUS. ET. ARMINIO. STRATUS. AB. HOSTE. JACET
ET. CAMPO. IN. MEDIO. NOTUM. VICTORIA. NOMEN
SERVAT. ADHUC. NOSTRIS. INCLYTA. TEMPORIBUS
AUSPICIIS. RAPUIT. PUBES. GERMANA. SECUNDIS
IMPERII. GEMINAS. NOBILE. PIGNUS. AVES
DESINAT. EUPHRATES. PARTHOS. MEMORARE. TRIUMPHOS
CLARIOR. EST. CÆSO. LUPPIA. QUINCTILIO
RAPTA. JOVI. LATIO. CRASSI. SPOLIA. ILLE. PEREMPTI
REDDIDIT. HIC. AQUILAS. OBTINET. USQUE. SUAS

FERDINANDUS. DEI. ET APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO. DE. FURSTENBERG

VARIANÆ. CLADIS. PÆNE. EXITIABILIS. ROMANIS. CÆSARE. AUGUSTO. AD. TEUTOBURGIENSEM. SALTUM. INTER. AMISII. ET. LUPPIÆ FONTES. ARMINIO. DUCE. A. CHERUSCIS BRUCTERIS. MARSIS. ET. CONTERMINIS. GENTIBUS. ILLATÆ
M. H. P

NOTÆ.

1. CLADES VARIANA.] Nota hæc clades, quam ex auctoribus antiquis Vellei. lib. 2. Strabo lib. 7. Tacit. lib. 1. 2. 12. Annal. Suetonius in Auguſto c. 23. in Tiberio c. 17. Florus lib. 4. c. 12. Dio Caſſius lib. 56. Plinius lib. 7. hiſt. natur. c. 45. Seneca epiſt. 57. Zonaras Annal. tom. 2. Oroſius hiſt. lib. 6. c. 21. Manilius poëta lib. 1. Ex recentioribus verò præter alios innumeros Philip. Cluver. l. 3. Germ. antiq. c. 19. Joannes Horrion lib. 2. Panegyr. Pad. c. 9. Bernardus Mollerus in deſcript. Rheni lib. 5. Pideritius in chron. Lippienſ. Stangevolius lib. 1. Ann. Circ. Weſtphalici, Bucherius in Belgio Romano, partim prolixiùs deſcripſerunt, partim breviter commemoràrunt, partim eruditè & diligenter illuſtrarunt.

2. EN UBI ROMANÆ CLADIS MONUMENTA SUPERSUNT.] Verus hìc Romanæ cladis monſtratur locus, quem Urſpergenſis, Nauclerus, & alii Auguſtam Vindelicorum; Moguntiam Æneas Silvius; Duisburgum Clivorum Aventinus & Joannes Tybius in antiq. Duisburgi; in Miſniam Irenicus; Strombergam Joannes Gigas, & hunc ſequutus Joannes Baptiſta Nicoloſius; nonnulli ad Embſaram flumen, ubi vicinum Cliviæ oppidum Dinſlacum viſitur, falsò tranſtulerunt. Repugnant enim horum opinioni, aut errori potiùs, & communem certamque de loco deſignato ſententiam confirmant complura monumenta, pleraque ex veterum Romanæ hiſtoriæ ſcriptorum teſtimoniis obſervata, atque etiamnum conſpicua: nimirum medii Germaniæ fines, quatenus ex continuis bellis Romanis fuit cognita. Velleius lib 2. *quo propoſito* (Varus) *mediam ingreſſus Germaniam, velut inter viros pacis gaudentes dulcedine, jurisdictionibus agendoque pro tribunali ordine trahebat æſtiva. At illi, in ſummam ſocordiam perduxère Quinctilium uſque eò, ut ſe Prætorem Urbanum in foro jus dicere; non in mediis Germaniæ finibus exercitui præeſſe crederet.* Via & iter à Rheno ad Viſurgim in Cheruſcorum fines.

fines. Dio l. c. *Quia autem Romanos multos apud Rhenum, multos apud ſe verſari videntes, rebellionem palàm attentare non audebant, Varum ita acceperunt, ut omnibus ejus juſſis obtemperaturi viderentur, proculque eum à Rheno in Cheruſcorum fines, & ad flumen Viſurgim abduxerunt.* Habitus viæ, ſive montes, ſaltus, ſilvæ, paludes, aggeres, pontes. Velleius l. c. *Exercitus omnium fortiſſimus, incluſus ſilvis, paludibus, inſidiis ab eo hoſte ad internecionem trucidatus eſt.* Tacit. 2. Ann. *Præmiſſo Cæcinâ, ut occulta ſaltuum ſcrutaretur, pontesque & aggeres humido paludum & fallacibus campis imponeret.* Dio l. c. *Erant montes, quà Varus tum ducebat, convallibus crebris intercepti ac inæquales: arbores autem denſæ, ac immodicæ proceritatis, quibus Romani ante hoſtium adventum cædendis, viamque parando, & quæ opus habebant, pontibus jungendo defatigati fuerant, &c. Locum modo ibi, ut in monte ſilvis obſito, opportunum nacti, caſtra fecerunt, &c. poſtridie progreſſi ſunt in locum nemore vacuum.* Zonaras l. c. *Illum cum ſuis legionibus in denſis & impeditis ſilvis verſantem, ex improviſo pro notitiâ locorum, quà minimè patebat exitus, circumvenerunt.* Ultima Bructerorum ſedes inter Amiſiam & Luppiam amnes, haud procul Teutoburgienſi ſaltu. Tacit. 4. an. *Ductum indè agmen ad ultimos Bructerorum, quantumque Amiſiam & Luppiam amnes inter vaſtatum, haud procul Teutoburgienſi ſaltu, in quo reliquiæ Vari legionumque inſepultæ dicebantur.* Aliſo & cladi, & tumulo legionum propinquus. Vell. 2. Ann. *Lucii etiam Cæditii præfecti caſtrorum, eorumque, qui unà circumdati Aliſone immenſis Germanorum copiis obſidebantur, laudanda virtus.* Tacit. 2. Annal. *Cæſar audito caſtellum Lupiæ flumini adpoſitum obſideri, ſex legiones eò duxit, neque Cæſari copiam pugnæ obſeſſores fecêre, ad famam adventûs ejus dilapſi. Tumulum tamen nuper Varianis legionibus ſtructum, & veterem aram Druſo ſitam disjecerant. Reſtituit aram, tumulum iterare haud viſum; & cuncta inter caſtellum Aliſonem, ac Rhenum novis limitibus aggeribuſque permunita.* Si itaque in mediis Germaniæ finibus, inter Rhenum & Viſurgim, in Teutoburgienſi ſaltu, prope Amiſiam Luppiamque amnes, ultimos Bructerorum, Aliſonem, aram Druſi, & tumulum Varianarum legionum, duce Arminio à Cheruſcis, Bructeris, Marſis & conterminis gentibus Varia-

na

na clades ſit facta; certum & manifeſtum eſt, alium ejus locum aſſignari non poſſe, quàm medium Paderbornam & Dethmoldiam vel Hornam inter, ubi omnes expreſſas à Velleio, Tacito & Dione περιςάσεις clariſſimè repræſentat ſitus. Duo præterea rivi, *rubeus* & *oſſeus*, ſive Rodenbecke & Knockenbecke / per *Sendæ* deſertum ſaltui Teutoburgienſi proximum defluentes; ille ab aquis ſanguine infectis, hic ab injectis oſſibus appellatus: ubi oſſa humana, diverſi generis arma & numiſmata, in quibus Julii Cæſaris, Octavii Auguſti imagines, atque inſcriptiones agnoſci potuerunt, reperta, magni cum Romanis initi prælii memoriam conſervarunt: & demum non Weſtphali tantùm & Paderbornenſes ſcriptores, *Bernardus Mollerus* in deſcript. Rhen. l. 5. *Hamelman.* de genealog. & famil. Comit. & Baron. infer. Saxoniæ, Angar. & Weſtphal. *Reineccius* in not. ad Poëtam Anonym. de geſt. Carol. M. *Meibomius* in Irminſul. *Horrion* in panegyr. Pad. l. 2. c. 9. *Pideritius* in chron. Lipp. *Stangevol.* lib. 1. Annal. Varum cum exercitu hic cæſum tradidêre: verùm etiam plurimi externi, *Cuſpinian.* in Aug. *Lazius* l. 1. comment. Reip. Rom. c. 8. *Lindenbroch.* in hiſt. Arminii, *Carion* in chron. l. 3. *Pighius* in Hercul. Prodicio, *Lipſius* in Tacit. *Serar.* l. 1. rer. Mogunt. *Althamerus* in Tacit. de morib. Germ. *Browerus* l. 1. Annal. Trevir. David *Chytr.* in orat. de Weſtphaliâ, *Calviſius*, *Iſac. Pontanus* lib. 1. orig. Franc. c. 9. *Teſchemach.* in chron. Cliviæ, March. *Joannes Henricus Hagelgans* in ſuo Arminio An. 1643. edito, *Gratianus Epiſcopus Amerinus* in vitâ Card. Commendoni lib. 2. *Per Weſtphalos iter vertit, viſis circa Paderbornam campis ſaltibuſque Varianâ olim clade, & Armini victoriâ claris. Quæ loca adhuc poſt tot ſæculorum ſpatium à Germanis, cum gloriâ & oſtentatione Majorum ſuorum virtutis, monſtrantur.*

3. VARUS ET ARMINIO STRATUS AB HOSTE JACET.] Tacit. lib. 1. Ann. *Sed Varus, fato & vi Arminii cecidit.* Cùm enim metueret, ne vivus in hoſtium poteſtatem veniret, ſibi ipſi manus intulit. Dio lib. 56. *Ideo Varus aliique primores, jam acceptis vulneribus, cùm metuerent, ne vel in hoſtium poteſtatem vivi venirent, vel ab infenſiſſimo hoſte interficerentur, ſibi ipſi manus attulerunt.*

ierunt. Velleius lib. 2. *Duci plus ad moriendum quàm ad pugnandum animi fuit, quippe paterni avitique exempli ſucceſſor ſe ipſum tranfixit.* Tacit. 1. Ann. *Et cladis ejus ſuperſtites pugnam aut vincula elapſi, referebant, primum ubi vulnus Varo adactum; ubi infelici dextrâ, & ſuo ictu mortem invenerit.* Zonaras Annal. tom. 2. *Itaque Varus & præcipui quique vulnerati, metuentes ne vivi in hoſtium poteſtatem venirent, ultrò ſibi necem conſciverunt.* Non ſine causâ duram captivitatem, aut acerbam mortem à Germanis timuit, quibus adeò inviſus, ut abditum mortui corpus effoderint, laceraverintque. Flor. lib. 4. c. 12. *Ipſius quoque conſulis corpus, quod militum pietas humi abdiderat, effoſſum.* Velleius lib. 2. *Vari corpus ſemiuſtum hoſtilis laceraverat feritas, caput ejus abſciſſum, latumque ad Maroboduum, & ab eo miſſum ad Cæſarem, gentilitii tamen tumuli ſepulturâ honoratum eſt.* Qualis autem genere, ingenio, moribuſque fuerit, & quibus rebus tantum ſui Germanorum odium incurrerit, Velleius l. c. prodidit. *Varus Quinctilius illuſtri magis, quàm nobili ortus familiâ, vir ingenio mitis, moribus quietus, otio magis caſtrorum, quàm bellicæ aſſuetus militiæ; pecuniæ verò, quàm non contemptor, Syria, cui præfuerat, declaravit, quam pauper divitem ingreſſus, dives pauperem reliquit.* Cur illuſtri magis ob recentes magiſtratus & honores, quàm nobili ſive antiquâ familiâ ortum aſſerat, Carolus Patinus de familiis Roman. admiratur; cum Livio teſte, An. U. C. 350. M. Quinctilius Varus Tribunus militum conſulari poteſtate, Dictator verò clavi figendi causâ, An. U. C. 421. Cn. Quinctilius creati fuerint. Interim qualicunque loco natus fuerit, non poterant Germani avaritiam ejus, & imperandi modum tolerare. Dio l. c. *Ubi autem Quinctilius Varus, Germaniæ poſt adminiſtratam Syriam præfectus, rebus ibi gubernandis ſuſceptis imperare, pecuniaſque uti à ſubditis exigere, Germani ejus inceptum non tulerunt, primoribus ipſorum amiſſum principatum deſiderantibus, vulgò conſuetam rerum rationem peregrinæ dominationi anteferente.* Oderant prætereа libidinem ac ſuperbiam. Flor. l. 4. c. 12. *Quippe Germani victi magis, quàm domiti erant, moreſque noſtros magis, quàm arma induerant ſub Imperatore Druſo. Poſtquam verò ille defunctus, Vari Quinctilii libidinem ac ſuperbiam, haud ſecùs, quàm ſævitiam odiſſe cæperunt.*

runt. Oroſius lib. 6. c. 21. *Quinctilius Varus cum tribus legionibus à Germanis rebellantibus, mirâ ſuperbiâ atque avaritiâ in ſubjectos agens, funditus deletus eſt.* Zonaras l. c. *Sed cùm Quinctilius Varus Germaniæ præpoſitus, eos ſubitò ac penitùs ab inveteratâ conſuetudine revellere aggrederetur, ſuperbèque & avarè ut mancipiis imperaret, ferre non potuerunt.* His ille moribus & vitiis cauſam bello præbuit; inſidiis verò & cladi occaſionem dedit falſa ejus de Germanis opinio, ſocordia, & militum diſſipatio. Velleius l. c. *Is cum exercitui, qui erat in Germaniâ, praeeſſet, concepit eſſe homines, qui nihil præter vocem haberent hominum; quique gladiis domari non poterant, poſſe jure mulceri. At illi in ſummam ſocordiam perduxêre Quinctilium, uſque eò, ut ſe Prætorem Urbanum in foro jus dicere, non in mediis Germaniæ finibus exercitui praeeſſe crederet.* Flor. l. c. *Auſus ille agere conventum; & in caſtris ſe direxerat, quaſi violentiam barbarorum & lictoris virgis, & præconis voce poſſet inhibere.* Dio l. c. *Ibi ſumma in pace ac amicitia erga eum viventes, in hanc eum opinionem adduxêre, quaſi poſſent abſque militum opera in ſervitute contineri. Igitur Varus neque milites, quod in hoſtico fieri debet, uno loco continuit.* Præcipuè verò ſecuritas, & nimia fiducia in eo arguitur. Flor. l. c. *Tanta erat pacis fiducia, ut ne prædictâ quidem, & proditâ, per Segeſten unum principum, conjuratione commoveretur. Itaque improvidum, & nihil tale metuentem, improviſò adorti, quum ille (O ſecuritas!) ad tribunal citaret, undique invadunt.* Vell. l. c. *Id Varo per virum ejus gentis fidelem, clarique nominis Segeſten indicatur, negat itaque ſe credere, ſpemque benevolentiæ ex merito æſtimare, nec diutius poſt primum indicem ſecundo relictus eſt locus.* Dio l. c. *Jam fidente rebus Varo, ac nihil tale exſpectante; ac non modo fidem omnem iis, qui rem, ut erat, ſuſpicantes, eum, ut caveret ſibi, monebant, abrogante, ſed etiam objurgante eos, quòd fruſtra ſibi timerent, ac illos in invidiam vocarent, repentè ex compoſito quidam ex longinquis Germani inſurgunt.* Hinc illæ Segeſtis apud Tacit. 1. Ann. querelæ: *Ego raptorem filiæ meæ Arminium apud Varum, qui tum exercitui præſidebat, reum feci, dilatus ſegnitiâ ducis, quia parum præſidii in legibus erat, ut me & Arminium, & conſcios vinciret, flagitavi: teſtis illa nox, mihi utinam potiùs noviſſima! quæ ſecuta ſunt, defleri magis, quàm defendi*

ſendi poſſunt. Orta vel aucta hujuſmodi fiducia ex conviviis, & aſſiduâ conſuetudine cum Arminio & Sigimero. Dio l. c. *Erant inter eos, qui conſpiraverant, & belli, quod tum conflabatur, præcipui Arminius & Sigimerus, ſemper cum Varo converſantes, ſæpiuſque convivantes.* Defuit demum conſilium. Velleius lib. c. *Ex quo apparet, Varum ſanè gravem & bonæ voluntatis virum, magis Imperatoris defectum conſilio, quàm virtute deſtitutum militum, ſe magnificentiſſimumque perdidiſſe exercitum.* Unde Tiberius proximo anno in Germaniam miſſus, *cùm animadverteret, Varianam cladem temeritate & negligentiâ ducis accidiſſe, nihil non de conſilii ſententiâ egit; ſemper aliàs ſui arbitrii, contentuſque ſe uno, tunc, præter conſuetudinem, cùm pluribus de ratione belli communicavit; curam quoque ſolito exactiorem præſtitit.* Suetonius in Tib. c. 18. Sed etſi culpâ Vari ignominioſa clades contigerit; manſit tamen manetque in pluribus locis celebribus memoria nominis ejus: nam *Varisberg*, vulgò *Forſtenberg*, nobilium Virginum Collegium in Cliviâ, *Vari montem*, Pighius in Hercule Prodicio; *Varburgum*, inſigne ditionis Paderbornenſis oppidum, *Variburgum* Serar. lib. 3. rerum Mogunt. notat. 29. ad vitam S. Bonifacii, interpretantur. Nec minori ratione ſunt qui putent, *Varenholtum* in comitatu Lippienſi; in diœceſi Monaſterienſi *Varendorpium* urbem, & *Varlariam* Præmonſtratenſe cœnobium à Varo appellari, atque illud *Vari pagum*, hoc *Vari caſtra* ſignificare.

4. ET ARMINIO,] de quo diſſimili planè Varo Velleius. *Tum juvenis genere nobilis, manu fortis, ſenſu celer, ultra barbarum promptus ingenio, nomine Arminius, Sigimeri principis gentis ejus filius, ardorem animi vultu oculiſque præferens, aſſiduus militiæ noſtræ prioris comes, & jam civitatis Romanæ jus equeſtremque conſecutus gradum, ſegnitiâ ducis in occaſionem ſceleris uſus eſt, haud imprudenter ſpeculatus, neminem celeriùs opprimi, quàm qui nihil timeret, & frequentiſſimum initium eſſe calamitatis, ſecuritatem. Primò igitur paucos, mox plures in ſocietatem conſilii recipit; opprimi poſſe Romanos & dicit, & perſuadet; decretis facta jungit, & tempus inſidiarum conſtituit.* Sunt qui ad Arminium noſtrum ex militiâ Romanâ, in quâ ductor popularium meruerat, notum & cele-

brem in Urbe reſpexiſſe velint Virgilium lib. 11. Æneid. v. 642.

Dejicit Herminium, nudo cui vertice fulva
Cæſaries, nudique humeri; nec vulnera terrent.

Poſtquam multa Arminii facta inſignia Tacitus 1. & 2. Ann. memoravit, præclariſſimo immaturum ejus obitum elogio proſequitur. *Cæterum Arminius abſcedentibus Romanis, & pulſo Maroboduo, regnum affectans, libertatem popularium adverſam habuit: petituſque armis, cum variâ fortunâ certaret, dolo propinquorum cecidit; liberator haud dubiè Germaniæ, & qui non primordia populi Romani, ſicut alii reges duceſque, ſed florentiſſimum imperium laceſſierit: præliis ambiguus, bello non victus, ſeptem & triginta annos vitæ, duodecim potentiæ explevit: caniturque adhuc apud barbaras gentes.*

5. ET CAMPO IN MEDIO.] *Nomen etiamnum retinet inclytus Romanâ clade ſaltus* Teutberg: *& victoriæ cognomine inſignis campus*, Wintfeldt/ *ad oppidulum Hornam in Weſtphaliâ.* Lipſ. in not. ad Tacit. Annal. lib. 1. n. 211. Mollerus, Lindenbrochius, Hamelmannus, Reineccius, Serarius, Iſac. Pontanus, Calviſius, Pideritius, Stangevolius, ll. ſuprà §. 2. citatis, Ægidius Bucher. in Belg. Roman. lib. 3. c. 1. in fine. Hi omnes inter monumenta victoriæ de Romanis reportatæ referunt campum, ſeu jugi planitiem, vulgo Wintfeldt/ appellatam haud dubiè à victoriâ; nam vincere Germanis winnen dicitur; veriquc ſimile videtur, de campo hoc loqui Tacit. lib. 1. Ann. *Medio campi albentia oſſa, ut fugerant, ut reſtiterant, disjecta vel aggerata.*

6. PUBES GERMANA.] Tacit. 1. Ann. Suet. in Aug. c. 23. Flor. Velleius ll. cc. Verè Germana pubes non natione tantùm, verùm etiam virtute, cujus cum aliàs ſæpiſſimè, tum in prælio Variano illuſtre ſpecimen dedit; falsò autem & immeritò de Germanis Velleius, *quod niſi expertus vix credebat, in ſumma feritate verſutiſſimi, natumque mendacio genus.* & Strabo ſcribit lib. 7. *adverſus hos* (Germanos) *plurimum utilitatis in incredulitate: quibus fides habita eſt, ii maxima damna intulerunt: ut Cheruſci, & eorum ſubditi, apud quos tres Romanæ legiones cum Duce Quinctilio Varo, contra datam fidem, inſidiis circumventæ, perierunt.* Alieniſſima

ſima hæc calumnia ab indole, & moribus gentis, cujus fides tantam ſemper laudem habuit, ut vel ipſi Imperatores Romani in Germanorum ſe cuſtodiam tradiderint, & Friſiorum legati Romæ auſi gloriari, *nullos mortalium armis aut fide ante Germanos eſſe.* Tacit. lib. 13. Annal.

7. IMPERII GEMINAS NOBILE PIGNUS AVES.] Florus l. 4. c. 2. Tacit. 2. Ann. *Et cladis ejus ſuperſtites pugnam aut vincula elapſi referebant, hic cecidiſſe legatos, illic raptas aquilas,* quas Germanicus *Romanas aves, propria legionum numina* apud eundem lib. 2. Ann. appellavit.

8. DESINAT EUPHRATES PARTHOS MEMORARE TRIUMPHOS.] Grave quidem vulnus clade Craſſianâ populus Romanus à Parthis accepit. Flor. l. 3. c. 11. ingens indè fama Euphrati; verùm multis nominibus

9. CLARIOR EST CÆSO LUPPIA QUINCTILIO:] de quo reportata victoria magnum nomen decuſque gerit in elogio, quo Germaniam Tacit. de morib. Germ. ornavit. *Sexcenteſimum & quadrageſimum annum urbs noſtra agebat, cùm primùm Cimbrorum audita ſunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone Coſſ. ex quo ſi ad alterum Imperatoris Trajani conſulatum computemus, ducenti fermè & decem anni colliguntur, tam diu Germania vincitur. Medio tam longi ævi ſpatio multa invicem damna. Non Samnis, non Pœni, non Hiſpaniæ Galliæve, ne Parthi quidem ſæpius admonuêre. quippe regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis, quàm cædem Craſſi, amiſſo & ipſe Pacoro, infra Ventidium dejectus Oriens objecerit? At* GERMANI, *Carbone, & Caſſio, & Scauro Aurelio, & Servilio Cepione, M. quoque Manlio fuſis vel captis, quinque ſimul conſulares exercitus populo Romano; Varum, treſque cum eo legiones etiam Cæſari abſtulerunt. nec impunè C. Marius in Italiâ, divus Julius in Galliâ, Druſus ac Nero & Germanicus in ſuis eos ſedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæſaris minæ in ludibrium verſæ. Indè otium, donec occaſione diſcordiæ noſtræ & civilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectavère: ac rurſus pulſi indè, proximis temporibus triumphati magis quàm victi ſunt.*

10. RAPTA JOVI LATIO.] Inſcriptio monumenti Capito-

pitolini apud Lazium lib. 7. comment. Reip. Rom. c. 4. Velleius lib. 2. c. 91. Sueton. in Aug. c. 21. Florus lib. 4. c. 12. Eutropius lib. 7. in Aug. Ovidius lib. 5. & 6. Faſt. & lib. 2. Triſt. Horatius lib. 4. od. 15.

Et ſigna noſtro reſtituit Jovi,
Direpta Parthorum ſuperbis
Poſtibus: &c.

Quantopere ſignis, ſive *ultrò*, ut Florus, ſive, ut Suetonius ait, *repoſcenti*, redditis gaviſus ſit Auguſtus, indicant tot & tam varii hac de re ſignati nummi veteres cum inſcriptione SIGNIS RECEPTIS: quorum icones apud Lazium l. c. expreſſæ.

II. HIC AQUILAS OBTINET USQUE SUAS.] Arminius apud Tacit. lib. 1. *Cerni adhuc Germanorum in lucis ſigna Romana, quæ diis patriis ſuſpenderit.* Nondum ergo tunc, nec unquam Auguſto remiſſa fuerant; an poſtea ductu Germanici, & auſpiciis Tiberii recepta, auctores inter ſe diſſentiunt. Affirmat Tacit. lib. 1. Ann. *Bructeros ſua urentes, expeditâ cum manu L. Stertinius, miſſu Germanici fudit; interque cædem & prædam reperit undevicesſimæ legionis aquilam cum Varo amiſſam.* l. 2. *Ipſe majoribus copiis Marſos irrumpit: quorum dux Malovendus, nuper in deditionem acceptus, propinquo luco defoſſam Varianæ legionis aquilam modico præſidio ſervari indicat.* Ad quem locum Lipſius not. 62. *Hic autem inventa aquilarum una, & ſupra lib. 1. altera; ergò receptæ nunc omnes.* Quâ de causâ arcus erectus dicatuſque: Tacit. l. 2. *Fine anni arcus propter ædem Saturni ob recepta ſigna cum Varo amiſſa, ductu Germanici, auſpiciis Tiberii; & ædes Fortis Fortunæ &c. dicantur.* Quin Dio lib. 57. ſcribit. *At Germanicus expeditione in Germanos proſperâ ad Oceanum uſque proceſſit, barbariſque vi devictis, oſſa eorum, qui cum Varo ceciderant, lecta humavit, ſignaque militaria recepit.* Sed idem Dio lib. 60. Claudio demum Cæſare, unicam quæ reſtabat aquilam, receptam perhibet: ita enim habet. *Eodem anno* (U.C. DCCXCIV.) *Sulpitius Galba Chattos vicit, & P. Gabinius Marſos, qui inter alia, quæ laudi eſſent, militarem aquilam, quæ ſola è clade Varianâ adhuc ſupereras, recuperavit.* Hic aut Tacitum nos fallere, aut Dionem, neceſſe eſt. Quam enim aquilam Tacitus, Male-

Malevendo Marſorum duce atque indice, Germanicum Cæſarem recepiſſe à Marſis, hanc Dio Caſſius ſcribit Claudio demum Cæſare per Legatum Gabinium eſſe recuperatam. Facit hæc diſſenſio magnorum inter Romanos ſcriptorum, ut ſuſpicari libeat, non adeò exploratum fuiſſe ipſis ſcriptoribus, aquilæne omnes redditæ fuerint, nec ne. Ideò Floro potiùs inhærendum cenſeo, qui lib. 4. c. 12. *Signa, & aquilas duas adhuc barbari poſſident; tertiam ſignifer prius, quàm in manus hoſtium veniret, evulſam merſamque intra baltei ſui latebras gerens, in cruenta palude ſic latuit.* Sed an & hæc aquila relata ſit ad Romanos abrumpit Florus. Lipſius ut Florum Tacito conciliet, ſuſpicatur Florum, qui epitomen Livii dedit, ex perſona & ætate Livii tantùm loqui, quâ nondum redditæ erant aquilæ à Germanis. At quis credat Florum, quem Trajani tempore vixiſſe volunt, hanc ævo ſuo populi Romani gloriam ex receptis aquilis diſſimulare potuiſſe, quando tanto triumpho receptas de Parthis aquilas legerat. Quapropter non deſunt, qui aquilas nunquam omnes è Germania receptas ſentiunt. Quos inter Cuſpinianus Florum ſecutus in vita Auguſti. *Nec unquam hæ redditæ ſunt Imperatoribus Romanis, quod Parthi fecerunt, ſed ſemper in hunc uſque diem ſervatæ; licet Tacitus ſcribat Germanicum, cùm in Teutoburgienſi ſaltu reliquias Varianæ cladis inſpicere concupiſceret, per L. Stertinium apud Bructeros undevicеſimæ legionis aquilam cum Varo amiſſam reperiſſe.* Majorem ergò fidem hac in re Floro, quàm Tacito habendam eſſe, & non ſine ratione cenſuit Cuſpinianus: ſi enim verè Variana ſigna recepta fuerunt, cur Tacitus tantùm ac Dio, & quidem diverſè id meminerunt? nam ſigna à Parthis remiſſa poëtæ pariter & hiſtorici magno numero & conſenſu celebraverunt. Cur Velleius, quod gratum, lætum & magnæ gloriæ Tiberio erat, in laudibus ejus alioquin immodicus ſiluit? quomodo contrarium ſcribere Florus auſus eſſet? Arcus quidem ſimilis eſſe potuit triumphis, quos apparatu ſplendidos, victoriæ autem inanes falſoſque, de Germanis non rarò Imperatores Romani egerunt; quod Tacitus quoque de morib. Germ. agnovit. *Inde proximis temporibus triumphati magis, quàm victi ſunt.* Alio quoque & excel-

cellentiori quidem modo aquilas ſuas Luppia uſque obtinet, imperio nimirùm ad Francos primùm, & ab his ad Saxonas, utroſque Luppiæ aliqua ex parte quondam accolas, tranſlato. Nec deſunt, qui imperii inſignia ab aquilis clade Varianâ raptis originem accepiſſe exiſtimarint; ita enim ſenſerunt & ſcripſerunt Cuſpinianus, & Ulricus Huttenus: ille in Aug. *Non enim biceps eſt aquila, ut imperitum vulgus credit: ſed duæ ſimul; quarum altera alteram expanſis alis obtegit, tertiam ſignifer legionis tertiæ abſtulit, paludeque demerſit, ne in hoſtium manus veniret, alioqui tres haberemus aquilas in inſignibus Imperii.* Hic verò & clarius in carmine de Germania non degeneri:

Vindice ut Arminio, celeris prope rura Viſurgis,
Romanas acies, miro Germania motu,
Quinctiliumque ducem conciderit, unde biroſtræ
Contigerint aquilæ, traducti inſignia regni,
Excuſſumque jugum, non tantum hæc tempora noſſent.

Horum aſtipulatorem Flavium Illyricum exagitat & refellit Card. Bellarminus de tranſlat. Imp. Rom. lib. 1. c. 7. §. 2. & *Romanos Imperatores negat bicipitem aquilam in inſignibus ferre ob duas aquilas ab Arminio quondam Vari Legionibus detractas: non enim duas aquilas in inſignibus Impp. gerere, ſed unam diviſam in duo capita: cujus rei cauſam eſſe, quòd imperium eſſet inter duos principes diviſum, quorum alter in Occidente, alter in Oriente ſedem habebat.* Atqui etiam prius, quàm imperium divideretur, in columna Trajana & Antoniana videre fuit duplicem aquilam concorporatam, ſic ut in Imperii inſignibus hodie ſolet. Lipſ. in analectis ad Milit. Rom. dialogo 11. l. iij; p. 356. Edit. 4°.

12. PENE EXITIABILEM.] Sueton. in Aug. c. 23. *Graves ignominias cladeſque, duas omnino, nec alibi quàm in Germania, accepit, Lollianam & Varianam: ſed Lollianam majoris infamiæ, quàm detrimenti; Varianam penè exitiabilem, tribus legionibus, cum duce legatiſque, & auxiliis omnibus, cæſis.* Magnitudinem igitur hujus cladis, quæ à Suetonio penè exitiabilis, à Velleio atrociſſima calamitas vocatur, facilè quis cogitatione comprehendet, ſive cum Polybio lib. 6. tribuat legioni quina millia peditum, & trecen-

centos equites, ſive cum Vegetio peditum ſex millia, equites ſeptingentos & triginta duos. Hujus itaque exercitùs cum auxiliis omnibus, quæ è ſociis conſcripta non minorem certè numerum confecerint, ad internecionem deleti nuntius ingentem mœrorem metumque Auguſto, & Urbi attulit. Velleius l. c. *Ordinem atrociſſimæ calamitatis, quâ nulla poſt Craſſi in Parthis damnum, in externis gentibus gravior Romanis fuit, juſtis voluminibus,* (utinam cum xx. libris de bellis Germanicis à Plinio ſcriptis ſupereſſent!) *ut alii, ita nos conabimur exponere. Nunc ſumma deflenda eſt. Exercitus omnium fortiſſimus, diſciplinâ, manu, experientiáque bellorum inter Romanos milites princeps, ad internecionem trucidatus eſt.* Flor. l. 4. c. 12. *Nihil illâ cæde per paludes, perque ſilvas cruentiùs: nihil inſultatione barbarorum intolerabiliùs, præcipuè tamen in cauſarum patronos. Aliis oculos, aliis manus amputabant: unius os ſectum, recisâ priùs linguâ, quam in manu tenens barbarus, tandem,* inquit, *vipera ſibilare deſiſte.* Sueton. l. c. *Hâc nunciatâ, excubias per Urbem indixit, ne quis tumultus exiſteret: & præſidibus provinciarum propagavit imperium, ut & à peritis & aſſuetis ſocii continerentur. Vovit & magnos ludos Jovi Opt. Max. ſi rempublicam in meliorem ſtatum vertiſſet: quod factum Cimbrico Marſicoque bello erat. Adeò namque conſternatum ferunt, ut per continuos menſes barbâ capilloque ſummiſſo, caput interdum foribus illideret, vociferans: Quinctili Vare, legiones redde: diemque cladis quotannis mœſtum habuerit ac lugubrem.* Metuebat enim, ne unà cum Gallis Italiam ac Romam Germani peterent. Dio lib. 56. Auguſtus *Varianâ clade auditâ, veſtem, ut quidam memorant, laceravit, inque magno luctu fuit, propter amiſſum exercitum, metumque, qui à Germanis, & Gallis impendêre videbatur, maximè quòd eas gentes jam ipſam Italiam ac Romam petituras verebatur; ſed neque urbana juventus magni momenti ſupererat, & ſociorum auxilia, quæ alicujus eſſent pretii, afflicta erant. Nihilominus tamen ad omnia ſe, quantum præſens rerum conditio ferebat, comparavit. Et quoniam ii, qui militari eſſent ætate, dare nomina nolebant, ex iis qui nondum annum trigeſimum quintum attigiſſent, quintum; ex natu majoribus decimum quemque, ut ſors in quemvis incidiſſet, bonis privatum, ignominiâ notavit: poſtremò cùm multi ne ſic quidem obedirent, quoſdam morte*

te mulctavit, &c. Et quia complures Galli ac Germani Romæ obverſabantur, partim peregrinantes, partim inter ſtipatores recipiendi, veritus, ne quid hi novi molirentur, in inſulas armatos amandavit, inermes urbe exire juſſit. Hæc tum ab Auguſto acta: ea quæ decreta fuerant, & inter hæc triumphus Tiberii de Pannoniis, *Ludique omiſſi.* Sueton. in Tib. c. 17. *Nam ſub id ferè tempus Quinctilius Varus cum tribus legionibus in Germania periit: nemine dubitante, quin victores Germani juncturi ſe Pannoniis fuerint, niſi debellatum priùs Illyricum eſſet. Quas ob res triumphus ei decretus eſt, multique & magni honores. triumphum ipſe diſtulit, mœſtâ civitate clade Varianâ.* Etſi hæc clades exitium imperio non attulerit, ingens tamen damnum ex ea conſecutum: nam ut Flor. l. c. *Hac clade factum, ut imperium, quod in litore Oceani non ſteterat, in ripa Rheni fluminis ſtaret.*

13. CÆSARE AUGUSTO.] Paucis ante obitum ejus annis, cùm bellum Pannonicum confectum eſſet, & plures fulſiſſent cometæ. Tacit. 1. Ann. *Bellum eâ tempeſtate*, quâ vivere deſiit Auguſtus, *nullum niſi adversùs Germanos ſupererat: abolendæ magis infamiæ ob amiſſum cum Quinctilio Varo exercitum, quàm cupiditate proferendi imperii.* Velleius lib. 2. *Tantùm quòd ultimam impoſuerat Pannonico ac Dalmatico bello Cæſar manum, cùm intra quinque conſummati operis dies funeſtæ ex Germania epiſtolæ cæſi Vari, trucidatarumque legionum trium, totidemque alarum & ſex cohortium.* Dio l. c. *cælum ſæpiùs ardere apparuerat, multi ſimul cometæ effulſerant.* Manilius l. 1.

Extremas modò per gentes ut fœdere rupto
Cùm fera ductorem rapuit Germania Varum,
Infecitque trium legionum ſanguine campos,
Arſerunt toto paſſim minitantia mundo
Lumina, & ipſa tulit bellum natura per ignes,
Oppoſuitque ſuas vires, finemque minata eſt.

De tempore verò acceptæ cladis variant auctores: Lindebrochius in hiſt Armin. & Helmvicus in theatro, imputant ei annum à nato Chriſto 12. imperii Auguſti 52. & U. C. 762. ſub P. Cornelio Dolabella, & C. Junio Coſſ. quibus de anno Chriſti Baronius, & plures conſentiunt, etſi Browerus, Horrion & Calviſius

viſius 9. & alii 10. ponant: ſimiliterque, juxta Pighium tom. 3. Annal. lib. 18. ac Sigonium comment. in Faſtos, annum U. C. vel 761. vel 763. Coſſ. Sulpitio Camerino & Poppæo Sabino, ut Browero & Stangevolio placet. Quod ſpectat ad tempus anni, longiùs æſtatem proceſſiſſe, ex Velleio colligitur: *Mediam ingreſſus Germaniam, juriſdictionibus agendoque pro tribunali ordine, trahebat æſtiva.* Diem denique cladis tam memorabilis, quem Auguſtus *mæſtum ac lugubrem quotannis habuit*, IV. Non. Sextil. *diem* enimvero, ut notat Gellius lib. 5. cap. 17. & Macrobius lib. 1. cap. 16. *inominalem*, quo malè ad Cannas pugnatum eſt, Pantaleon, Eberus, & qui præterea Beroaldum ſequuntur, aſſignant, eò, quòd Florus lib. 4. cap. 12. ſcribat, *Varus res perditas eodem, quo Cannenſem diem Paulus, & fato eſt & animo ſecutus.* Putarunt enim ſenſum horum verborum eſſe, Varus eo die periit, quo Paulus Cannenſi prælio. Verùm, ut Caſaubonus in Suet. de Aug. c. 23. animadvertit, diem pro clade eleganter Florus uſurpavit. Nonnulli cum Aventino malunt IV. Non. Julii. Sed fruſtra dies quæritur, quem veteres hiſtorici quaſi ex compacto ſiluerunt, aut certum ideò definire fortè neſcierunt, quòd, ut auctor eſt Dio, triduò cum Romanis fuerit dimicatum, & quidem, quod obſervat Henricus Hagelgans in ſuo Arminio, primo die haud procul Aliſone ad caput Luppiæ, altero indè paulò remotiùs juxta arcem Falckenberg, tertio & ultimo prope Hornam aut Dethmoldiam.

14. ARMINIO DUCE.] Flor. l. 4. c. 12. *Duce Arminio arma corripiunt.* Strabo lib. 7. *Arminii, qui belli dux fuerat Cheruſcis, cum violatis pactis Varum Quinctilium invaderent.* Tacit. 2. Ann. *Vis nationum, virtus ducum in æquo: ſed Maroboduum regis nomen inviſum apud populares, Arminium pro libertate bellantem favor habebat*; deſertus tamen ab Ingviomero fuit, *non aliam ob cauſam, quàm quia fratris filio juveni patruus ſenex parêre dedignabatur.* Tacit. 2. Annal. Dux igitur Arminius gentis ſuæ, & ſociorum ejus fuit, omnibus hujus muneris partibus egregiè functus, imò & militis, *qui manu, voce, vulnere ſuſtentabat pugnam.* Tacit. 2. Annal.

15. A CHERUSCIS.] Inter Germaniæ populos, à quibus Variana ſtrages edita, eminuêre Cheruſci, validiſſima tum natio, à Cæſare lib. 6. Velleio lib. 2. Strabone lib. 7. Tacito l. 1. 2. 11. 12. 13. Annal. & de morib. Germ. Plinio lib. 4. c. 14. Floro l. 4. c. 12. Dione l. 54. 55. 56. Faſtis Capitolinis apud Onuphr. & Pighium, Nazario in panegyr. deſcripta celebrataque. Non omnes inter Albim & Viſurgim, ubi vera & præcipua ſedes eorum fuit, & ſilva *Bacenis* pro nativo muro objecta, Cheruſcos à Suevis, Suevoſque à Cheruſcis, injuriis incurſionibuſque prohibuit; etiam pro parte aliqua cis Viſurgim habitârunt. Dio lib. 54. de Druſo: *Lupiæ fluminis ripis ponte junctis, Sigambros irrupit, perque eos in Cheruſcorum fines uſque ad Viſurgim proceſſit.* Velleius lib. 2. *Intrata protinus Germania*, &c. *recepti Cheruſci, & amnis mox noſtrâ clade nobilis tranſitus Viſurgis.* Iſac. Pont. de orig. Franc. l. 1. c. 9. *pro parte cis Viſurgim coluiſſe non abnuerim.* Cluver. l. 3. Ger. antiq. c. 19. Maximè Arminio duce gens hæc floruit, qui Chattos & Cheruſcos, *cum quibus* illi, teſte Tacito 12. Ann. *æternùm diſcordant*, conciliaverat, ut aliquamdiu junctis viribus Romanorum imperium propulſarent; eo vero defuncto recruduit vetus odium, evenitque quod Tacit. de morib. Germ. memorat. *In latere Cauchorum Cattorumque, Cheruſci nimiam ac marcentem diu pacem illaceſſiti nutrierunt, idque jucundiùs, quàm tutiùs fuit. quia inter impotentes & validos falsò quieſcas. ubi manu agitur, modeſtia ac probitas nomina ſuperioris ſunt. Ita qui olim boni æquique Cheruſci, nunc inertes ac ſtulti vocantur. Cattis victoribus fortuna in ſapientiam ceſſit. tacti ruinâ Cheruſcorum & Foſi, contermina gens.* Manſêre tamen adhuc ævo Claudiani veteres ad Albim ſedes, nomenque Cheruſcorum: quod ipſe teſtatur in panegyr. de IV. conſulatu Honorii:

—— *Et ingentes Albim liquêre Cheruſci.*

16. BRUCTERIS.] Non ſolum Cheruſci, verùm etiam Bructeri Varianam cladem effecerunt, qui propterea ſua exuſſerunt, atque à Germanico vaſtati. Tacit. 1. Ann. *Bructeros, ſua urentes, expedita cum manu L. Stertinius, miſſu Germanici, fudit: interque cædem & prædam reperit undeviceſimæ legionis aquilam, cum Varo*

Varo amiſſam. Ductum indè agmen ad ultimos Bructerorum: quantumque Amiſiam & Luppiam amnes inter, vaſtatum.

17. MARSIS.] Antiquâ, & claræ originis in Germania gente. Tacit. de morib. Germ. *Celebrant carminibus antiquis Tuiſtonem deum terrâ editum, & filium Mannum, originem gentis conditoreſque. Manno tres filios aſſignant, &c. Quidam autem, licentiâ vetuſtatis, plures deo ortos, pluresque gentis appellationes, Marſos, Gambrivios, Suevos, Vandalios affirmant: eaque vera & antiqua nomina.* Maximè iis infeſtus Germanicus fuit, abolendæ infamiæ causâ, ob amiſſum cum Quinctilio Varo exercitum, à Tiberio in Germaniam miſſus. Tacit. 1. Ann. *Ventumque ad vicos Marſorum; & circumdatæ ſtationes. Quinquaginta millium ſpatium ferro flammiſque pervaſtat. Profana ſimul, & ſacra, & celeberrimum illis gentibus templum, quod Tanfanæ vocabant, ſolo æquantur.* Idem lib. 2. *Ipſe* (Cæſar) *majoribus copiis Marſos irrumpit, quorum dux Malovendus, nuper in deditionem acceptus, propinquo luco defoſſam Varianæ legionis aquilam, modico præſidio ſervari indicat.* Cauſa igitur hujus vaſtationis, & irruptionis non alia, quàm quòd Varum, per fines Marſorum ad Amiſiam, Dalichium, & Aldenbecam porrectos, ad Viſurgim proficiſcentem, ab iiſdem & conterminis populis cæſum meminerat. Cluver. lib. 3. Germ. antiq. c. 11. Marſorum veſtigium adhuc extat in Dithmarſen / pago diœceſis Paderbornenſis.


1 SALTUS TEUTOBURGIENSIS.
2. Dethmoldia

SALTUS TEUTOBURGIENSIS.

MEMORIÆ. SACRUM

TEUTOBURGENSIS. SALTUS. LOCA. VASTA. PERAGRANS
PAULISPER. COEPTUM. SISTE. VIATOR. ITER
HIC. RAPTAS. AQUILAS. CLADIS. MONUMENTA. LATINÆ
INVENIES. VARI. RELLIQUIASQUE. DUCIS
EGIT. ET. HIC. CELEBREM. THIETMALLO. TESTE. TRIUMPHUM
SAXONICAM. CAROLUS. DEPOPULATUS. HUMUM
UT. MERITO. DUBITES. ROMANA. CÆDE. CRUENTO
ARMINIO. MAJOR. NUM. SIT. HABENDUS. HONOS
SAXONIS. AN. CAROLO. VICTORI. SÆPIUS. HOSTEM
FREGIT. HIC. INDOMITUM. CONTUDIT. ILLE. SEMEL

FERDINANDUS. DEI. ET APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO. DE. FURSTENBERG

SALTUM. LATINIS. TEUTOBURGIENSEM. OSNEGGUM. FRANCIS. APPELLATUM. QUINCTILII. VARI. LEGIONUMQUE. TRIUM. TUMULO. ET. CAROLI. M. VICTORIA. DE. SAXONIBUS. PROPE THIETMALLI. AN. DCC. LXXXIII. REPORTATA. NOBILEM. POSITO. HOC. MONUMENTO. ILLUSTRAVIT

NO-

NOTÆ.

1. SALTUS TEUTOBURGIENSIS.] Meminit hujus ſaltûs Tacitus lib. 1. Ann. *Ductum indè agmen ad ultimos Bructerorum: quantumque Amiſiam & Luppiam amnes inter, vaſtatum: haud procul Teutoburgienſi ſaltu.* Quibus verbis ſatis deſignavit, quo loco ſitus ſit, & ubinam inquirendus; nempe inter *deſertum Sinedi*, & *Dethmoldiam Hornamque* oppida, ubi mons Teuteberg antiquum nomen hodie retinet; cui deſcriptio Taciti, Velleii, ac Dionis de Variana clade teſtimonia conveniunt. Lipſius in Tacit. lib. 2. Ann. n. 211. Reineccius in Poëtam Anonym. de Carol. M. lib. 1. Horrion lib. 2. Panegyr. Pad. c. 9. Althamerus in Tacit. de morib. Germ. Fallitur igitur Aventinus, qui in hiſt. Boiorum, *Teutoburgienſem* Taciti *ſaltum* cum *ſilva Duisbergenſi* in Clivia, vicina Rheno, & ab Amiſii & Luppiæ fontibus longè remota confundit; atque ex hoc errore in alium lapſus, Varum in ea cum legionibus cæſum ſcripſit. Fallitur Joannes Tyius in antiq. Duisbergi, qui Aventino aſtipulatur. Nec refert, quòd ad ſaltum, qui pro vero *Teutoburgienſi* hîc habetur, non videatur eſſe *Teutoburgium*, à quo tamen originem iſtius cognominis petere oportet, minimum autem *Duisburgum* à *Teutoburgio* ſono vocis diſcrepet: ſicuti enim *Duisburgum*, *Diſpargum* Greg. Turonenſi dictum, celeberrima olim Francorum regia fuit; ita *Teutoburgium* antiquum id ipſum eſt oppidulum, quod poſtea *Thietmallum* & *Dethmoldia* dici cœptum, neque adhuc vetus ſuum nomen totum amiſit. Cluver. l. 3. Germ. antiq. c. 15. & 19. Dietmelle *eſſe antiquum illud* Teutoburgium, *à quo* Teutoburgienſis ſaltus *cognomen accepit*, *ipſa hodierna appellatio manifeſtò indicat*; *quippe* Diet *idem eſſe nomen quod* Theuth, *jam dudum innumeris argumentis probatum habeo. Atque vulgare quidem fuit hoc tractu vocabulum* Theut, *locis impoſitum. Nam ab eodem dictus eſt antiquiſſimo nomine vicus ille*, *medio inter Luppiæ fontem &* Theutomellum *ſitu*, Teutenmeyer: *item oppidulum* Diedenhülle / xv. *millibus*

bus paſſuum ab Theutomello *in orientem versùs diſſitum. Cæterùm apud Ptolemæum legitur Germaniæ locus, haud procul lævâ Viſurgis ripâ,* Τουλισούργιον, *quod ego vocabulam ex ſitu & literarum ductu, corruptum eſſe judico pro* Τευτοβούργιον. Accedit Teutonicos montes à Tacito collocari, ubi extrema ſunt Bructerorum; quæ ſanè nemo requiret in Duisbergenſi ſaltu ad Ruram, ſed ad Amiſii & Luppiæ fontes. Forſan ab hoc antiquiore *Teutoburgio* Weſtphalico, in memoriam ejus, appellatum fuit *Teutoburgium* in Pannonia, ad confluentes Dravi & Iſtri, ubi hodie *Draſad* pagus, Teutonum, ut veriſimile, colonia, & quantum conjecturâ aſſequi licet, à Sicambris forſan condita. Lazius lib. 12. comm. Reip. Rom. c. 6. Sicambros enim, ante emigrationem, finitimos Cheruſcis, ubi Dethmoldia, & latè in diœceſi Paderbornenſi habitâſſe, ex Dione ſuprà probatum.

2. LOCA VASTA.] Tum ob ſolitudinem, tum ob amplitudinem *Teutoburgienſis ſaltûs*, qui in diœceſi Paderbornenſi exſurgens, per Lippienſem, Ravensbergenſem, Oſnabrugenſem, Monaſterienſem, & Oldenburgenſem ditionem longiſſimo montium ſilvarumque tractu porrigitur. Vaſta enim loca appellantur, quæ vel magnitudinis terminos excedunt, vel deſerta & ſolitaria ſunt, nec ſine horrore peragrantur. Voſſius in etymolog. In eadem Paderbornenſi diœceſi occaſum verſus conſpicitur *mons Lulli*, quem, dum vigeret potentiorum licentia, & facilis quavis de cauſa apud Majores bellandi rapiendique propriâ auctoritate libido, nobiliorum Weſtphalorum *Purgatorium*, ſeu pœnarum locum appellarunt. Nec longè hinc abeſt *mons Hunnorum*, in quo veterum caſtrorum veſtigia ac munimenta etiamnum apparent, ſimilia iis aggeribus, qui hodiedum prope Brencken / Wevelsburg / Kerckborſen pagos cernuntur, & Hunegraven / ſive Hunnorum foſſæ, nuncupantur. Bollandus in addendis ad XXI. Januarii.

3. SISTE VIATOR ITER.] Vetus in monumentis, & frequens his verbis compellandi viatorem formula. Meretur hanc moram propter Vari cladem, & victoriam Caroli M. in Romana & Francica hiſtoria inclytus ſaltus.

F 4. Hic

4. HIC RAPTAS AQUILAS CLADIS MONUMENTA LATINÆ, &c.] Tacit. l. 1. Ann. Florus lib. 4. c. 12. aliique ſuprà citati.

5. VARI RELLIQUIASQUE DUCIS.] Tacit. lib. 1. Annal. *Haud procul Teutoburgienſi ſaltu, in quo reliquiæ Vari, legionumque inſepultæ dicebantur*; & locis glebofis calvæ, ſeu crania hominum disjecta oſſaque paſſim effodiuntur. Hamelman. in genealogia Com. Lipp. Iſac. Pontanus lib. 1. orig. Franc. c. 9.

6. EGIT ET HIC CELEBREM THIETMALLO TESTE TRIUMPHUM.] Celebrem hìc triumphum Carolus M. egit; bellum enim illud non ducum operâ, ut pleraque alia, ſed auſpiciis & ductu ſuo geſſit, aciem componendo, verſandoque inter medios pugnantium conflictus, inde mox ingentem illam victoriam, innumerabili hoſtium multitudine interfectâ, reportavit. Eginhardus in vit. Caroli M. Aſtronomus in reb. geſt. à Carol. M. apud Reuberum An. 783. Vita Caroli M. à Pithæo edita, Annales Francici incerti, ſed vetuſti ſcriptoris apud eundem, Poëta Anonym. lib. 16. An. 783. Adelmus Benedictinus in Annal. Reg. Franc. An. 783. Annal. Francorum apud Caniſium, Regino in chron. Urſperg. in chron. eodem anno.

Ex his omnium antiquiſſimus Eginhardus ita de hoc prælio ſcribit: *Hoc bellum licet per multum temporis ſpatium traheretur, ipſe non ampliùs quàm bis acie conflixit; ſemel juxta montem, qui* Oſnegge *dicitur, in loco* Thietmelle *nominato, & iterum apud* Aſam *fluvium; & hoc uno menſe, paucis quoque interpoſitis diebus. His duobus prælius hoſtes adeò profligati ac devicti ſunt, ut ulterius Regem neque provocare, neque venienti reſiſtere, niſi aliquâ loci munitione defenſi, auderent.* Vita Caroli M. apud Pithæum: *Iterum rebellant Saxones, & Domnus Rex Carolus ſuper eos ad* Teotmalli *venit, ibi Saxones præparaverunt ſe ad pugnam in campo; ſed viriliter Domno Rege Carolo pugnante Saxones terga vertunt, & Franci victores exiſtunt: ceciditque ibi multitudo Saxonum, ita ut pauci fugâ evaſerint.* Priuſquàm verò alterum prælium ad Haſam iniit, Paderbornam Carolus victor venit. Adelmus: *Arridente veris tempore, cùm ad expeditionem Saxoni-*

xonicam ſe præparâſſet, nam de omnimoda eorum defectione perlatum fuerat, priuſquàm de memorata Theodonis villa ſe moveret, Hildigardis Regina uxor ejus deceſſit pridie cal. Maii, in vigilia aſcenſionis. Regino: *Cujus funeri cum more ſolenni juſta perſolveret, in Saxoniam, ſicut diſpoſuerat, duxit exercitum. Cumque Saxones in eo loco, qui* Thietmelle *vocatur, ad pugnam ſe præparare cognoviſſet, ad eos ſummâ celeritate contendit; commiſſoque cum eis prælio, tantâ eos cæde proſtravit, ut de innumerabili eorum multitudine perpauci evaſiſſe dicantur: cumque de loco prælii ad Padrebrunnam ſe cum exercitu recepiſſet, atque ibi caſtris poſitis partem exercitûs, quæ adhuc de Francia venire debuerat, opperiretur; audivit Saxones in finibus Weſtphalorum Haſam ad hoc congregari, ut ibi cum eo, ſi veniſſet, acie confligerent.* Quia in Thietmellenſi pugna ſingularem Carolus M. Dei opem expertus fuerat, in ejus memoriam ſacellum in monte *Oſnegg* condidit, & utique *à divino auxilio* nomen indidit. Pideritius in chron. Lippienſ. Poëta Anonym. l. c.

Sed tandem Carolus divino munere *victor*,
Cæſis innumeris reliquos exinde fugavit.

Chron. Tremon. apud Stangevol. lib. 2. Ann. *Carolus Rex in monte, ab antiquo Aſneggi dicto, milliare à Lemgauu civitate diſtante, Saxones uſquequo rebelles, iteratò aggreſſus, illos ad internecionem occidit, & transfugas diſſipat: qua in pugna, manifeſtum ei divinum adfuit auxilium, eapropter religione tactus, ne ingratus erga Deum repeyiretur, montem hunc divino cultui conſecravit,* montem ſancti adjutorii *eum baptizando, atque Eccleſiam ibidem fundando, ubi poſteri multis ſæculis, piâ & ab antiquo uſitatâ devotione, illinc peregrinantes divinum auxilium non raro ſenſerunt.* Crantzius lib. 2. Saxon. c. 4. *Ego montem accipio, in quo à memoria Caroli erecta eſt capella,* divini auxilii *nominata, hoc referens poſteris, quod propter cæleſte præſidium in eo miſſum, memoria ibi magni miraculi conſecrata eſt. Laici vocant montem Sancti Adjutorii.* Nomen Germanicum Sant hälffe diutiſſimè manſit, ſenum ſermonibus, ut Reineccius in not. ad Poët. Anonym. hactenus conſervatum, & fortè etiamnum manet; Sacellum jacet deſertum, imò funditus deſtructum. Cur verò idem Reineccius, poſteaquàm ab Hermanno Hamelman-

no etiam vicum Sant hülſſe hodiedum in Diepholtano Comitatu haud procul Diepholdiâ arce extare didiciſſet, mutatâ priori ſententiâ ſuâ, locum *Thietmelle* diverſum ab oppido *Diethmolde* eſſe crediderit, cauſam meo judicio perexiguam habuit. Siquidem Dethmoldienſis victoria divinâ ope parta, uti ſacello, in Lippienſi Comitatu, *Sancti auxilii* olim nomen dedit; ita eodem anno ac menſe, & paucis quidem diebus interjectis, alter de Saxonibus ad Haſam fluvium à Carolo M. deportatus triumphus, Diepholtano vico ac ſacello idem *divini auxilii* nomen potuit imponere; ut eò minùs fuerit neceſſe, antiquum Thietmalli nomen Dethmoldiæ noſtræ abrogare, quod ipſa An. 1011. Eccleſiæ Paderbornenſi donata, in diplomate S. Henrici etiam retinuit, ac meliùs quàm Diepholdia hodie exprimit. Ad Diepholdiæ quidem vicum Drebbenam poſtremam hanc victoriam contigiſſe perhibent Chron. Brunſwicenſe, & Saxonicum MS. Hermannus Hamelmannus in delineat. urbium Weſtphaliæ, Merian in topographia Weſtphal. & Juſtus Winckelmannus vir inprimis eruditus: attamen alii memorabilem hanc pugnam eò loci pugnatam negant, qui longè ab Haſa flumine, prope quod dimicatum eſſe prodidère veteres, remotus eſt. Unde Bernardus Wittius in Chron. ſuo MS. hujus prælii locum Haſelunæ aſſignat, oppido Haſæ fluvio incumbenti. Vero autem ſimilius videri ait Henricus Turckius in Annal. MSS. de inferiori Germania, uno milliari ab Oſnabrugo, apud Haſam flumen, ubi incolæ celebrant Wallenhorſtiam pagum, & Bocholtiam vicum, prope parthenonem Rullenſem, Saxonum caſtris ac ſtativis nobilitatos, inter utrumque locum concurriſſe exercitus, devictoſque Saxones.

7. THIETMALLO.] Loco in Annal. Francicis *Theotmelli*, *Thietmelle*, *Thiotmelli*, *Teotmala*, *Theotmallin*, *Theotmaldi*, *Teotmalli*, *Thietmalli* nuncupato, atque ob antiquitatem maximè claro; utpote cui nomen *Teutoburgium* olim fuit, quod Henricus Tybius in antiq. Duisburg. affingit Duisburgo: at Thietmallo noſtro debitum adhuc manet quoad priorem ſui partem. Nam *Thiet* & *Theut* re eadem, ſolâ dialecto differunt, poſterior verò pars,

pars, ſive burgium *ſolita Germanicorum populorum municipii gentilitiaque appellatio.* Lazius lib. 12. c. 6. in *Mallum* poſtea, incertum quo tempore, commutatum, ſeu quòd *Teut*, ſive *Tuiſconis ſignum* Germanis *mal*, ibidem eſſet, Piderit. p. 1. & 2. chron. Lipp. ſeu veriùs judicii locus. *Mallus* enim & *mallum* judicium ſeu placitum, in quo majora negotia à Comite finiebantur, Francis multiſque aliis gentibus ſignificavit: id quod nos etiam docet Zventeboldi Lotharingiæ Regis, Arnulfi Imperatoris filii nothi, diploma, Abbatiæ Werthinenſi ad Ruram conceſſum. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Zventèboldus miſericordiâ Dei Rex. Comperiat omnium fidelium noſtrorum præſentium & futurorum prudentia. qualiter fratres monaſterii S. Liudgeri quod dicitur Werthina noſtræ ſuggeſſerint dominationi. quatenus ſeipſos & quæ ſua in noſtro regno ſunt. ſub noſtro patrocinio ac tuitione ſuſciperemus & privilegia quæ Priores noſtri pro tuitione illi monaſterio contulerunt. noſtri dignaremur præcepti auctoritate firmare. Quorum ſuggeſtioni ob amorem Dei & interventum honorabilis Ratbodi Trevirorum Epiſcopi & Oddonis fidelis noſtri libentiſſimè annuentes. volumus ut ſub noſtro mundiburdio res quaſcunque in noſtro regno habent ſecurè poſſideant. Donationem ſive illius fiſci quod dicitur Frimersheim. ſive aliarum quarumque poſſeſſionum cum mancipiis & ſilvis. pratis. & omni integritate. ratam teneant & immobiliter ſtabilitam: Item concedimus eis. ut in omnibus mercatibus qui per Rhenum ſunt à teloneis ſint liberi. nec aliquid exigatur ubicumque ad ſuas utilitates indigent emere aut vendere. Item præcipimus ut nullus judex publicus in eorum hominibus habeat ditionem. ſed Advocatus eorum ſuper eis juſtitias agat. nec ad publicum* MALLUM *quiſquam ſuclamationem faciat priuſquam Advocatum eorum interpellaverit pro juſtitia facienda. Et ut hæc auctoritatis noſtræ conceſſio firmior in Dei nomine perſeveret. manu propriâ eam firmavimus & anuli noſtri impreſſione eam ſigillari præcepimus. Signum Zventeboldi gloriosiſſimi Regis. Waltgerus Notarius ad vicem Ratpoti Archiepiſcopi ſummique Cancellarii recognovit. Datæ* V. *idûs Maii. Anno incarnat. dominicæ* DCCC. XCVIII. *Indictione primâ. anno vero Regis piiſſimi Zventeboldi* III. *actum Aquiſgrani palatii. in Dei nomine feliciter amen.* Hinc *mallare* in judicium vocare, *Malleber-*

gium plebs, quæ ad unum placitum convenire ſolet. Hieron. Bignolus in notis ad veteres formulas Marcolfi, Lindenbrog. in gloſſario, Goldaſtus in notis ad part. 1. tom. 1. veterum Germ. ſcript. Plenæ exemplis Salica, Alemannorum, Longobardorum & Ripuariorum leges, Capitula, & Capitulationes Caroli M. & Ludovici Pii, Capit. quæ facta Sueſſ. An. 853. *Comes convenientem locum conſideret, & inveniet, ubi ſtationem ad* MALLUM *tenendum conſtituat.* Talem verò locum ſeu ſtationem *Thietmalli* fuiſſe, præter nomen, hoc diploma S. Henrici. regis confirmat. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Heinricus divinâ ordinante providentiâ Rex. Divinæ pietatis clementia quæ nos ad culmen regiæ majeſtatis perduxit ad hoc voluit regnare. ut eccleſiarum ordini firmando atque corroborando ſubveniamus. his autem maximè locis quæ ab anteceſſoribus noſtris regibus imperatoribus fundata. ſed jam peccatis exigentibus penè videbantur annullata. quaproptcr omnium fidelium noſtrorum præſentium, ſcilicet ac futurorum induſtriæ notum eſſe volumus. qualiter nos divini amoris inſtinctu. pro remedio animæ noſtræ ſeu parentum noſtrorum. nec non & tertii Ottonis. bonæ memoriæ imperatoris. dilectæque conjugis noſtræ.* CUNIGUNDAE. *reginæ interventu. atque Meginwerc ſanctæ Podrebronnenſis eccleſiæ venerabilis epiſcopi rogatu. ſibi. ſuæque ſanctæ eccleſiæ à* KAROLO MAGNO *imperatore olim fundatæ. noſtris verò temporibus incendium paſſæ. in honore etiam ſanctæ Dei genitricis ſemperque virginis* MARIAE. *& Sancti* KILIANI. *martyris.* LIBORII*que confeſſoris dedicatæ. comitatum quem* Hahold *comes dum vixit tenuit. ſitum ſcilicet in locis.* Haverga. Limga. THIATMALLI. Aga. Patherga. Treveresga. Langaneka. Erpesfeld. Silbiki. Matfeld. Nihterga Sinatfeld. Balleuan. propè Spriada. Gambiki. Geſſion. Scuuardeshuſun. *cum omni legalitate in proprium concedimus atque largimur per hanc noſtram regalem paginam. eo videlicet rationis tenore. ut præfatus epiſcopus Meginwerc. ſuique ſucceſſores præſcriptæ aeccleſiæ præſidentes. dehinc liberam habeant poteſtatem de eodem comitatu. ejuſque utilitatibus quicquid eis placuerit faciendi. ad eorum tamen utilitatem eccleſiæ. omnium videlicet inquietudine remotâ. Et ut hæc noſtræ traditionis ſeu confirmationis auctoritas ſtabilis & inconvulſa omni habeatur tempore. hoc præceptum inde*

inde conſcriptum manu propriâ firmare curavimus. & ſigillo noſtro inſigniri juſſimus. Signum Domni Heinrici Regis invictiſſimi. Guntherius Cancellarius ad vicem Erkambaldi Archicappellani recognovi. Datum. IIII. *idus* APRIL. *Indictione.* VIIII. *Anno dominicæ incarnationis milleſimo* XI^mo^. *Anno verò Domni ſecundi Heinrici regnantis.* VIIII. *Actum Triburâ regiâ villâ.* FELICITER AMEN. Cæterùm *Thietmalle*, veteri linguâ Theudiſcâ, *locum auguſtum & heroïcum* ſonare monet Chriſtophorus Browerus in notis ad vitam B. Meinwerci, qui *lapidem quendam altaris, ſpectabilis magnitudinis, à B. Leone Papa conſecratum, de eccleſia Thietmelle allatum, in crypta nova monaſterii ſui, in honore S. Stephani Protomartyris* IV. *Non. Januarii conſecravit, & adorandas ejuſdem Protomartyris reliquias, cum aliis multorum Sanctorum in eo repoſuit.* Auctor vitæ B. Meinwerci. *Thietmalle* hodiè Dethmoldia vocatur, primarium Comitum Lippienſium domicilium, qui Epiſcoporum & Principum Paderbornenſium beneficio, ſeu feudi nomine, hunc locum, aliaque oppida, arces & pagos obtinent. Unde hallucinari colliges Bollandum ad XXVIII. Januarii, in Notis ad vitam Caroli M. *Thietmallum* in diœceſi Oſnabrugenſi collocantem.

8. SÆPIUS HIC HOSTEM.] Sextâ Caroli M. in Saxoniam expeditione, Dethmoldienſis victoria contigit. Anno 786. quatuordecim ejus prælia numerabantur. Fabr. l. 4. orig. Saxon. nec tamen belli adhuc finis: *quo plures tam ex nobilitate Francorum, quàm Saxonum, & functi ſummis honoribus viri, conſumpti ſunt; tandemque anno triceſimo tertio finitum eſt.* Eginhard. in vita Caroli M. Locum confecti hujus belli, qui *Salz* ad Salam dicitur, acceptum ferimus Poëtæ Anonymo, qui veriſimiliter fuit Paderbornenſis; nam Annal. Franc. Regino, Adelmus & alii, ut rem totam ſuppreſſere? Nec Eginhardus, quem auctor citat, in vita Caroli M. πάντα περὶ πάντων habet. Ut eundem auctorem ex alio Eginhardi opere de geſtis Saxonum pleraque mutuatum ſuſpicetur Rein. Reineccius in not. ad Poëtam Anonym. ad An. DCCC. III. Sed audiamus ipſum Poëtam:

Nobilis hic annus longi certamina belli

Tan-

Tandem Saxones inter Francoſque peracti,
Firmo perpetuæ concluſit fœdere pacis.
Auguſtus pius ad ſedem SALZ *nomine dictam*
Venerat, &c.

9. CONTUDIT ILLE SEMEL, &c.] Clade ſcil. Varianâ, quâ factum eſt, *ut Germania mox magis turpiter amiſſa ſit, quàm glorioſè acquiſita, atque imperium, quod in litore Oceani non ſteterat, in ripa Rheni fluminis ſtaret.* Flor. l. 4. c. 12. nec ſtabilem deinceps Romani ad Luppiam & Viſurgim figere pedem potuerunt.

10. OSNEGGUM FRANCIS.] Eginhard. in vita Caroli: *Semel juxta montem, qui Oſnegge dicitur, in loco Tietmelle nominato.* Crantz. l. 2. Sax. c. 4. recitatis his verbis, mox ſubdidit: *ita ſcribunt Galli proprietatem linguæ non tenentes.* Atqui Eginhardus Germanus fuit, rectiuſque montis nomen, quod Crantzius *Aſneggi* vocat, expreſſit: ita enim ſcriptum legitur in diplomate Caroli M. de quodam nemore in ſilvâ *Oſning*, Wihoni Oſnabrug. Epiſcopo in perpetuum proprietatis uſum donato, quod infra ex autographo fideliter deſcriptum leges. Ottonis M. An. 965. de eodem apud Ertwinum in Chron. Oſnab & S. Heinrici literis, in quibus An. 1002. regni ſui 1. *Incendio Paderbrunnenſis Eccleſiæ miſerabili condolens, & petitioni fidelis ſui Retharii venerabilis Epiſcopi annuens, in ſupplementum Eccleſiæ, in jus conceſſit, & per regale præceptum corroboravit, foreſtum, quod incipit de Luthera flumine, & tendit per* Oſnig *& Sinidi uſque in viam, quæ ducit ad Horihuſam.* Præterea in literis An. 1153. & 1338. datis mentio fit ſilvæ *Oſnine*, prope quam prædium *Kiveninchuſen* dictum, & *Montanorum, quæ* Oſninc *appellantur*, & Gobelinus Perſona in Coſmod. ætat. 6. cap. 85. pag. 276. partem illam ſilvæ Teutoburgienſis, quæ inter Dringenbergam, præcipuum transmontanæ diœceſis caſtrum, & Paderbornam jacet, pariter *Oſing* circa annum 1398. nuncupat. Fuit igitur *Oſnegge*, *Oſnig*, *Oſning*, *Oſnine*, *Oſing* nomen ejuſdem ſaltûs, quem *Teutoburgienſem* Tacitus vocavit, & non pauca, nec obſcura antiqui nominis veſtigia, tum in tractu vicino Oſnabrugæ, forſan prius *Oſninebruchteriæ*. Moller. in deſcript.

ſcript. Rheni lib. 5. tum prope Dethmoldiam alibique ſuperſunt. Nam vallis, quâ illuc ex *Sinedi* deſerto itur, Oſſenthal / quaſi *Oſninthal*, jugum ſeu cacumen montis Dethmoldienſis Egge / ubi Lippienſis ſilva deſinit, campi Oſſenkempe / velut *Oſninkempe*, hodieque vocantur. Idem Teutoburgienſis ſilvæ tractus in diplomate Ottonis III. anno MI. & Henrici Sancti anno MIII. quæ infrà in monumento Sendæ leges, *Ardenna* appellari videtur, *de Foreſto quod incipit de Delhina flumine & tendit per Ardennam & Sinede uſque in viam quæ ducit ad Heriſiam.* In Henriciano eadem verba, præterquàm quod *Sinedi*, *Heriſi*, & *Delhna* in eo legimus. Cæterùm *Dellina* ſeu *Delhna* hodie Dalcke dicitur, & fines diœceſis Paderbornenſis in Stukenbroick præterfluit. *Ardenna Celtis ſilva eſt*, *& plures eo nomine in Gallia ſilvæ*. Bucherius in Belg. Rom. lib. v. cap. CII. n. 8.

II. An. DCC. LXXXIII.] Annales Francici apud Pithæum, Aſtronomus apud Reub. Regino in Chron. Poëta Anonym. lib. I. Annales Caniſiani, ita habent: *Rex Carolus iter fecit per partes Saxoniæ, eò quòd Saxones rebellarent, & cum paucis Francis ad Theotwaldi pervenit, ibi Saxones præparaverunt pugnam in campo*, &c. *Theotwaldi*, ait, quaſi *Teutenberg*, ſeu *Teutoburg*. infra ſaltum denotaret.


FONTES AMISII.

FONTES AMISII.

MEMORIÆ. SACRUM

ILLE. EGO. SUM. AMISIUS. SURGENS. HIS. FONTIBUS. AMNIS
OLIM. ROMANA. NOTUS. IN. HISTORIA
QUI. CENTUM. DELABOR. AQUIS. COMITATUS. IN. ÆQUOR
ANTE. PERERRATIS. URBIBUS. ET. POPULIS
NUNC. CAPUT. OCCULTUM. RIMATUS. VALLE. SUB. IMA
FERNANDUS. NIVEO. CONDECORAT. LAPIDE
AT. TIBI. NESTOREI. MERITIS. PRO. TALIBUS. ANNI
LÆTAQUE. PERPETUO. TEMPORA. VERE. FLUANT
ET. NOMEN. FERNANDE. TUUM. SIC. CRESCAT. EUNDO
AUCTA. VELUT. NOSTRÆ. GLORIA. CRESCIT. AQUÆ

FERDINANDUS. DEI. ET
APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCO-
PUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR
MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS
COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BA-
RO. DE. FURSTENBERG

AD. FONTES. AMISII. ROMANIS. NOTISSIMI. FLU-
MINIS. IN. DITIONE. PADERBORNENSI
NASCENTIS
M. H. P

HOSPES. VIVE. TUÆ. SORTIS. MEMOR. EN. EGO. PARVIS
NOBILIS. HIC. ORIOR. FONTIBUS. AMISIUS
ET. POSTQUAM. FLUVIIS. INGENTIBUS. AUCTUS. IN. ALTUM
VELA. TULI. VASTO. MERGOR. IN. OCEANO
SIC. UBI. PRINCIPIIS. MORTALIA. TENUIBUS. ORTA
CREVERUNT. MAGNIS. AUCTIBUS. INTEREUNT

NOTÆ.

1. FONTES AMISII.] Qui linguâ vernaculâ Ems/ à Mela & Plinio *Amiſius*, *Amiſia* à Tacito, Strabone Ἀμασία, Ptolemæo Ἀμάσιος, atque indè *Amaſus*, *Amaſis*, *Amiſis* & *Amuſus* appellatur. Soliti enim Romani in fluviorum nominibus *e* in *a* commutare; exempla in *Aliſone*, *Albi*, *Adrana*, *Ambra*, *Amiſio*, pro *Elſen*, *Elb*, *Eder*, *Emmer*, & *Ems*. Ex tam variis verò ejuſdem rei nomen proferendi ſcribendique modis rectiſſimus is, quo Plinius & Mela antiquiores Tacito, Strabone & Ptolemæo uſi, & fluvius ab urbis, caſtelli & præſidii loco diſtinguitur: non enim ſolùm Ἀμασία & Ἀμείσεια apud Strab. Ptol. & alios geographos, verum etiam *Amiſia* apud Tacit. l. 2. *Claſſis Amiſiæ relicta, lævo amne*, oppidum vel munimentum ſignificavit. Cluver. l. 3. c. 18. Schildius de Chaucis, lib. 1. c. 9.

2. ILLE EGO SUM AMISIUS.] Clariſſimus & nobiliſſimus amnis. Mela l. 3. c. 3. *In Oceanum Amiſius, Viſurgis, & Albis clariſſimi*. Plin. l. 4. c. 14. *Amnes clari in Oceanum defluunt, Guttalus, Viſtillus ſive Viſtula, Albis, Viſurgis, Amiſius, Rhenus, Moſa*. Adamus Bremenſ. lib. 1. hiſt. eccleſ. c. 2. *Nobiliſſimi Saxoniæ fluvii ſunt, Albis, Sala, Wiſura, quartus* (ſitu, non dignitatis ordine, quo Salam longè præcedit,) *ex magnis Saxoniæ fluminibus eſt Emiſia, qui Weſtvalos à reliquis illius provinciæ dirimit populis. Iſque oritur in ſaltu Padarburnenſi; currit autem per medios Freſonum terminos in Oceanum Britannicum.*

3. OLIM ROMANA NOTUS IN HISTORIA.] Præcipuè Annalibus Taciti, lib. 1. c. 60. *Cæcinam cum quadraginta cohortibus Romanis diſtrahendo hoſti per Bructeros ad flumen Amiſiam mittit. Quantumque Amiſiam & Luppiam amnes inter, vaſtatum.* c. 36. *Mox reducto ad Amiſiam exercitu, legiones claſſe, ut advenerant, reportat.* lib. 2. c. 8. *Uſque ad Amiſiam flumen ſecundâ navigatione pervehitur. Claſſis Amiſiæ relicta, lævo amne.* cap. 23. *Plures Cæſar claſſi impoſitas per fluvium Amiſiam Oceano invexit.* In Strabone l. 7.

Inter

Inter hos & alia ſunt navigabilia flumina, de quibus eſt Amaſia, in quo Bructeros Druſus navali prælio vicit.

4. QUI CENTUM DELABOR AQUIS COMITATUS IN ÆQUOR.] Mela, Plin. ſuprà citati num. 2. in *Britannicum.* Adamus Brem. ad *Aquilonem*, ſive *Borealem Oceanum.* Strabo l. 7. infra *Embdam*, illuſtre in Friſia emporium, evolvitur. Iſac. Pont. lib. 1. orig. Franc. c. 9. longiſſimum enim curſum tenet, & quòd ſi Martiano Heracleotæ fides habenda, in periegeſi orbis, à fontibus Amiſii ad oſtia numerat ſtadia 2310. plurimoſque interim amnes recipit, atque in Oceanum defert: Quos inter nobiliores cenſentur *Werſa* ſeu *Weſa* infra Telgetum, *Alpha* Monaſterienſis ad Schoneflitam, haud procul Lingâ *Alpha* Tecklenburgicus, ad Meppenam *Haſa*, ad Oortum *Soſta* in Amiſium confluentes.

5. ANTE PERERRATIS URBIBUS.] Falsò inter urbes, quas Amiſius pererrat, Althamer. in Tac. de morib. Germ. *Paderbornam*, *Bekenam*, *Monaſterium & Oſnabrugum* numerat: nam partim longiore, partim breviore intervallo ab iis diſtat. Quas autem verè alluat, tabulæ geographicæ demonſtrant; nimirum *Ritbergam*, *Widenbruggum*, *Rhedam*, *Varendorpium*, *Telgetum*, *Rhenam*, *Lingam*, *Meppenam*, ubi *Haſa*, ut dixi, altero Caroli M. cum Saxonibus prælio & victoriâ inclytus amnis confluit; pervagatus inde paludoſa & ſterilia loca, inque Friſiæ aditu Soſta auctus, & relicto ad ſiniſtram Dollarto lacu, ad dextram vero Embdâ civitate, immenſo ore in Oceanum effunditur.

6. ET POPULIS.] ANSIVARIIS olim, qui pulſi à *Chaucis Friſiorum limitaneos agros occupavére*, Tac. 13. Ann. & nomine quæſito ab *Amiſio* aliter *Ampſivarii* vocantur. Cluver. Germ. antiq. l. 3. c. 16. ANGRIVARIIS, quorum *defectio à tergo Cæſari Germanico* ab Amiſia ad Viſurgim profecto, *& caſtra in læva metanti nuntiata*, Tac. 2. Ann. Cluver. Germ. antiq. lib. 3. c. 14. BRUCTERIS, quos *in Amiſia Druſus navali prælio vicit*, Strabo l. 7. & filius Druſi *Amiſiam* & *Luppiam amnes inter, haud procul Teutoburgienſi ſaltu vaſtavit*, Tac. 1. Ann. CHAMAVIS, qui *Bructeris* veris & antiquis *Amiſii* accolis pulſis & exciſis, cum *Angri-*

variis in ſedes eorum migraverunt. Tac. de morib. Germ. Cluv. Germ. antiq. l. 3. c. 14. CHAUCIS, Iſac. Pont. l. c. orig. Franc. c. 9. Altham. in Tac. de morib. Germ. Cluv. l. 3. c. 18. & FRISIIS, de quibus Ptolemæus l. 2. c. 12. *Friſii uſque ad Amiſiam, poſt hos Chauci parvi.* Hodie poſt *Friſios*, *Weſtphalos*, atque ex horum genere *Monaſterienſes*, *Rhedenſes*, *Oſnabrugenſes*, *Ritbergenſes* & *Delbruggienſes* pererrat.

7. IN DIOECESI PADERBORNENSI NASCENTIS.] Non in montibus *Haſſicis*, ut Altham. in Tac. de morib. Germ. nec è ſaltu Teutoburgienſi, quà der Stapelagerberg dicitur, ut Hamelmannus nugatur in genealogia Comitum Lippienſium; neque in Comitatu *Ritbergico*, uti Stangevolius lib. 2. Ann. circuli Weſtphal. ſed in vaſto & arenoſo deſerto *Sendæ*, profunda veſtitaque arboribus vallis, circa quam vaſta planities, lentâ ac copioſâ ſcaturigine ſurgentem, 40. ſtadiis à fontibus Luppiæ effundit.


8. SIC UBI PRINCIPIIS MORTALIA.] Alteram, quam hic ſubjecimus, Amiſii inſcriptionem ex ipſo monumento documentum reputes velim. Initia nimirum ingentium fluminum ex parvis fontibus; indè rivis atque amnibus undique influentibus intumeſcunt, donec pleno aquarum impetu & Neptuni pompâ devolvantur in mare. Ibi nomen, ibi fluxum, ibi alveum amittunt, ſiſtuntque curſum tanquam ad metam à Deo præſcriptam, qui & Oceano limites poſuit. Ita Amiſius, Vidrus, Luppia, Viſurgis, Albis, Rhenus, poſtquam cæteros ad ſe traxère fluvios, ſe demum abſcondunt. Hunc in modum videas ex parvis initiis maximas quaſque urbes excreviſſe, arte naturæ opera imitante. Una Roma hoc docet, quæ paſtoritiâ juvenum manu à Romulo collectâ, in eam potentiam, quâ poſt orbi dominata eſt, aſſurrexit. Idem celebrium per Europam urbium ortus; ſed noſtra hic cumprimis ſpectare libet: *Nullas Germanorum populis urbes habitari ſatis notum eſſe*, ſcribit Tacitus de morib. Germ. *nec pati quidem inter ſe junctas ſedes, colunt diſcreti ac diverſi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit.* Eò Tencteri cæterique Tranſrhenani populi miſsâ ad Ubios legatione poſtularunt ab iis, ut pro communi gentis ſocietate *muros Coloniæ, munimen-*

nimenta ſervitii detraherent, etiam fera animalia, ſi clauſa teneas, virtutis oblviſci. Tacit. lib. 4. Hiſt. Hæc & C. Julii Cæſaris de bell. Gall. lib. 6. Senecæ lib. de gubernat. mundi, Plinii, Herodiani lib. 7. Capitolini in Maxim. aſſertio. Quin poſt Taciti ætatem ad Carolum M. nullæ per Saxoniam civitates, in quibus ex Canonum ſacrorum præſcripto Epiſcoporum ſedes collocaret, uti ipſe querebatur Carolus. Hinc illas in frequentioribus vicis & caſtellis poſuit. Verùm in quas urbes villæ ac vici illi, Chriſtianorum cultu, pòſt excreverint, teſtis Brema, Oſnabruga, Minda, Verda, Monaſterium, Paderborna, Halberſtadium, Hildeſium, Hamburgum, ne quid de Magdeburgo dicam, & aliis Epiſcoporum ſedibus. Erfurtum cùm ſe primùm mœnibus integeret, D. Bonifacius *Paganorum ruſticorum urbem* appellabat. Serar. lib. 3. rer. Mogunt. not. 29. Idem aliarum urbium ortus, cumprimis ab Henrici Aucupis regno, quæ ex villis in vicos, ex vicis in oppida, ex oppidis in civitates ac potentes urbes etiam dominis ſuis formidandas emerſerunt. Sed & magnarum urbium occaſus aſpicias. Bardevicum olim apud nos, Julinum & Wineta, urbium nobiliſſimæ emporiaque celeberrima, modò vix ſua veſtigia monſtrant. Meibom. in Bardov. Ita quæ olim, teſte Ovid. lib. 13. Metamorph.

—— Magna fuit cenſuque viriſque,
Nunc humilis veteres tantummodò Troia ruinas,
Et pro divitiis tumulos oſtendit amorum.
Clara fuit Sparte, magnæ viguêre Mycenæ.
Oedipodioniæ, quid ſunt niſi nomina Thebæ?
Quid Pandioniæ reſtant niſi nomen Athenæ?

Stant noſtræ per Germaniam urbes, & quot interim ſua fata expertæ? quæque liberæ erant, in alterius imperium tranſiere, cùm ſupra libertatem ingenia ſe ferrent: Et *quæ alia res civiles furores peperit, quàm nimia felicitas?* Florus lib. 3. c. 12. Luxus, ſuperbia, Religionis contemptio, cæteraque civium mala, quàm multas peſſum dederunt? Magna flumina, non niſi ubi maxima ſunt, abſorbentur à mari.

DEL-


vulgo Delbruck
ultimorum Bructerorum Sedes.

DELBRUGGIA,

ULTIMA VETERUM BRUCTERORUM SEDES.

MEMORIÆ. SACRUM

BRUCTERUS.HÆC.COLUIT.LOCA.FOETA.PALUSTRIBUS.UNDIS
QUOD. NUNC. INDIGENIS. NOMEN. UT. ANTE. MANET
HIC. VARUM. INFESTO. GERMANICUS. AGMINE. CÆSAR
ULTUS. ET. HOSTILES. DEPOPULATUS. OPES
VICINAM. DRUSO. GENITORI. CONDIDIT. ARAM
ET. TULIT. AUSONIIS. MANIBUS. INFERIAS
POST. UBIUS. FERRO. PARITER. GRASSATUS. ET. IGNI
OBRUTUS. HIC. MAGNA. CLADE. REPENTE. FUIT
VICTAQUE. TERGA. FUGÆ. DEDIT. ET. SUA. SIGNA. RELIQUIT
INCLYTA. VIRTUTIS. BRUCTERE. SIGNA. TUÆ

FERDINANDUS. DEI. ET APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO. DE. FURSTENBERG

DELBRUGGIIS. VETERUM. BRUCTERORUM. ULTIMIS. QUOS. GERMANICUS. CÆSAR. VARIANÆ CLADIS. ULTOR. BELLO. PERSECUTUS. QUANTUM. AMISIAM. ET. LUPPIAM. AMNES. INTER HAUD. PROCUL. TEUTOBURGIENSI. SALTU. VASTAVIT. COLONIENSES. VERO. CLIVIIQUE. PADERBORNENSIBUS. INFESTI. ACCEPTA. INSIGNI CLADE. AN. M.CCCC.X. XV. CAL. DECEMB. ILLUSTRARUNT. OB. FORTITUDINEM. EORUM. AC FIDEM. REIP. PRÆSTITAM
M. H. P

H NO-

NOTÆ.

1. DELBRUGGIA.] Peculiaris inter *Luppiam*, *Amiſiam*, *Vurlam*, *Glennamque* amnes, & *Teutoburgienſem* ſaltum, Diœceſis & Principatûs Paderbornenſis ditio ſeu territorium, in quo, uno magno vico excepto, cæteri incolæ diſperſis longo latoque ſpatio villis & tuguriis habitant, induſtrii, laboris patientes, & militiæ apti, quos *feroces* & *indomitos* injuriâ nominat Gryphiander lib. de Weichbild. Saxon. c. 57. & ex Allobrogibus illuc migraſſe fabulatur Reineccius p. 2. Syntag. fol. 229. & in append. 1. ad Helmoldum. Iiſdem imputari, ait idem Gryphiander, quod in proverbium abiiſſe dicit Freiherus de occultis judiciis, reos primùm in furcam tolli, deinde de illorum admiſſis, aut innocentiâ demum inquiri ſolêre. Sed mittamus putidas Gryphiandri calumnias, quas res ipſa refutat. Hic inter bellicoſæ gentis viros, natales ſuos habuit *Joannes Sporckius*, humili quidem inter colonos ortu, ſed militari & præcelsâ ſupra natalium ſortem indole: Ideò dum Martius calor juvenem ageret, & circum arma Cæſaris ſonarent, abjecto ligone armis ſe induit, ultroque ad Catholici fœderis, & inde ad Cæſaris caſtra tranſiit. Hinc per omnes militiæ gradus provectus, bello Suecico, Gallico, Polonico, Danico & Turcico præclaris ſemper facinoribus gloriam præſtantiſſimi militis ac ducis exæquavit; dum bello demum Hungarico ſupremus exercitus Cæſarei dux, rebelles Cæſari ſubmitteret, Hungariamque perdomaret. Quippe duo ſemper Cæſarei belli fulmina *Joannes Werthius*, & *Joannes Sporckius*, uterque tanquam Cincinnati ætatis noſtræ ex agro ad exercitus ducendos, hoſteſque fatigandos evocati. Nec Cæſar minùs liberalis in *Sporckium*, quàm ille bello fortis, amplis bonis, arcibus & honoribus exornavit; videtque nunc Delbruggia *Sporckium* Imperii Comitem, quem colonum genuit.

2. ULTIMA SEDES.] Tacit. lib. 1. Annal. *Ductum inde agmen*

agmen ad ultimos Bructerorum; *quantumque Amiſiam & Luppiam amnes inter, vaſtatum: haud procul Teutoburgienſi ſaltu.* Ultima verò Bructerorum ſedes Delbruggia vocatur, non eo ſenſu, quaſi noviſſima fuerit: Fuit enim hoc modo & ordine prima, aut certè antiquiſſima; ſed reſpectu temporis, quo Germanicus bellum in Germania geſſit, & reliquorum *Bructerorum*, qui ad inferiores utriuſque fluvii ripas & oſtia pænè pertinuerunt.

3. VETERUM BRUCTERORUM.] Et ſedes & nomen ſæpe vetus hic claruſque populus mutavit. A Velleio, Tacito, Plin. lib. 3. epiſt. 7. Suetonio, Apollinari, Claudiano, *Bructeri*, à Ptolemæo Βȣσάκτεροι, Strabone, Βȣ́κτεροι, vitioſè ab utroque & contra etymon nominis; in Tabula Itineraria *Burcturi* & *Bructuri*, in panegyrico Nazarii *Bruteri*, apud Sulpitium Alexandrinum *Bricteri*, à Beda in hiſtor. Anglorum, Marcellino in vita S. Swiberti *Boructuarii*, à Gregorio 2. Papa in epiſtola quæ exſtat in vita S. Bonifacii, *Borthari* appellantur. Poſtquam verò *pulſis Bructeris ac penitùs exciſis vicinarum conſenſu nationum, ſeu ſuperbiæ odio, ſeu prædæ dulcedine, in fines eorum antiquos Chamavi & Angrivarii immigrarunt*, Tacit. de morib. Germ. ſuperſtites partim ultra *Luppiæ* & *Amiſiæ* fontes ac ſaltum *Teutoburgium* domicilia ad *Viſurgim*, & ſilvam *Hercyniam* quæſivère. Claud. de 4. conſ. Honorii,

—— *venit accola ſilvæ*
Bructerus Hercyniæ.

Partim ad Ruram conſederunt, ubi hodiedum manet veſtigium gentis, *Bruchium* arx, dynaſtiæ *Bruchianæ* caput, ſedeſque Comitum. Inde reſumptis paulatim viribus auſi proferre pomœria, totum Ducatum Montanum, ſubactis pulſiſque Tencteris, ſui juris fecerunt, in Weſterwaldiam uſque progreſſi: nec ſemel negotium faceſſiverunt Conſtantino M. Imp. Hinc in Tabula Itineraria locantur è regione Coloniæ Agrippinæ: à Nazario item & Sulpitio Alexandrino affiguntur ripæ Rheni, numeranturque inter primarios Francorum populos, Romanis ſemper formidabiles; donec unà cum cæteris Francis Gallias invaſerunt. Reliquiæ circa *Ratingam* & *Duſſeldorpium*

 hæ-

hærentes, vivente Sancto Swiberto, à Saxonibus deletæ feruntur.

4. BRUCTERUS HÆC COLUIT LOCA.] Si, ut Tacitus habet, inter *Amiſiam* & *Luppiam*, *haud procul Teutoburgienſi ſaltu ultimi Bructerorum* fuerint, manifeſtum eſt, tractum eos *Delbruggium* tum tenuiſſe, qui *Minores* ſunt dicti, per quos, teſte Strabone lib. 7. *Luppia fluit*, cùm *Majores* Amiſii fuerint accolæ. Unde ad mentem Strabonis & Taciti dicendum, Delbrugios, Rittbergenſes, Rhedanos, Strombergenſes, Widenbrugios fuiſſe *Minores Bructeros*; Tranſiſalanos, Oſnabrugios, Monaſterienſes, Lingenſes, *Majorum* titulo gloriatos.

5. QUOD NUNC INDIGENIS NOMEN UT ANTE MANET.] Mollerus in deſcript. Rheni lib. 5.

Quin & Dalbrugis veſtigia nominis inſunt.

Sive enim *Bructeri* nomen à paludibus, ut Pighius, aliique complures ſentiunt, quas Broucken vocitamus, ut ſint Brouckers quaſi paludum accolæ, ſive à pontibus, qui Brucken appellantur, eſt deductum, *Delbruggiæ* utrumque convenit, quæ & paludoſa eſt, & propterea pontibus aggeribuſque abundat. vide orig. Franc. Iſacii Pontani l. 1. c. 9. Quos haud dubiè Tacit. lib. 1. Annal. de hac in ultimos Bructerorum expeditione Germanici agens, his verbis indicat: *Præmiſſo Cæcinâ, ut occulta ſaltuum ſcrutaretur, ponteſque & aggeres humido paludum & fallacibus campis imponeret*, &c. Huc etiam illi *Pontes longi* pertinent, de quibus idem Tacit. lib. 1. Annal. *Anguſtus is trames, vaſtas inter paludes, & quondam à L. Domitio aggeratus.* Cujus ſi uſpiam, tum in his Weſtphaliæ paludoſis locis uſus fuit, cùm viâ militari à Rheno & oſtio Luppiæ duceretur exercitus ad interiora Germaniæ; quocunque tandem loco eum Lipſius deſignet.

6. HIC VARUM INFESTO.] Hæc potiſſima cauſa fuit expeditionis adverſus Germanos, quâ *ultimi Bructerorum* vaſtati. Tacit. 1. Annal. *Bellum eâ tempeſtate*, quâ Auguſtus obierat, *nullum, niſi adverſus Germanos ſupererat: abolendæ magis infamiæ, ob amiſſum cum Quinctilio Varo exercitum, quàm cupidine proferendi imperii, aut dignum ob præmium.*

7. GER-

7. GERMANICUS.] Druſi filius, *cui, liberiſque ejus, & poſteris cognomen iſtud à Senatu datum.* Flor. lib. 4. c. 12. Dio lib. 55. Suetonius in Claud. c. 1. *Præterea Senatus inter alia complura decrevit Germanici cognomen ipſi poſteriſque ejus.* Quod alii deinde Imperatores, ut Vitellius, *in vita Galbæ Plutarch.* qui etiam *infantem filium Germanicum appellavit.* Tacit. lib. 2. hiſt. Trajanus, *in Panegyrico Plin.* M. Aurelius Antoninus, *Capitolinus.* Commodus Antoninus, *Lampridius.* Antoninus Caracalla, *Spartianus.* aliique Cæſares immeritò ſibi arrogarunt, quando aliis in provinciis parvâ ſtrage excurſantes quoſdam milites Germaniæ vel vicerant, vel in amicitiam receperant, vel domitâ modicâ Germaniæ regione, mox totam Germaniam ſe domuiſſe ſunt gloriati. Elias Schedius de diis Germanis pag. 27. Domitianus autem, cui nomen, teſte Martiale, *Nobilius tribuit domito Germania Rheno*, tam vanus & appetens hujus tituli fuit, ut *poſt duos triumphos, Germanici cognomine aſſumpto, Septembrem menſem & Octobrem, ex appellationibus ſuis Germanicum Domitianumque tranſnominaverit: quòd altero ſuſcepiſſet imperium, altero natus eſſet.* Sueton. in Domitiano cap. 13. Macrob. lib. 1. Saturnal. c. 13. Quàm falſus autem triumphus, & quàm indebitum hoc illi cognomen fuerit, auctor eſt Xiphilinus è Dione, qui *in Germaniam Domitianum cum exercitu profectum, hoſte nuſquam viſo,* ait, *revertiſſe.* Hinc Tacit. in vita Agricol. teſtatur *deriſui fuiſſe* (Domitiani) *falſum è Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus & crines in captivorum ſpeciem formarentur.* Imitatus nimirum ridiculam hac in re C. Cæſ. Caligulæ vanitatem, qui teſte Suet. l. 4. c. 45. *Mox deficiente belli materiâ, paucos de cuſtodia Germanos trajici, occulique trans Rhenum juſſit: ac ſibi poſt prandium quàm tumultuoſiſſimè adeſſe hoſtem nuntiari. Quo facto, proripuit ſe cum amicis, & parte equitum prætorianorum in proximam ſilvam: truncatiſque arboribus, & in modum tropæorum adornatis, ad lumina reverſus, eorum quidem, qui ſecuti non eſſent, timiditatem & ignaviam corripuit: comites autem & participes victoriæ, novo genere ac nomine coronarum donavit, quas diſtinctas* Solis *ac* Lunæ *ſiderumque ſpecie*, exploratorias *appellavit.* Ludicra, & à Germanis noſtris meritò irriſa

expeditio, ut propriè veréque dixerit Tacit. de morib Germ. *Ingentes Caii Cæſaris minæ in ludibrium verſæ.* Pergit Suetonius cap. 47. *Converſus hinc ad curam triumphi, præter captivos & transfugas barbaros, Galliarum quoque proceriſſimum quemque, & ut ipſe dicebat, ἀξιοθριάμβευτον, ac nonnullos ex principibus legit ac ſepoſuit ad pompam: coëgitque non tantum rutilare, & ſubmittere comam, ſed & ſermonem Germanicum addiſcere, & nomina barbarica ferre.*

8. VICINAM DRUSO GENITORI CONDIDIT ARAM.] Tacit. 2. Annal. *Tumulum nuper Varianis legionibus ſtructum, & veterem aram Druſo ſitam disjecerant: reſtituit aram, honorique patris princeps ipſe cum legionibus decucurrit.* antiquiſſimo ritu in funere illuſtrium virorum, quem Virgilius lib. 5. & 11. Æneid. Livius lib. 25. Lucanus lib. 8. Statius lib. 6. deſcripſerunt. Diverſa fuit hæc ara à tumulo honorario, cujus Sueton. in vita Claudii cap. 1. meminit: *Exercitus honorarium ei tumulum excitavit, circa quem ſtato die, quotannis decurreret, & Galliarum civitates publicè ſupplicarent.* Hic enim ad Rhenum erat, (teſte Dione lib. 55. *honorarii ad ipſum Rhenum tumuli dati.* è quibus unum Eutropius lib. 7. hiſt. Rom. apud Moguntiacum fuiſſe perhibet, & Serarius lib. 1. rer. Mogunt. cap. 15. deſcribit) illa verò *Luppiæ* & *Aliſoni* vicina, in ea planitie, ut ſentit Horrion in Panegyr. Paderb cap. IX. quæ inter *Aliſonem* jacet & *Luppiæ caput*, à Germanis disjecta, conditorem ſeu reſtitutorem habuit Germanicum Cæſarem, primam verò originem debet Aliſonenſi præſidio, vel L. Domitio Ænobarbo, Neronis Imp. avo, qui Aliſone relictus, tanquam Germaniæ præſes ſive legatus, viam militarem, ſeu tramitem, teſte Tacit. l. 1. Annal. à Rheno Aliſonem uſque *aggeravit*, ac deinde referente eodem Annal. lib. 4. *exercitu flumen Albim tranſcendit, longiùs penetratâ Germaniâ, quàm quiſquam priorum, eaſque ob res inſignia triumphi adeptus eſt.*

9. ET TULIT AUSONIIS MANIBUS INFERIAS.] Sueton. in vita Caligulæ c. 3. de Germanico: *Sicubi clarorum virorum ſepulcra cognoſceret, inferias manibus dabat. Cæſorum clade Varianâ veteres ac diſperſas reliquias uno tumulo humaturus, colligere ſuâ manu, & comportare primus aggreſſus eſt.* Tacit. lib. 1. Annal. *Igitur*

tur cupido Cæſarem invadit ſolvendi ſuprema militibus ducique; permoto ad miſerationem omni qui aderat exercitu, ob propinquos, amicos, denique ob caſus bellorum & ſortem hominum. Præmiſſo Cæcinâ ut occulta ſaltuum ſcrutaretur, ponteſque & aggeres humido paludum & fallacibus campis imponeret, incedunt mœſtos lucos viſuque ac memoriâ deformes. Prima Vari caſtra lato ambitu & dimenſis principiis trium legionum manus oſtentabant: dein ſemiruto vallo, humili foſsâ, acciſæ jam reliquiæ conſediſſe intelligebantur: medio campi albentia oſſa, ut fugerant, ut reſtiterant, disjecta vel aggerata: adjacebant fragmina telorum, equorumque artus, ſimul truncis arborum antefixa ora; lucis propinquis barbaræ aræ, apud quas tribunos ac primorum ordinum centuriones mactaverant. & cladis ejus ſuperſtites pugnam aut vincula elapſi, hic cecidiſſe legatos; illic raptas aquilas; primum ubi vulnus Varo adactum; ubi infelici dextrâ, & ſuo ictu mortem invenerit; quo tribunali concionatus Arminius; quot patibula captivis, quæ ſcrobes; utque ſignis & aquilis ſuperbè illuſerit. Igitur Romanus qui aderat exercitus, ſextum poſt cladis annum, trium legionum oſſa, nullo noſcente alienas reliquias an ſuorum humo tegeret, omnes ut conjunctos, ut conſanguineos, auctâ in hoſtem irâ, mœſti ſimul ac infenſi condebant. Primum exſtruendo tumulo ceſpitem Cæſar poſuit, gratiſſimo munere in defunctos, & præſentibus doloris ſocius. Dio lib. 57. *At Germanicus expeditione in Germanos properâ ad Oceanum uſque proceſſit: barbariſque vi devictis, oſſa eorum, qui cum Varo ceciderant, lecta humavit.* Non omnium porrò cæſorum oſſa illic condita, ſed quædam aliò, ut terræ mandarentur, tranſmiſſa, indicat lapis, haud ita pridem Veteribus erutus, qui teſte Teſchemachero, in arce nobilium de Loë in Wiſſen adhuc extat, & multis, qui cum Varo occubuerant, Veteribus cenotaphia poſita demonſtrat. Deinde Georgius Agricola in metallicis tradit, tranſmiſſam ſibi ex Hiſpania ab amicis hanc inſcriptionem Helerenæ repertam, cujus fides ſit penes auctorem. OSSA. MILIT. V. ET. XIX. LEG. CUM. QUINCTILIO. VARO. INTERFECTOR. JUSSU. GERMANICI. IMP. HUC. COLLATA. QUIESCUNT

10. POST UBIUS.] Gobelinus Perſona in coſmodrom. ætat. 6. c. 91. *Anno Domini* M. CCCC. X. *ſupradicto inter Dominum Wil-*

helmum

helmum Electum Paderbornenſem ex una, & Dominum Fridericum Archiepiſcopum Colonienſem, & Adolphum Comitem de Clivis & de Marke parte ex altera, ortæ ſunt guerræ graviſſimæ. Unde Archiepiſcopus & Comes valido exercitu conflato terram quandam Domini Electi paludibus & foſſatis undique cinctam, Delbrugge *nominatam, die* XIIX. *menſis Decembris, potenter intrabant. Villani tamen terræ illius eis occurrentes ingreſſum illorum per plures horas retardabant: Sed tandem inermes cedentes armatis in paludes ſe receperunt. Dominus verò Electus à loco ingreſſus hoſtium per pluſquam ſexaginta diſtans ſtadia, hujus facti penitus ignarus, in caſtro ſuo (* Neuhuſio *) reſidebat. Cùmque flamma incendii domorum, perluſtrans aëra, ſibi indicavit adeſſe præſentiam, ipſe de exercitus eorum informatus potentia, bellum cum ipſis inire primo non præſumſit. Et licet Archiepiſcopus & Comes antedicti, in terram illam nocte ſequente caſtra metari decreverant, mulierum tamen loci illius diſpendioſo agente miniſterio domibus, quas pro unius duntaxat noctis commodo, & incendio craſtino præſumpſerant reſervare, furtivum per incendium fruſtrati, ſubitò ipſi, tanquam principes, plus deliciis, quam nocturni frigoris incommodis aſſueti, ſub dio noctem ducere ſibi grave nimis arbitrantes, terram illam pro tunc exire, & ipſius exterminationem craſtino reſervare, ſeque ad alia loca vicina ditioni ſuæ ſubjecta transferre, conſilio deliberabant immaturo. Cùmque viam per quam paulò antè intraverunt, progreſſu feſtino petiverunt, illam ſudibus & foſſatis factam prorſus inviam, & baliſtariorum cuſtodiâ munitam invenerunt: quapropter declinantes abinde, locum alium per paludes ſibi pervium effecerunt, & poſtquam Archiepiſcopus & Comes, cum nonnullis armatis equitibus, & peditibus ſuis univerſis, tranſirent: villani per paludes diſcurrentes, viam hanc, de novo factam, occupant, & adverſariorum plauſtra, ſagittas ferentia, cum bombardis, in tranſitu anguſto, fortiter evertunt. Nam quidam villani, ipſi quaſi quatuor millibus ſagittis emiſſis, fuerant telis prorſus deſtituti: unde tunc telis in plauſtris hoſtium everſis, acquiſitis, balliſtas ſurſum trahunt, ſagittas hinc inde, antè & retrò, dirigunt, & adverſarios propriis eorum jaculis viæ ſic præcluſæ arcent ab acceſſu. Unde, nocte ſuperveniente, principes ipſi inopinatis incommodis fatigati, diviſim per devia, quaſi totâ nocte laborantes, receſſerunt: ſigna ſua, cum magna*


gna

gna parte gentis ſuæ, in terra illa dolenter relinquendo. Illos igitur qui ſic inviti remanebant, villani cæcis ictibus ſagittarum totâ nocte fatigare non ceſſabant. His auditis, Dominus Electus ſuos fideles eâdem nocte, prout circumquaque colligebat, & ſe diluculo cum ſuis ad terram illam feſtinanter conferebat. Illucente igitur diei luce, hoſtes hinc inde per ipſius terræ devia pererrantes, exitûs ſui locum undique quærunt: nec Dominus Electus, tanquam ſuorum fidelium adventûs ſpe ſuſpenſus opportuni, pugnam cum eis ſubitò inire præſumpſit, ſed ipſis tanquam laqueis ſuis comprehenſis diligentiùs obſervatis, quaſi fugam ſimulando, primò divertit ab illis. Illi autem ſe ſic illaqueatos perpendentes, & adverſariorum ſuorum numerum videntes plus & plus augeri, tanquam mortis deſperatione, per paludis invia tranſitum facere tentaverunt: ſed pedites Dn. Electi, præſertim cives Paderbornenſes, illos inter paludes excipientes fortiter, quibuſdam captis, & nonnullis occiſis, hunc eorum fruſtrabantur exeundi conatum. Multi tamen ex eis, priuſquam pedites prædicti eos attigerunt, cum vexillo Comitis evaſerunt. Tandem quaſi horâ poſt meridiem tranſactâ ſecundâ, Dn. Electus eos bello conſtanter aggreditur, & ipſi ex adverſo inſtruentes aciem, equorum curſum calcarium ſtimulis excitabant. Sed ipſi, priuſquam ferri probaretur acumen, occurſum, quem equorum impetu, armorum colliſione, & objectu lancearum exhibuerunt terribilem, declinantes in obliquum, ſubitò verterunt in fugam: ſicque ſtrati ſparſim per agros, & equis, ac curſu devio, & palude devicti, capti ſunt armati numero trecenti ſexaginta, & inermes propè ſexaginta: paucique ex eis vel occiſi, vel palude ſubmerſi ſunt, quorum numerus ad ſedecim fuit æſtimatus, & numerus equorum quos victi perdiderunt ad octingentos equos fuit æſtimatus: quamvis inter dividendum ſpolia, nequaquam tot equi producti fuerunt. Sequente die Electus Dominus à ſingulis captivis juramento ſub certa forma recepto, qui de genere fuerunt militari, unius menſis inducias eis dedit, populares juſſit cuſtodiæ mancipari. Volens tamen cives de Soſato, cæteris popularibus famâ celebriores, militarium prærogativâ gaudere, eis conſimiles inducias dedit, puerìſque miniſterio curſûs equorum deputatis, induciarum tempus ultra tres menſes prorogavit. Elapſo igitur induciarum menſe ſupradicto, ſinguli captivi militaris generis, juxta terminum eis conſtitutum, vi juramenti tacti in captivitatem redierunt

runt. Cives autem de Soſato, armati quippe octoginta octo, & famuli eorum ſedecim, à quodam Comitis prædicti capitaneo in via, quâ ad redeundum in captivitatem tendere videbantur, ſtudiosè capti & cuſtodiæ mancipati, in captivitatem minimè redierunt. An autem cives iſti, vel ex eis aliqui, hujus captivitatis, ſic ab eorum litis conſorte ipſis illatæ, conſcii fuerint conſilii, tunc multi dubitabant: de conſenſu tamen Dominorum ſuorum prædictorum, captivitatem illam prodiiſſe, multi crediderunt. Tolerabiliùs tamen nonnullis viſum eſt, factum hoc in illis, quàm ſi factum fuiſſet in iſtis, qui de genere militari fuerunt procreati: cum principes regni Teutoniæ, more Romanorum antiquorum, qui Marcum Regulum, ſuis temporibus gloriâ militari Romanos ſupergredientem univerſos, juramenti religione tactum, in captivitatem redire volentem, prohibere reveriti pudendum eſſe cenſebant, milites ſuos victos, in fide ſervanda, uſque ad illa tempora non conſueverunt impedire. Exacerbatis autem ſic, ut præmiſſum eſt, Archiepiſcopo & Comite prædictis, guerrarum curſus diriùs inſtauratur, ipſique in quatuor oppidis, videlicet Brilon, Ruden, Geſcke, & Lippe in multitudine armatorum præſidia ponunt, quibus Dominus Electus in duobus diœceſis ſuæ oppidis fideles ſuos opponit, & contractis ſecum in ligam unam Ducibus, Comitibus, nobilibus & Baronibus numero XXI, *cis potenti manu reſtitit. Hinc fiunt hominum cædes, domorum incendia, prædæ multiplices & varii hoſtiles incurſus utrinque. Nunquam tamen Archiepiſcopus vel Comes antedicti, poſt bellum ſupradictum, in perſonis propriis terram ipſius Domini Electi intrare præſumpſerunt: ſed ipſe Dominus Electus ſæpius in perſona propria ducens exercitum, terras eorum prædis & incendiis tentavit pervagari, unde oppidum Kalenhart captum ignis incendio dedit. Magnæ utrobique fiebant expenſæ, ſed quantò magis Domini Archiepiſcopus & Comes divitiis abundabant, tantò in eorum præſidiis fiebant expenſæ potiores. Sed Dominus Electus in expenſis victualium, quas in magna parte ab adverſariis ſuis potenter extorſit, & donorum largitione, præſertim in equis militaribus, quorum ultra ducentos infra tempus hujuſmodi litis largiebatur, tam liberalem ſe exhibuit, quàm benignum familiaritatis affatu cunctis ſe præbuit: quòd plures militares de partibus exteris fama ejus tracti ad ipſum convenerunt. Tandem poſtquam guerrarum hæc tempeſtas* IX. *duravit menſibus, Epiſcopus Leodienſis ob Archiepi-*

chiepi-

chiepiſcopi Colonienſis favorem Electo Paderborn. literas diffidationis direxit. Cujus Domini potentiâ ipſum Electum adverſarii ſui plurimùm terreri æſtimabant Archiepiſcopus & Comes ſupradicti, magnoque conflato exercitu, cum quadrigis multis victualibus & armis onuſtis, tanquam terram Electi manu potenti pervaſuri, ad præſidiorum ſuorum loca ſe contulerunt: viros tamen ſolennes ad certum locum, quaſi inter ipſa adverſa præſidia medium, ipſi, & Dominus Electus ex adverſo conſimiles illis ſuos fideles ſuper pace tractanda miſerunt. Arbitrabantur enim illi, Dominum Electum, exercitûs eorum famæ magnitudine territum, vel ſaltem in aggreſſu potenti eorum neceſſitate coactum, pacem ab eis petere, relaxationis ſponſione captivorum: quod Electus præſentiens, convocatis amicis, ad numerum penè mille lancearum armatorum militarium, abſque popularibus armatis ſubditis ſuis equitibus peditibuſque pervênit. Demum verò, multis tractatibus per amicos utriuſque partis habitis, ſextâ die menſis Septembris, illarum guerrarum tempeſtas per viam compoſitionis amicabilis ad pacis tranquillitatem eſt redacta.


VISURGIS F
1 Herſtel
2. Wirieſſen Vicus.
3. Viſurgis fl. Weſer

VISURGIS.

MEMORIÆ. SACRUM

EXERAT. AMISIUS. STERILES. CAPUT. INTER. ARENAS
ET. PADERÆ. SOCIAS. LUPPIA. JACTET. AQUAS
SOLUS. EGO. PATRIAS. CLARISSIMUS. AMNIS. AD. ORAS
NAVIBUS. EXTERNAS. PORTO. VISURGIS. OPES
NEC. ME. BELLA. MINUS. CELEBRANT. ADVERSA. QUIRITUM
QUAM. QUÆ. PER. FRANCOS. GESTA. FUERE. DUCES
SED. QUOTA. PARS. RERUM. SUPERARET. ROMA. TUARUM
AUT. QUISNAM. ARMINII. NOSCERET. ARMA. MEI
NI. MIHI. QUAM. TACITUS. SCRIPTOR. DEDIT. INCLYTUS. ILLI
REDDITA. CORBEIÆ. MUNERE. VITA. FORET

FERDINANDUS. DEI. ET
APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCO-
PUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR
MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS
COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BA-
RO. DE. FURSTENBERG

IN. RIPA. VISURGIS. ROMANORUM. FRANCO-
RUM. ET. SAXONUM. BELLIS. NOBILISSIMI. A-
MNIS. DIOECESIN. PADERBORNENSEM. IN-
TERFLUENTIS. E. REGIONE. HERI-
STALLI. SAXONICI
M. H. P

NOTÆ.

1. PORTO VISURGIS OPES.] Viſurgis, qui Werrhâ & Fuldâ, infra Mundam, confluentibus, hoc nomen nactus, uſque retinet, dum in Oceanum effunditur, mutuâ Romanorum Germanorumque clade nobilis amnis, à Paterculo, Strabone, Mela, Plinio, Tacito, Floro, Dione, Ptolemæo, Sidonio Apollinari, aliiſque memoratur. Carolo M. in diplomate An. XIII. imp. dato *Wiſeraa*, ſcriptori Annalium Caroli Magni *Wiſaracha*, Aſtronomo, Adelmo, Poëtæ Anonymo ad An. 797. *Wiſura*, Adamo Bremenſi hiſtor. Eccleſiaſt. l. 1. c. 2. *Wiſura*, & *Wirraha*, auctori vitæ Caroli M. apud Pithæum *Wiſera*, Adoni Viennenſi *Wiſer* & *Wiſara*, in LL. Friſonum tit. 1. §. 2. & Reginone *Wiſara*, ſcriptori vitæ S. Adalardi apud Bollandum *Wiſira*, auctori vitæ S. Bonifacii *Wiſaraha*, in hiſt. Bremenſi ad An. 1164. *Wirra*, Ludovico Pio Imp. in diplomatibus Corbeienſi Monaſterio datis anno X & XIII ejus imperii, Epitomatori Geſt. Franc. & Aimoino *Wiſera*, hodie accolis Weſer appellatus. Nonnulli viri docti in carmine Ovidii, ſive Albinovani ad Liviam Auguſtam, *Iturgim* pro *Viſurgi* accipiunt. Quod Cluverius improbat, & *Ilargum*, qui amnis eſt Vindelicæ, legendum oſtendit in Vindelica & Norico cap. 6.

Viſurgim porrò fines diœceſis Paderbornenſis ingreſſum, infra Helmershuſam, celeberrimum olim S. Benedicti Monaſterium, mox ſalutat, ſuiſque lymphis auget *Dimola*, Weſtphaliæ Haſſiæque limes, qui ſupra Eresburgum, nunc Stadberg/ è montibus Weſtphalicis devolutus, Warburgum diœceſis Paderb. oppidum prælerfluit. Indè *Bevera*, & *Netha*, poſt Huxariæ *Grova*, ad Corbeiam *Scelpa*, ad Albaxam *Saumera*, *Viſurgi* illabuntur. Major omnibus *Netha*, prope novam Heriſiam, nobilem in diœceſi Paderbornenſi parthenonem, ortus, campos glebaſque inprimis felices circa Braculenam oppidum, quod in tranſlat. S. Viti An. 836. *villa Brechal* dicitur, latè fecundat.


Dein-

Deinde *Ambra*, ſeu *Emmera* ſupra Hameliam, *Lutera*, *Alpha* & *Wehrna* coëuntes Hervordiæ, unà cum *Begha* Lemgoviam alluente, propè vicum Remen, in Viſurgim ſe evolvunt; amnes ad unum omnes, aut in diœceſi Paderbornenſi nati, aut aquis ſuis eam irrigantes.

2. NEC ME BELLA MINUS CELEBRANT.] Primus Romanorum Druſus exercitum in Cheruſcos uſque ad Viſurgim duxit, non ſine periculo regreſſus; quod Dio Caſſ. l. 54. his verbis prodidit. *Initio veris* (An. U.C. DCCXLII. Q. Ælio Tuberone, & Paulo Fabio Maximo Coſſ.) *rurſus ad bellum profectus, Rhenum tranſiit, Uſipetas ſubjugavit, Lupiæque fluminis ripis ponte junctis, in Sicambros irrupit, perque eos in Cheruſcorum regionem uſque ad Viſurgim proceſſit: id ut ei liceret, Sicambrorum in Chattos, qui ſoli finitimorum auxilia negaverant, totius populi viribus facta expeditio effecerat; quo tempore Druſus iis imprudentibus regionem peragravit, Viſurgim etiam tranſiturus, ni eum inopia alimentorum, ac hyemis propinquitas, præterea examen apum in caſtris viſum deterruiſſent. Regreſſus in ſociorum terram, in ſummum devenit periculum, inſidiis hoſtium frequenter læſus, & aliquando in loco anguſto ac concavo circumcluſus, haud procul abfuit, quin cum toto exercitu periret, à qua eum pernicie nihil aliud eripuit, quàm hoſtium temeritas, qui cùm uno omnes Romanos impetu deleri poſſe crederent, nullo ordine ſervato eos aggreſſi, victi inde, ferociâque ſuâ fractâ diſceſſere. Ex eo Barbari propius adire veriti, eminus tantùm hoſtem infeſtavêre, ita ut Druſus viciſſim iis contemptis, caſtellum contra eos ad Lupiæ & Aliſonis fluviorum confluentes, aliudque in Chattis ad ipſum Rhenum extruxerit.*

Cæterùm locus ille concavus & anguſtus, in quo concluſum à Sigambris reducem à Viſurgi Druſum refert Dio, non alibi inquirendus videtur, quàm in vallibus & ſilvis circa Aldenbecam, vicum diœceſis Paderbornenſis, vel in aditu ſaltûs Teutoburgienſis, ubi, prope Hornam oppidum Lippienſis Comitatûs, admirabilis illa Picarum rupes, vulgò Exterenſtein nuncupata, & hîc exhibita, conſpicitur.

Alte-


PICARUM. RUPES, vulgo

Altera ad Viſurgim expeditio (An. U. C. DCCXLIIII. Nerone Claudio Druſo & T. Quinctio Criſpino Coſſ.) adhuc magis infauſta accidit Druſo, *Qui in Chattorum fines ingreſſus, obvia quaque non ſine magno labore ſubigendo, congreſſoſque præliis haud incruentâ victoriâ ſuperando, uſque in Suevos pervenit: indè in Cheruſcos converſo itinere, Viſurgim tranſgreſſus, omnia populando ad Albim uſque perrexit, qui ex Vandalicis montibus profluens, in Oceanum ſeptentrionalem magnus admodùm factus effluit. Hunc cum fruſtra conatus eſſet tranſire, tropæis conſtitutis receſſit: etenim mulier quædam, humanâ amplior formâ, ei obviam facta: Druſe, inquit, quò tandem nullum cupiditati tuæ modum ſtatuens contendis? non tibi fatis conceſſum hæc omnia videre. quin tu abi: jam enim & operum tuorum, & vitæ inſtat tibi terminus. Oblatam à deo aliquo hanc vocem, mirum profectò eſt: neque tamen mihi fides abroganda videtur huic rei, quam ſtatim eventus comprobavit: nam & continuò retrò ire Druſus cœpit, & in itinere, priuſquàm Rhenum attingeret, morbo deceſſit.* Ita Dio l. 55. *Illum,* inquit, Velleius l. 2. *magna ex parte domitorem Germaniæ, plurimo ejus gentis variis in locis profuſo ſanguine, fatorum iniquitas conſulem, annum agentem trigeſimum rapuit.* Suet. in Claudio c. 1. ait, *in æſtivis caſtris extinctum, quæ deinde ſcelerata ſint appellata.* Liv. l. 140. *redeuntem, ex fracturâ, equo ſuper crus collapſo, trigeſimo quàm acciderat die, mortuum. Inter Salam & Rhenum deceſſiſſe* affirmat Strab. l. 7. Quis ille *Sala?* an is qui in Albim influit, an qui in Mœnum? an quem nos Iſalam nuncupamus in diœceſi Monaſterienſi ſurgentem? Pro hoc faciunt Iſaacus Caſaubonus, & Pontanus, Bertius & Hadrianus Junius, & fusè Waſſenbergius in Embrica lib. 1. c. 2.

Druſi deinde fratre Tiberio ad bellum, quod ante triennium ſub M. Vinicio immenſum exarſerat, ab Auguſto in Germaniam miſſo: *Intrata protinus Germania, ſubacti Caninefates, Attuarii, Bructeri, recepti Cheruſci gentes, & amnis, mox noſtrâ clade nobilis, tranſitus Viſurgis:* Vellei. l. 2. Reductus indè in hyberna ad Luppiæ caput Romanus miles, & inſequentis anni æſtate, ſub duce Tiberio, *perluſtrata armis tota Germania, & uſque ad flumen Albim Romanis cum ſignis perductus exercitus,* & neceſſariò iterum trajectus Viſurgis. Quæ hic de Tiberio, pro more ſuo, Velleius tam gloriosè prædicat, Dio Caſſ. l. 55. refellit, ingenuè faſſus, Tiberium quidem

primò ad Erygrum, deinde ad Albim fluvios progreſſum, nihil tamen magnoperè memorandum egiſſe: Quanquam de Germanis Imperatoris nomen non Auguſtus modò, ſed Tiberius etiam invenerit, honoreſque triumphales C. Sentius Germaniæ præfectus, quòd horum metu bis Germani pacem accepiſſent, &c. Hic loco τȣ̃ Ἐρύγȣ, ſcribendum monet Lipſius in notis ad Velleium, τȣ̃ Οὐεσύργȣ, reductâ ſyllabâ à vocula priori. Idem ſentit Hadrianus Junius c. 21. Batav.

Tiberio Auguſto Germanicus Cæſar, Druſi filius, in adminiſtrando bello Germanico ſucceſſit, cujus legatus Vitellius cum duabus legionibus, multis Oceani periculis defunctus, *penetravit ad Viſurgim, quo Cæſar claſſe contenderat.* Quamvis Lipſius ad hunc locum Tac. Ann. I. n. 234. ſcribendum putet, *ad amnem Vidrum, qui Ptolemæo in hoc tractu notus, & ille ipſe eſt*, inquit, *quem Vechtam hodie vocant, &c.* Idem Tac. l. 2. Ann. clariùs meminit Viſurgis, quando Germanici prælium cum Arminio initium deſcribit. *Flumen Viſurgis Romanos Cheruſcoſque interfluebat, ejus in ripa cum ceteris primoribus Arminius adſtitit,*&c. *Poſtero die, Germanorum acies trans Viſurgim ſtetit,* &c. *Cæſar tranſgreſſus Viſurgim, indicio perfugæ cognoſcit, delectum ab Arminio locum pugnæ*, &c. *Sic accenſos & prælium poſcentes in campum, cui Idiſtaviſo nomen, deducunt: is medius inter Viſurgim & colles*, &c. Evocato demum in Orientem Germanico, ab infeſtis Romanorum armis Viſurgis tandem conquievit. Ita, poſtquam Claudius Imperator *adeò novam in Germanias vim prohibuit, ut referri præſidia cis Rhenum juberet*, Tac. XI. Ann. altum in hiſtoria Romana de Viſurgi ſilentium. Interim nemo dubitabit, quin Maximinus, Probus, Diocletianus & Maximianus, Conſtantinus Magnus, Julianus, & Valentinianus, Germaniam hanc transrhenanam, Francoſque ejus indigenas, bello perſecuti, ad Viſurgim acceſſerint, cùm ſatis ſit compertum, Franciam veterem, quam poſt Saxoniam dixerunt, intimè horum armis penetratam eſſe, quantumvis hiſtorici ejus temporis, quotquot ſuperſunt, nullam Viſurgis faciant mentionem.

3. QUAM QUÆ PER FRANCOS.] Viſurgis itaque diu inglorius, victricibus Francorum armis iterum inclaruit, quando An. DLV. primum à Francis bellum, cujus quidem apud ſcriptores extet memoria, illatum eſt Saxoniæ, quod à ſucceſſoribus Francorum

corum Regibus, per duo amplius ſecula, variâ fortunâ ductum, ac ſæpe intermiſſum, Carolus demum Magnus, debellatis prorſus Saxonibus confecit. Saxones contemptâ Theodoaldi Francorum Regis pueritiâ, aſſiduis incurſionibus Auſtraſiæ fines infeſtare cœperant. Auditâ verò ejus morte, aſcitis in ſocietatem Thuringis, majoribus viribus in arma conſurrexerant. Clotharius Auſtraſiæ populis, Sueſſionibuſque ſub ſigna vocatis, tranſmiſſo Rheno in Saxoniam perrexit, ac multis utrimque cæſis, tandem apud Viſurgim triumphavit. Quod geſta Francorum epitomata c. 27. ita referunt: *Eo anno rebellantibus Saxonibus Clotharius rex commoto Francorum exercitu, contra eos pugnam iniit ſuper Wiſeram fluvium, exercitum eorum maximum interfecit, terramque eorum vaſtavit.* Et Aimoinus l. 2. c. 27. *Poſthac*, inquit, *idem rex* (Clotharius) *in Saxones rectum iter direxit, qui aſſiduis excurſionibus Francorum devaſtabant fines. Quibus ſuper Wiſeram fluvium bello ſubactis, Thoringos quoque, eò quòd Saxonibus auxilium tuliſſent, depopulatus eſt.* Vid. Gregor. Turonenſ. lib. 4. c. 10. Sigebertum, Marium Aventicenſem Epiſcopum, citatum à Valeſio lib. 8.

Alterum Francorum prælium cum Saxonibus ad Viſurgim initum An. DCXXX. ſecundùm Sigeberti calculum, literis conſignavit Aimoinus l. 4. c. 18. *Auſtraſiis verò Francis rex* (Dagobertus) *inſtitutus à patre* (Clothario) *adverſus Saxones, qui rebellare tentaverant, arma movit: tranſgreſſuſque Rhenum, cum Bertoaldo Saxonum duce pugnâ commiſſâ, enſe percuſſus in caput, deciſos cum parte galeæ crines patri per armigerum mittit, & ut ſibi, antequam cunctus corruat exercitus, in auxilium properet, mandat. Forte fortuna affuit: Clotharius enim venationis gratiâ Longolariam ſylvam petierat, ubi accepto periculorum filii nuntio, gravi exagitatus dolore, raptis quos in promptu habebat juvenibus, ad alios etiam, ut ſe ſequerentur, directis legatis, brevi tempore longum iter emenſus, (nam & noctibus viam carpebat) ad filium uſque pervênit, & eâ quidem nocte fixis ſuper Wiſeram fluvium tentoriis, quieverunt. Manè autem facto, dum Franci plauſus ac voces lætitiæ pro adventu regis Clotharii ederent, Bertoaldus Saxoniæ dux ſuper ripam fluminis prælium præſtolans, audito tumultu interrogat, ut quid tantus in Francorum caſtris oriretur tumultus? dictum eſt ei, Clotharium advenisſe regem, atque ob id diem feſtum agere Francos. At ille ad hæc, falſa,*

ait, ſpe decepti, præ timore deſideria ſomniant ſua. Nam Regem, quem ſecum gratulantur manere, certâ ferente famâ nos compertum habemus vitâ jam defunctum. Clotharius citeriori armatus ſuperſtans littori, dum talia ſuperbè profantem audiret, nil dicens, quò major taciturnitate ſuâ hoſtibus incuteretur timor, celerrimè galeâ nudavit caput. Erat quippe ejus cæſaries pulchrâ canitie variata, in cujus aſpectu ab adverſariis maximè dignoſcebatur. Denique ſtatim à Bertoaldo agnitus, incongrua accepit reſponſa, in hunc modum à præfato contrariæ partis duce prolata. Tune, dixit, hic muta aderas beſtia? Tunc Rex hujuſmodi commotus convitio, & ultra quàm dici poſſit, excandeſcens irâ, capiti repoſitâ caſſide, calcaribus equum versùs eum impulit, ut tranſmeato flumine, ſe de inimicis ſuis ulciſceretur. Franci itidem, injuriâ ducis permoti, atque ejus exemplo animati, flumen natantes tranſibant, ſequentes Regem: qui fugienti Berthoaldo infeſtus inſiſtebat. Gravabatur ſanè ad inſequendum, & pondere armorum, & quòd dum tranſnataret fluvium, aqua ſinum ejus, nec non ocreas impleverat. Bertoaldus tamen recedendo clamabat ad Regem, non æquo & bono illum eſſe intentum, qui ſe perſequeretur; ſed quòd ſola hæc ageret, laudis cupidine ductus, qui tanti æſtimaretur, ut ſequeſtratus à ſuis, hoſtem terga dare ſibi compelleret. Verendum verò, ne hæc res in contrarium verſa, ipſum potiùs peſſumdaret. Iſta autem dum diceret, fugere non ceſſabat; & ſæpe ſe ejus ſervum, illum verò ſuum fatebatur dominum. Viderique injuſtum, ut vel ſervus à clementiſſimo domino, vel dominus à ſervo, licet invito ac coacto, perimatur. Verùm Clotharius callidè hæc eum proſequi ſciens, nec ea quæ dicebantur curans, tandem pernicitate equi, quo vehebatur, eum aſſecutus interemit. Sublatoque ejus capite, ad filium, & ceteros Francos (qui triſtes eò quòd eum conſequi nequirent, ejus ſaluti timentes, poſt eum iter pro poſſe accelerabant) regreditur; indèque relevatis mæſtitiâ eorum animis, unà cum eis Saxoniam ingreſſus, ita depopulatus eſt eam, ut nullum in ea hominem viventem relinqueret, qui longitudinem ſpathæ, quam tunc fortè gerebat, exceſſiſſet. Et Clotharius quidem hoc taliter egit. Eadem leges in geſtis Francorum epit. c. 41. Adon. Vienn. Regin. Sigeberto. Ut Valeſ. l. XVIII. rer. Franc. immeritò fidem hujus narrationis ſuſpectam habere videatur. At riſum meretur Bern. Furmerius l. 3. Ann. Friſ. qui contendit Bertoaldum à Lothario cæſum natione fuiſſe non Saxonem, ſed Friſium, quartumque ejus gentis

tis Regem. Plura is addit de Yglone Galamæo Friſio, Suſati præfecto, qui fortiter Auſtraſiorum aggreſſiones exceperit, repuleritque, quique Dagoberti galeam perfregerit, capillos amputarit; adhæc de loco prælii, de Adgillo Bertoaldi filio, poſt patrem Friſiorum Rege. Quæ cùm nullo idonei auctoris teſtimonio ab eo confirmentur, quâ facilitate narrantur, eâdem rejiciuntur.

Poſtea Carolus Martell. fortiſſimus Auſtraſiæ Princeps, Saxones adortus An. DCCXXI. armis etiam ſuis Viſurgim nobilitavit; quod paucis, ut ſolet, meminit Ado Viennenſis in Chron. *Carolus major Domûs, & Auſtraſiorum princeps, vaſtans omnia, & Saxonum agros diripiens, ad Wiſorem pervenit.* Vid. Aimoin. l. 4. c. 52. Annal. Fuld. Annales incerti auctoris apud Pithæum, Valeſium lib. XXIV. rerum Francicarum pag. 446.

Paternis deinde veſtigiis inſiſtens Carolomannus, Martelli filius, ducto in Saxoniam exercitu, ad Viſurgim caſtra habuit An. DCCXLIII. teſte Adone Viennenſi; quando Saxonibus trans flumen conſidentibus, Gerviliebus, aliis Gervilius, Epiſcopus Moguntinus, ad familiare colloquium dolo evocavit eum ex hoſtibus, qui patrem ſuum Geroldum Epiſcopum itidem Moguntinum anno ſuperiore interfecerat, quem adequitantem in medio fluminis confodit, cujus morte ſublato clamore, ad arma concurſum, initoque atroci prælio, victi tandem Saxones. Quæ Othlonus lib. I. c. 44. vitæ S. Bonifacii apud Serarium fuſiùs ſic narrat. *Illis temporibus Saxones devaſtabant Thuringiam regionem. Quamobrem populi ejuſdem regionis confugientes ad ſupradictum Principem Karolomannum, quærebant ab eo auxilium, qui mox pro eorum ereptione exercitum miſit, in quo ſimul Geroldus Moguntiacenſis tunc Epiſcopus, pater ſcilicet præfati Gewiliebi, juſſus tranſivit. Cùmque congreſſio facta fuiſſet bellantium, & invicem ſemet ferientium: Geroldus Epiſcopus interfectus ibi inter alios occubuit. Deinde filius ejus Gewilieb, adhuc laicus in palatio conſtitutus, pro ſedando patris dolore, Clericatûs officio promovebatur, & ad regendam Eccleſiam Moguntiacenſem poſt obitum patris ſubrogabatur. Poſt non multum verò temporis iterum Karolomannus exercitu congregato contra Saxones perrexit, ſecumque eundem Gewilieben duxit. Conſidentibus autem utriuſque populi exercitibus, cis citraque ripam fluminis Wiſraha, præcepit Gewilieb puerum ſuum inter*

hoſtes pergere, illicque nomen ejus, qui patrem ſuum occiderat, diligenter inquirere. Cumque puero juſſa complenti reſponderetur à quodam, proximè illum adeſſe, quem quæreret, venire rogate, inquit, eum huc quantocyus, quia ſecum ſermocinari ſenior appetit meus. Quo veniente, & utrimque alterius adventu denuntiato; mox præparatis equis ab utroque itur, & in medio amne occurrentibus, atque colloquentibus, ait Gewilieb Epiſcopus: Accipe jam ferrum, quo patrem vindico carum. Hæc igitur dicens, gladio mox perfodit illum. Qui ſtatim corruens ex equo exhalavit ſpiritum. Cùmque ſui talia agnoſcerent, ab omnibus clamabatur, utrimque conſertis cuneis ſummopere dimicabatur, ſuperatiſque Saxonibus Karolomannus cum ſuis ad propria remeavit, nemine id quod factum eſt à Gewiliebe in homicidii crimen imputante. Unde & reverſus ſolitos Epiſcopales ſibi vindicavit uſus. At S. Præſul Bonifacius inter cætera correctionis colloquia, hæc pariter in conventu Synodali protulit, atteſtans nullum homicidii reatu pollutum debere Epiſcopali ſacerdotio fungi. Adhæc etiam ei objecit, propriis oculis ſe perſpexiſſe, illum cum avibus canibuſque jocantem, quod Epiſcopo nullatenus liceret. Audiens autem hæc Gewilieb, ſentienſque ſe nullo modo contra ſtimulum vel ſæcularis potentiæ, ſeu auctoritatis Canonicæ, quæ mediante S. Bonifacio in omnes coram poſitos deferebatur, calcitrare poſſe, judicio conſentit communi, depoſituſque eſt ab ordine Epiſcopali. Quo depoſito ſtatim S. Bonifacius à ſupradictis Principibus Karolomanno videlicet & Pipino fratre ejus, Eccleſiæ Moguntiacenſi præficitur. Tom. XVII. Conc. Gener. Pariſiis ed. p. 441. De Pipini & Caroli M. Francorum Regum expeditionibus ad Viſurgim, poſt in tempore memorabimus.

4. SED QUOTA PARS RERUM.] Romanis ſcriptoribus, atque inprimis Cornelio Tacito acceptum ferri debet, quicquid de bellis Romanorum in Germania geſtis, quicquid de Arminii præliis & triumphis, quicquid de Majorum noſtrorum moribus ac virtutibus adhuc ſupereſt. Enimverò Germani, uti *literarum ſecreta ignorabant*, &c, *quod unum apud illos*, teſte Tac. de mor. Germ. *memoriæ & annalium genus erat*, præclara ſuorum facinora *carminibus celebrabant*; ita etiam Arminium libertatis ſuæ vindicem, auctore eodem Tac. l. 11. Ann. *cecinerunt*, ac poſitis nonnullorum opinione, Eresburgi ſtatuis, famæ quidem poſterorum commendarunt; ſed jam diu collapſis ſimulacris perierunt *agreſtia* hujuſmodi *carmina*, ut Julianus ait in Antioch. *ſimilia clangoribus avium aſpe-*

aſperè clamantium; dum interim Arminii virtutes ac res fortiter geſtæ, immortalibus literarum monumentis conſignatæ perennant. Veriſſimum enim eſt, quod ſcribit Diodorus Siculus, *cetera monumenta ad breve tempus perdurare variis caſibus obnoxia, hiſtoriæ virtutem per univerſum orbem diffuſam, ipſum, quod cetera conſumit, tempus ſui habere cuſtodem.*

5. NI MIHI QUAM TACITUS SCRIPTOR DEDIT.] Etſi *Tacitus Imperator*, auctore Fl. Vopiſco, *Cornelium Tacitum, ſcriptorem hiſtoriæ Auguſtæ, quòd parentem ſuum eundem diceret, in omnibus bibliothecis collocari; & ne lectorum incuriâ deperiret, librum per annos ſingulos decies ſcribi publicitùs juſſit:* parùm tamen abfuit, quin priores quinque Annalium libri interirent, niſi inſigni Corbeiæ noſtræ beneficio eſſent conſervati. Id quod J. Lipſius nos docuit in not. ad Taciti Ann. l. 2. n. 34. *Viſurgis mutuâ Romanorum Germanorumque clade nobilis amnis. Cui famam præcipuè Tacitus dedit: & ipſe Tacito (mirum fatum) vitam. Nam quinque hi primores libri inventi Corbeiæ, quod Monaſterium ad Viſurgim eſt, atque illinc depromptum verè hunc theſaurum Quæſtor quidam Pontificius ad magnum Leonem detulit, donatus ab eo aureis quingentis.* Idem in diſpunct. Notar. Cod. Mirand. *Codicem,* inquit, *illum tuum advocas: quorum unicè unicum in tota Europa exemplar eſſe hactenus audimus. Id Leoni* X. *Pont. Opt. Max. oblatum, in Corbeienſi Monaſterio ad Viſurgim repertum, ſervat etiamnum inclyta illa Bibliotheca Medicæa.* Hæc ille, pro more ſuo, candidè & ſincerè. Andreas Alciat. Germanis tanti theſauri conſervati laudem invidens, in quodam hiſtoriæ encomio, ad Galeacium Vicecomitem ſcripto, ejuſdem rei meminit, ſed cum injuria noſtræ gentis, ac veritatis diſpendio. Sic enim garrit: *Eſſet adhuc ἀκέφαλος Tacitus, niſi Chriſtiani orbis Max. Pontifex Leo* X. *priores quinque libros de barbaris redemptos, poſtliminiò ut tandem reverterentur, effeciſſet.* Meibom. in vita Widichindi Corbeienſis præfixâ ejus Annalib.

Nec ſolus Tacitus, verùm etiam Quinctilianus, Aſconius, Silius Ital. Argonautica Val. Flacci, Ciceronis libri de finib. & leg. in Germania à Poggio reperti, Germanis debentur. Gerh. Voſſius de hiſt. Lat. l. 3. c. 5. p. 550. Quibus utinam aliquando Plinii xx volumina de bellis Germanicis accedant! quæ Conr. Geſnerus Auguſtæ Vindelicorum, alii Tremoniæ in Weſtph. apud Caſp. Swartzium Patricium Tremonienſem extitiſſe tradiderunt.

RE-




DIOECESIS PADERBORNENSIS
ſub Imperio Francorum
et Saxonum
deſcriptio nova.
MDCLXXII.
pag. 82.
Occidens.
Meridies.
Septentrio
W E S T F A L I
A N G A R I I.
O S T F A L I
OSTFALI.
HASSIA.
Padrabrunna
Pagus Patherga.
Pagus Almanga.
SINTFELD
Campus deditione Saxonum nobilitatus
DESERTUM SINEDI, nunc Senede
Mons Osnegge
Pagus Angeri.
Pagus Weſsaga
Pagus Aga.
Pagus Wetiga
Pagus Netga
Pagus Auga
Bilefeldia
Fons Lutheræ
Sceldice
Herivordia
Angaria nunc Enger
Hlidbeki, nunc Lubbeke
Uſlahun, nunc Saltzufflen
Linga nunc Lemgo
Thietmelle olim Teutoburgium, nunc Dethmold
Prælium Caroli M. cum Saxonibus
Fontes Amiſy
Hornan
Rimia nunc Remen
Minda
Ambra flu.
Schidroburgum nunc Schier
Herlingsburg
Luidi, nunc Lüda
Berchem
Aldendorp
Visbike
Weſer flu.
Puochinesfurti
Giſici, nunc Geſeke
Boca
Scharhem nunc Scharme
Breakvin nunc Brenken
Adana
Bodicon nunc Bodeke
Alflaan nunc Alſen
Wunnenberg
Eresburgum nunc Stadtberg
Horhuſa
Radi nunc Roden
Garametti nunc Germete
Wormelen
Vuartberhgi nunc Warburg
Desenberga
Desburg
Villa Nadri nunc Groten Eder
Rasbek nunc Rösbeck
Curbike
Herſtallum Saxonicu nunc Herſtel
Enerſchutte
Helmwardeshuſen
Rohthem nunc Rothe
Holthem
Herſi, nunc Heerse
Iburgum, nunc Driborg
Nothgardi nunc Gerden
Bennanhuſen nunc Benſen
Brakel
Brunsberga
Huxari
Nisa
Hemhuſen
Lippia flu.
Fulda flu.
Caſtellum

R E M A

AD CONFLUENTES WARNÆ ET VISURGIS, PAGUS RAVENSBERGICI COMITATUS.

MEMORIÆ. SACRUM

INCLYTA. FRANCORUM. FASTIS. UBI. WARNA. VISURGIS
AMNE. RECEPTA. SUÆ. NOMINA. PERDIT. AQUÆ
SAXONE. PIPINUM. FUSO. SPECTAVIT. OVANTEM
REMA. TRIUMPHALI. FERRE. TROPÆA. MANU
HILDIGARIQUE. NECI. VICTRICIA. CASTRA. SECUTI
FRANCIGENAS. MOESTIS. ILLACRYMARE. MODIS
FORTIS. ET. EXEMPLO. CAROLUM. GENITORIS. AVIQUE
SAXONICÆ. VALIDAS. FRANGERE. GENTIS. OPES
TALIBUS. ILLUSTRIS. TITULIS. PLUS. REMA. SUPERBIT
QUAM. QUOD. RHEMORUM. NOBILE. NOMEN. HABET

FERDINANDUS. DEI. ET APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO. DE. FURSTENBERG

REMÆ. AD. CONFLUENTES. WARNÆ. ET. VISURGIS. SITÆ. PIPINI. EJUSQUE. FILII. CAROLI. M FRANCORUM. REGUM. SAXONICIS. EXPEDITIONIBUS. AN. DCCLIII. ET. AN. DCCLXXXIIII. CELEBRIS. PAGI. MEMORIÆ
M. H. P

L NO-

NOTÆ.

1. INCLYTA FRANCORUM FASTIS.] Poſt Romana monumenta procedimus ad Francica & Saxonica. Quare de utraque gente pauca præmonere, non inconveniens ingratumve fore cenſuimus. Nec enim ut de Romanis, ita de Francorum Saxonumque origine conſtat; neque eâ hactenus quicquam obſcurius fuit, quæ nunc à tot ſcriptoribus pertractata explicataque certius lumen accepit, ut qui ſimus, & quibuſcum gentibus bellatum ſit, & à quibus hæc monumenta poſteris relicta ſint, planiùs affirmare & profiteri liceat.

Franci populus, qui ſub Francico nomine bella geſſit contra Romanos, primùm audiri & innoteſcere cœpit Valeriano & Gallieno Impp. circa annum Chriſti CC.XXIII. Ideò nec apud C. Julium Cæſarem, Tacitum, Velleium, Plinium, Strabonem, Dionem, Ptolemæum, ceteroſque priſcos ſcriptores Francorum mentio. Celebre autem Francorum nomen apud poſteriores hiſtoricos ac ſcriptores, Aurelium Victorem, Eutropium, Ammianum, Vopiſcum, & quotquot Auguſtam Cæſarum hiſtoriam ſcripſerunt. Inde apud Zoſimum, Procopium, Agathiam, Aethium, D. Hieronymum, Claudianum, Auſonium, Gregorium Turonenſem, Apollinarem, ac ceteros auctores; quemadmodum id Franci ſcriptores Tillius & Valeſius, Nuenarius Comes, Cluverius & Pontanus, & quotquot Francorum originem tradiderunt, probè agnoſcunt. Ex quibus eruditi paſſim viri deducunt, ante tempora Gallieni nullum extitiſſe certum populum nationemve Francorum nomine inſignitam. Sanè ſi qua gens Francica extitiſſet ante Gallieni imperium, non eam omiſiſſet Tacitus, tam accuratus Germanarum gentium ſcriptor, non cæteri hiſtorici & geographi.

Ideò gentis Francicæ origo hactenus multùm obſcura latuit, multiſque fabulis aſperſa, & erroribus obnoxia fuit. Reperies enim primùm, qui cum Francicis aliquot ſcriptoribus, & Trithemio

themio Hunibaldi fabulas ſecuti, Francos à Trojanis reliquiis, & ex Pannonia deducunt ad Rhenum; atque hi auctores, ut fabulam fabulâ augeant, tradunt Francos, poſtquam diu in Pannonia reſediſſent, conditâ etiam Sicambriâ urbe, Valentiniani Imperatoris rogatu domuiſſe Alanos, ob id tributo ab Imperatore liberatos, ac Francos, hoc eſt, *feroces* Atticâ linguâ primùm appellatos eſſe, cùmque Romani rurſum tributa exigerent, rebellaſſe, & ad Rhenum penetraſſe. Egregii ſanè hiſtorici, quaſi Valentiniani primùm ævo Franci exorti ſint. Et quæ Attica vox Francos ſonat? Et tamen hæc opinatio Sigebertum, Paulum Æmilium, & plures celebres hiſtoricos abduxit, tanquam gentem Francicam nobiliorem facturi eſſent, ſi ab exteris magis quàm ex Germanis origines arceſſerent; Simul tamen hi auctores fateri coguntur è Germania prodiiſſe Francos, qui rupto Rheni limite Gallias invaſerint. Inde alii Francorum quidem gentem ab antiquiſſimis Romanorum temporibus in Germania extitiſſe aſſerunt, ſed parvam invalidamque latuiſſe, donec aucta ſenſim populis atque armis emerſerit, & ad Rhenum proruperit, ideò Tacito incognitam fuiſſe. Sed tam facilè hæc refelluntur, quàm aſſeruntur, nullo gentis ejus tam diu latentis indicio in medium allato. Haud diſſimili commento Turnebus Francos ex Scandinavia educit à Firaſſis populis, Ptolemæo memoratis. Genebrandus lib. 2. & 3. chron. Stephanus Forcatulus l. 5. de Imp. & Philoſophia Gall. Bodinus in meth. hiſt. cap. 9. Francos primâ origine Gallos fingunt, qui inter cæteras migrationes gentium ſedes in Germania & Pannonia habuerint. Ibi verò poſtquam à Romanis acerbâ prememerentur ſervitute, rediiſſe in Gallias ad natale ſolum. Nova rurſum figmenta ingenii. Nam ubi hi Franci Gallicæ nationis tam diu latuerint, nemo ex his auctoribus docere poteſt, nec quales fuerint, Boiine, an Tectoſages, an Scordiſci, ne inter ipſos quidem convenit.

Alii denique Francos ex prima gentis origine ex Franconia deducunt. Plauſibilis hæc multorum ſententia fuit, ſed jam dudum ex ſuis erroribus retecta; quando Franconia Alemanniæ

pars cognita, & à Clodoveo Franc. Rege, aut filio ejus Theodorico Auſtraſiæ Rege, devictis Alemannis, cum omni ea regione ad Francorum regnum acceſſit. Nec antè Francorum nomen ibi auditum, tametſi Franci fortè jam antè ad Nicrum aliquando proruperant. Sed & diu ante hæc tempora Francorum nomen celebre inter Rhenum, Viſurgim, atque Albim, priuſquàm arma Francorum in eas regiones penetrarent. Nec minùs antiquitatis periti hæc explodunt, quàm qui ex Mæotide palude, aut Pannonia Francos evocant, aut mutato Sicambrorum nomine, à Franco quodam fictitio Trojanæ ſtirpis Rege appellatos ſcripsêre.

Illa demum certa & explorata ſententia eſt, veterem Franciam inter Rhenum, Viſurgim, atque Albim requirendam eſſe. Nec alibi magis quàm in ipſa Weſtphalia, viciniſque ad Iſalam & Friſiæ oras, aut Rheni oſtia regionibus Francos reperiri. Hæc priſcorum omnium ſcriptorum, à quibus Francorum primùm nomen & bella cum Romanis nobis ſunt conſignata, una conſenſio eſt. Neque de hac re quiſquam integrè judicare poterit, ut rectè Cluverius pronuntiat, niſi in omni veteri Romanorum hiſtoria probè verſatus ſit. Quod cùm noſtro demum ævo viri docti & antiquitatis periti præſtiterint, (quorum magnus apud nos eſt numerus,) in hanc nobiſcum ſententiam convenerunt, Trithemius lib. 3. c. 20. de orig. Franc. Nuenarius Comes præfat. in Eginhardum, Rhenanus lib. de Germ. cap. de Francis, Althamerus in Tacitum, Reineccius de Orig. Sax. Hadrianus Junius in Batavia, Miræus in Chron. Gelenius in ſacr. Colon. & Plectrude, Browerus lib. Antiq. Trevir. ad An. Chriſti CCCLXXXVIII. Crumbachius in hiſtoria D. Urſulæ, Petavius in Rat. temp. lib. 6. c. 13. Bucherius in diſp. hiſt. & Belg. Romano, Rivius dec. 1. l. 1. Cluver. l. 3. c. 20. Pontan. de Orig. Franc. Chytræus in Prolog. Horrion in Paneg. Paderb. Valeſius in præfat. Geſt. Franc. Res ita ſe habet. Poſtquam bellicoſi intra Rhenum & Viſurgim populi, Sicambri, Bructeri, Tencteri, Uſipetes, Catti, Angrivarii, Chauci, Chamavi, Cheruſci, Marſi, Chattuarii ſive Attuarii, Friſii, Tubantes, cæterique jam inde à C. Julii Cæſaris ævo continua cum Romanis bella geſſiſ-

geſſiſſent, nunc victores, nunc victi, veritique ne toti in Romanorum ſervitutem venirent, factâ conſpiratione in unum fœdus & belli ſocietatem pro inſita gentis libertate convenerunt, ſumptoque ad id *Franco* nomine, tanquam libertatis ſigno (quod *Franckon* liberum gentis linguâ hominem ſonat) tot ſæculis acerrima bella adverſus Romanos geſſerunt, exciti cumprimis Alemannorum exemplo, qui jam ſæpius in Gallias excuſſo Romanorum jugo irruperant: atque ex his, quos diximus, populis conflatam eſſe hanc belli ſocietatem evincunt priſci ſcriptores. Nam Sicambros Claudianus & Apollinaris, aliique Francos toties compellant, Bructeros Sulpitius Alexander, Nazarius & Eumenius in Panegyricis, Chaucos & Cheruſcos Claudianus, Chamavos Auſonius, Cattos Sulpitius Alexander, Attuarios Marcellinus, Friſios Panegyricus Conſtant. M. dictus, Salios Marcellinus denuò, & Zoſimus, aliique ſcriptores inter Francos numerant. Adhibeatur in hanc rem tabula itineraria circa annum CCCCXXX. conſcripta, in qua à Rheni oſtio aſcendendo ad dexteram ripam, leguntur hi populi, *Chauci, Ampſivarii, Cheruſci, Chamavi, qui & Franci*; ſequitur in eadem ripa magnis literis ſcriptum FRANCIA. Inſpiciantur vetera monumenta, interque hæc vetus lapidis inſcriptio à Ruperto detecta, quæ Divitenſe munimentum ſeu Tuitium ex adverſa Agrippinæ ripa à Conſtantino M. in terra Francorum ſtructum exhibet. Extat apud Spanhemium de præſtant. & uſu numiſm. diſſert. 8. pag. 750. è cimel. Reg. Gall. & Card. Leopold. Med. erutus aureus Conſtantini M. nummus, qui ex una parte Conſtantini effigiem ſignat, ex altera tropæum, jacentem videlicet mulierem, conſuetum debellatæ provinciæ ſymbolum, hac inſcriptione: GAUDIUM ROMANORUM. Infra, FRANCIA. Ubi verò hæc Francia requirenda ſit, docent nos res geſtæ Conſtantini M. & pons ab eo Cæſare apud Ubios Rheno inſtratus, per quem exercitus in Francos traductus.

Pervolvantur omnes Hiſtorici, Panegyrici, Poëtæ, qui veterum Francorum res geſtas nobis tradiderunt: haud alibi veteres Francorum ſedes magis reperientur, quàm intra Rhenum &

Viſurgim, quæ regio poſt Weſtphalia dicta eſt. Quapropter Sidonius Apollinaris Franciçæ regionis flumina perſcribens, Vahalim, Vidrum, Viſurgim atque Albim introducit, ac Vahalim quidem, quod eâ tempeſtate Franci Salii Rhenum tranſgreſſi illas Bataviæ Belgicæque oras invaſerant. Fines adeò veteris Franciæ, ne quis in his anceps hæreat, deſcripſit D. Hieronymus, in vita D. Hilarionis: *Inter Saxones & Alemannos gens extat, non tam lata, quàm valida, apud hiſtoricos Germania, nunc verò Francia vocatur.*

Hæc paucis de Francorum origine & veteri Francia, quæ à multis multò explicatiùs traduntur, nos brevitatis, & hujus inciſæ, per modum commentarii, ſcriptionis memores, verbo commonſtrare voluimus, Francos à prima ſtirpe ſua fuiſſe Germanos, eoſque indigenas, quales plerique Germani Taciti judicio cenſentur, ac populi qui diverſis ante nominibus ferebantur, ii haud ſecus quàm Alemanni in idem Francicum nomen & belli ſocietatem pro libertate convenerunt. Ac nihil jam certius, quàm Francos hoſce non fuiſſe Germanos ſuperiores, ut ii volunt, qui ex Franconia & ſuperiori Germania deducunt; ſed inferioris Germaniæ inter Rhenum & Viſurgim incolas, eâ potiſſimùm regione, quæ Weſtphaliæ nomen obtinet. Atque hi inferioris Germaniæ Franci rurſum duplices; alii abſolutâ voce Tranſrhenani; alii cum additamento vocis Salii, quorum frequens mentio apud ſcriptores; iidemque Tranſrhenani, haut ſecus quàm omnes Franci à prima origine ſua, quibus Saliorum nomen adhæſit indutum, quòd Salæ ſeu Iſalæ fluminis in Weſtphalia orti incolæ fuerint. Ii poſt Rhenum tranſgreſſi, Galliam ac Romanum ſolum ut cæteri Franci occupavêre. Inde libro Notitiæ Imperii Salii Gallicani, & Salii conjuncti Tubantibus referuntur, ubi trans Rhenum nativas ſedes incoluêre, ſecus quàm quidam cenſuerunt, cum Chifletio & Pontano, qui Francos in Anſivarios & Salios diviſerunt, illos Tranſrhenanos, hos Ciſrhenanos aſſerendo, quibus poſtremùm acceſſit Bollandus in vita Sigeberti Regis ad primum Febr. diem. Omnium enim Francorum nativa origo Germania Tranſrhenana.

nana. Sanè Conſtantinus Cæſar, ac filii Cæſares, Julianus, aliique exinde Imperatores, ac Romani duces, qui in iis Galliæ regionibus oppugnarunt Francos, non ex patrio, ſed alieno ſolo, quod tranſito Rheno inſederant, toties rejecerunt, nec aliter comperiet, qui Marcellinum alioſque eorum temporum ſcriptores ſincerè expenderit, quæ diſceptatio hoc loco aliena eſt.

Hinc omnis Francia quadripartitò traditur. Prima Tranſrhenana, eaque antiquiſſima Francia. Altera Gallicana minor, complexa totam ferè Germaniam ſecundam, maximamque utriuſque Belgicæ partem, quæ primis Francorum Regum armis, ſuperato Rheni limite, parta regni ſedes, ex quo regni Francici ſedes Diſpargo Cameracum provecta eſt. Gallicana major, poſtquam feliciore armorum ſucceſſu interior quoque Gallia à Clodoveo rege adjecta, regnique ſedes à Francis Pariſiis collocata fuit, cœptumque regnum Francicum in Neuſtriam & Auſtraſiam, in Occiduam videlicet & Orientalem Franciam dividi. Quarta Francia nova, ſeu Orientalis Germania, quæ novo armorum & fortunæ curſu, debellatis Alemannis acceſſit ad Auſtraſiæ regnum, in eaque Franconia, quæ ab his victoribus Francis nomen retinet. Tantum abeſt, ut Franconia prima Francorum ſedes fingi poſſit. Ampla ſcriptionis materia, quæ hiſtoriæ ſervatur. Hic paucis indicare viſum, dum ex hoc progreſſu Francorum Regum monumenta Franciæ introducimus.

2. UBI WARNA.] In diplomate Ludovici Germaniæ Regis, & Caroli M. nepotis, anno XXXIII. regni ejus in Orientali Francia, dato Herivordenſi monaſterio, eo, quo hodie, nomine *Werna* appellatur. Auctori vitæ Caroli M. apud Pithæum dicta *Warana*, Adelmo *Waharna*, Annalib. Francor. apud Reuberum *Wagarna*, apud Caniſium *Vinharna*, Reginoni *Waahna*, Poëtæ Anonymo *Warna*, qui Hervordiâ urbe permeatâ ad pagum Remen Viſurgi infunditur. Ab hoc *Warna* nonnulli denominatos volunt *Varnos* ſeu *Varinos*, populum Cornelio Tacito in Germania, & Procopio lib. 4. hiſt. Goth. memoratum. Alii aliunde

liunde hujus gentis nomen arceſſunt. Quod nos in medio relinquimus.

3. SAXONE.] Saxonum populus haud ſecùs quàm Francorum, ex parvis initiis ad magnam potentiam per inferioris Germaniæ provincias emerſit, ſucceſſitque in gloriam Francorum, ac priùs etiam Saxonum nomen, quàm Francorum auditum, traditumque à Ptolemæo. Eò gentis origo non minùs quàm Francorum obſcura, multiſque fabulis involuta à ſcriptoribus.

Widichindus Corbeienſis vetus ad Viſurgim ſcriptor, inquirendo gentis incunabula, dum certa tradere voluit, fabulis præluſit. Ita enim lib. I. Annal. Saxonum origines alii à Danis & Normannis, alii à Macedonibus deducunt; ſibi autem certum, inquit, navibus advectos Saxones in Hardolaun, quæ aliis Hadeleria, locus in Archiepiſcopatu Bremenſi ad Albis oſtia. Quo verò tempore, aut unde, qualeſve illi advenæ fuerint, ipſe æquè incertus non expreſſit. Hinc alii arrepto fabulæ indicio, ex Macedonia multò liberius finxerunt, & profugam partem ex Alexandri M. exercitu, cum 300 triremibus appuliſſe in oſtia Albis, factâque excurſione Thuringos fugaſſe, eorumque exinde terras inſediſſe. Canoræ nugæ, quæ nullum fidei indicium apud ullum priſcum probatumque auctorem reperiunt.

Alii deinde cum eandem ſibi fingendi licentiam patêre conſpicerent, Saxones à *Sagis* ſeu *Sacis* Aſiæ populis deduxerunt. Hæc Peuceri, Reineccii, Furmerii, Ciſneri, Letzneri, aliorumque opinatio, quam magno quidem plauſu, ſed nullo alio argumento obtrudunt, quàm ex nominis quadam ſimilitudine, quæ inter *Sacos* & *Saxones* ſe obtulit. Quo figmenti genere alii apud Crantzium Saxones à *Saxona* fluvio in Moldaviam ſe exonerante arceſſunt, quos origine alii Boios, alii Gallos comminiſcuntur: verùm hæc commenta retuliſſe inter doctos, refutaſſe eſt. Ad quorum figmenta referas Saxonem Grammaticum, Suffridum Petri, Furmerium, ipſumque Crantzium, apud quos multis ante Chriſti natalem ſæculis Saxones maria navigant, commercia, fœdera, bella, connubia agitant cum Danis, Suevis, Finnis, Britannis, Friſiis, quæ nonniſi ex traditis vulgi fabulis

bulis, ſine ullo probato antiquitatis auctore, ad vulgi oblectamenta narrantur. At Lucanus Poëta, inquiunt, jam ævo ſuo Saxonum meminit:

Et Biturix, longiſque leves Saxones in armis.

Falluntur, non Saxones, ſed Axones & Auxones, aut Sueſſones ſunt, ut cum Turnebo meliores legunt. Quos verò Egeſippus lib. 5. c. 15. de bell. Jud. ex oratione Joſephi Saxones introducit Veſpaſiani ævo, ad Gratiani Cæſaris tempora ſpectant, quo Cæſare auctor ſcripſit, accommodavitque ſuo ſæculo Saxonum & Scotiæ nomina.

Primus ergo qui Saxonum meminit Ptolemæus eſt, ut diximus. Collocat is gentem hanc lib. 2. geograph. apud Cimbricam Cherſoneſum, eo loco, ubi nunc Holſatia eſt. Vixit Ptolemæus, teſte Suidâ, Antonino Pio Imperatore, cujus imperii initia circa annum CLXI. Indè ad Diocletiani tempora nihil memorabile de Saxonibus. Eo Cæſare, uti Eutropius refert lib. 9. c. 15. littora Belgicæ & Aremoricæ, ipſamque Bataviam piraticis infeſtare cœperunt. Celebres poſthæc, & Juliano cumprimis Cæſare, ab Amiſii oſtio omnia maris littora obſederunt, Galliſque adeò infeſti; ut totum illud littus ad Garummam fluvium *Saxonicum* dixerint, Duceſque *Saxonici littoris*, qui vim piraticam arcerent, impoſuerint Romani. Inter primos Valentinianus Cæſar impetum ſtitit, uti hæc ab Oroſio lib. 7. c. 32. Zoſimo lib. 3. & Apollinari lib. 13. c. 6. perſcripta ſunt. Valuit Saxonum vis dominatu maris à Diocletiani ævo ad Theodoricum primum Auſtraſiæ Regem, poſtquam ejus armis victi exactique ex Auſtraſia, terrâ ſimul per eas regiones, quæ Saxonum poſtea nomen induerunt, invaleſcere cœperunt. Valentiniano III. Imperatore, unà cum Juttis & Anglis Britanniam invaſere, ſub idem ferè tempus, quo Franci Galliam. Ita duæ Germanæ gentes terrâ marique nova ſibi regna extra Germaniam armis peperêre.

Igitur ut veram Saxonum originem reddamus, aſſeveranter dicimus, Saxones Germaniæ indigenas, &, quod jam plerique re meliùs exploratâ ſentiunt, αὐτόχθονας eſſe, haud ſecus quàm

de ipſis Francis à nobis aſſertum eſt. Hæc Crantzii in præf. in Sax. Conradi Celtis, Althameri, Wilichii, Cluverii & aliorum ſententia eſt. Figmenta enim ingeniorum ſunt, qui vel advenas ex Macedonia, vel ex Africa, vel aliunde arceſſunt. Quod enim Tacitus certiſſimus accuratiſſimuſque ſcriptor univerſim de Germanis noſtris lib. de mor. Germ. pronuntiat: *Ipſos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus & hoſpitiis mixtos*; id quemadmodum de cæteris Germaniæ transrhenanæ populis plerique ſentiunt, ac nos de Francis oſtendimus; ita de Saxonibus perſuaſum habemus. Hìc jure poſſeſſionis pedem figimus, donec prodeant, qui aliud nos certiùs doceant. Quin Tacito id adeò perſuaſum fuit, ut repetierit: *Ipſe eorum opinionibus accedo, qui Germaniæ populos nullis aliarum gentium connubiis infectos, propriam & ſinceram, & tantùm ſui ſimilem gentem extitiſſe arbitrantur.* lib. de mor. Germ.

Unum his opponitur, in quo refellendo multi laborant. Si indigenæ, inquiunt, ſunt Saxones, & primà origine Germani; cur eorum nulla apud Cæſarem, Tacitum, Plinium, Strabonem, aliosque ante Ptolemæum mentio? Crantzius ut id expediat, Cattorum nomine Saxones comprehendi cenſuit, & Saſſos quaſi Cattos à Tacito ſcribi aſſerit. At Saxones à primo ortu maritimi fuere, & trans Albim collocantur à Ptolemæo. Catti verò mediterranei ſunt, & ad Viſurgim ſe porrigunt. Pideritius in Chron. Lipp. Chaucorum nomine deſignari opinatur. Sed nec illi trans Albim ad Cimbricam Cherſoneſum rectè inveſtigantur. Propiùs verò acceſſit Cluverius l. 3. antiq. Germ. cap. 21. quos enim Tacitus Foſos recenſet medios inter Cheruſcos & Cimbros, per hos ille Saxones deſignari contendit, quòd eodem loco Ptolemæus antiquiſſimæ originis Saxones viſus eſt collocare. Quanquam non deſint, qui Anglorum nomen à Taciti ævo in Saxonum commutatum velint; perinde ac Francorum & Alemannorum nomen à diverſis populis aſſumptum eſt. Tanquam antiquitus Angli & Saxones una ad Albim gens fuerit: Nam Anglos hoſce Tacitus ultimos Suevorum facit, collocatque infimos ad Albim, ubi & Saxonum ſedes à Ptolemæo aſſignatur.

gnatur. Adhæc Angli celebris per id tempus gens in Germania fuit, quæ ſicuti primaria victæ Britanniæ nomen impoſuit. Ideoque Beda lib. 1. cap. 15. *Tunc Anglorum ſive Saxonum gens, invitata à Rege Vortigerio, in Britanniam tribus longis navibus advehitur:* veluti Anglorum & Saxonum gentem unam faceret. Sed cum idem Beda pòſt ſe planiùs exprimat, dicatque: *Advenerant autem de tribus Germaniæ populis fortioribus, id eſt Saxonibus, Anglis, Vitis,* ſeu ut alii legunt, *Jutis*, iiſque poſtea diverſas Britanniæ partes & provincias aſſignet, in quibus ſinguli poſſeſſionem ceperant, ſatis tres diverſi populi recognoſcuntur. Ac Saxones quidem etiam ævo illo ad Viſurgim, & trans flumen ſedes ſuas habuiſſe dixerim, quando in ea regione, quæ poſt Weſtphaliæ nomen obtinuit, ſcriptores plerique tam priſci quàm recentiores, antiquos Saxones deponunt. Igitur vicinorum quidem & confinium, ſed diverſorum populorum unum id fœdus, unaque belli ſocietas fuit. Nec veriſimile eſt, ab una Anglorum gente, quæ tum anguſtis adhuc terminis continebatur ad Albim, univerſam Britanniam ſubigi potuiſſe, aliâ ſemper atque aliâ belli ſobole & multitudine è Germania per mare evocatâ. Quæ certiùs cognoſcentur, ſiquis ſuperiora bella revolverit, quibus à Diocletiani ævo mare ſimul piraticis infeſtum habuêre, & Bataviam Galliæque oras occupaverunt, tam ex Viſurgis quàm ex Albis oſtio invecti.

At gentis nomen quo Saxones dicuntur, unde inditum? Rejecti ſuprà, qui à *Saxis* ducunt; nec minus exploſeris Suffridum Petri, qui lib. 2. de orig. Friſon. cap. 5. tres nobis duces Macedonici exercitûs finxit, Saxonem, Friſonem, & Brunonem, Hadoleriam appulſos, à quibus Saxones, Friſones & Brunſwicenſes gentium nomina retineant. Sed hæc commenta ſunt, quibus auctor ille cætera quoque ſcripta ſua liberaliter reſperſit. Certiùs illi, qui à longis cultris gladiiſque, quos *Sahs* patriâ linguâ dixère, quibuſque accincti ibant in prælia, nomen genti adhæſiſſe tradunt, haud ſecus, quàm à *quiri* haſtili, Quirites appellati. Hæc Widechindi Corbeienſis, Gregorii Turonenſis,

Gobelini noſtri, Lipſii, Meibomii, Engelhuſii ſententia, quam dudum hoc verſu conſignavit Viterbienſis:

Ipſe brevis gladius apud ipſos SAXA *vocatur,*
Unde ſibi nomen SAXO *peperiſſe notatur.*

Quanquam hæc non tam de nomine contendere velim, cùm multa ejuſmodi nomina fortuitò indita ſint, quando de Saxonum origine inter recentiores convenit,eam non aliunde, quàm ex indigenis Germanis arceſſendam eſſe: etſi apud Tacitum nulla Saxonum mentio ſit. plures ille Germanorum gentes præteriit, quæ à poſterioribus demum ſcriptoribus proditæ; quales Turcilingi, Heruli, Scyri, aliæque, quas Odoacer aliique barbari Germanorum Reges in imperium invexêre, claræ tunc demum, poſtquam bella aperuêre. Id potiùs ex vetuſtis ſcriptoribus requirimus, quàm bellicoſa Saxonum gens fuerit.

Zoſimus lib.3. *Profectò Saxones omnes eas regiones incolentium barbarorum, & animi & corporum viribus, & laborum in præliis tolerantiâ fortiſſimi.* Haud diſſimilia Oroſius lib. 7. c. 32. & Paulus Diaconus perſcripſerunt: *Saxones eſſe gentem in Oceani littoribus & paludibus inviis ſitam, virtute & agilitate terribilem.* Cætera eorum res terrâ marique geſtæ comprobant: Nam quâ tempeſtate Franci, eâdem Saxones invaluêre, quantùmque Franci perrupto Rheni limite depulſiſque Romanis protulère per Galliam regni fines, tantùm Saxones, tranſito Albi & Viſurgi, ſe per inferiorem Germaniam explicaverunt; tanquam alterius gentis fortuna cederet locum alteri, in imperium Romanum aliquando ſucceſſuræ: ſenſimque in eam provinciarum amplitudinem emerſerunt, ut Saxoniam triplicem fecerint, aliam Oſtphalorum, aliam Angrivariorum, aliam Weſtphalorum; qui poſtremi etiam antiquorum Saxonum nomen obtinent apud Bedam, Marcellinum, D. Bonifacium, & Gregorium Pontificem ad *Altſaxones* ſcribentem, nec alii à recentioribus ſcriptoribus agnoſcuntur. Quanquam harum regionum populi non tam victi armis Saxonum, quàm quòd ultrò in fœdus & Saxonum nomen conceſſerint; quique priùs diverſis nominibus Sicambri, Attuarii, Ampſivarii, Cheruſci, Marſi, aliique dicebantur, iidem

dem

dem pòſt exuto Francico nomine in Saxonum nomen & Rempubl. tranſierunt, donec ferociſſima gens à Carolo M. poſtremùm debellata Chriſti religionem ſuſciperet, ac Francorum imperio trans Rhenum exſpirante, Henricus Auceps & Otto M. imperium ad populares Saxones transferrent. Ita verò bellicoſæ harum regionum gentes Franci & Saxones, extinctis Gothorum, Wandalorum, Longobardorum, Alemannorum, cæterorumque barbarorum per Europam regnis, conſtantiſſimum ac validiſſimum imperium tenuêre, Francis per Galliam & Italiam, Saxonibus per Germaniam transrhenanam & Britanniam terrâ marique dominantibus; tanquam Virtus & Fortuna ſemper inter hos contendiſſe videantur. Quo neſcio quid ad gentis noſtræ gloriam aut illuſtrius inter monumenta poſteritatis memorari, aut dignius aliquando poſt hæc præludia noſtra excoli poſſit.

4. PIPINUM FUSO SPECTAVIT OVANTEM.] Quod Annales Francorum apud Reuberum nos docent: *Hoc anno,* DCCLIII. *Pipinus Rex cum exercitu magno Saxoniam ingreſſus eſt: & quamvis Saxones ei obſtinatiſſimè reſiſterent, pulſi tamen ceſſerunt, & ipſe uſque ad locum* Rimi, *qui eſt ſuper Wiſeram, acceſſit. In qua expeditione Hildigarius Archiepiſcopus interfectus eſt in monte, qui dicitur Viburg.* Eadem pænè habet ad hunc annum Aimoinus.

5. REMA.] In Annalibus Francorum, quos modò attulimus, *Rimi* nominatur. In Aimoino legitur: *At ipſe,* Pipinus, *uſque ad locum qui dicitur* Rum, *qui eſt ſuper fluvium Wiſuram, acceſſit, in qua expeditione Hildigarius Archiepiſcopus interfectus eſt in monte qui dicitur Diburg.* In Adonis Viennenſis Chronico habes: *Mox Pipinus Rex Francorum factus, bellum in Saxoniam movit: in quo Childegarius Epiſcopus à Saxonibus occiſus eſt in caſtro Witberg. Victor Pippinus pervenit uſque ad locum qui* Rhime *dicitur.* In vita Caroli M. apud Pithæum, & Chron. Reginonis, *Rimia,* in Annal. Francorum apud Caniſium *Rimee,* in diplom. S. Henrici Imp. An. MXIII. *Rimi,* & in literis B. Meinwerci ſuper fundat. Monaſt. in Abdinghoff An. MXXXI. datis, *Rime*; hodie Remen nuncupatur, ad Wernæ & Viſurgis confluentes in Comitatu Ra-

venſpergio, & Flotana præfectura non ignobilis vicus. Habuit olim cœnobium monialium titulo Vallis benedictionis, fundatum An. MCCLVIII. de cujus tranſlatione vid. Crantzii Metrop. lib. 8. cap. 9. & Hamelmanni Chron. Oldenburgenſe parte primâ cap. 21. ita Meibomius in not. ad Irmenſulam. Hic etiam generalem conventum à Ludovico Rege Germaniæ An. DCCCLII. habitum putant, qui in Annal. Francorum apud Pithæum & Reuberum, loco *Nimiæ, Rimia* legunt, cùm in ripa Viſurgis nuſquam ſit *Nimia*, ſed procul indè diſtet, ſi quidem Nihemium oppidum diœceſis Paderb. eo nomine intelligatur. Verba ſunt hujuſmodi: *Igitur in loco, qui appellatur Nimia, ſuper amnem, quem Cornelius Tacitus ſcriptor rerum à Romanis in ea gente geſtarum, Viſurgim, moderni verò Wiſuracha vocant, habito generali* (Saxonum) *conventu, tam cauſas populi ad ſe perlatas juſto abſolvit examine, quàm ad ſe pertinentes poſſeſſiones, judiciorum gentis decreto recepit.*

6. HILDIGARIQUE NECI VICTRICIA CASTRA SECUTI.] Hildigarii, Archiepiſcopi Colonienſis cædem, Francorum Annales ad unum omnes, quos & ego præ aliis ſequor, in annum DCCLIII. conjiciunt, ex quibus Fuldenſes ita narrant: *Pipinus iterum Saxonum perfidiâ provocatus, regiones eorum devaſtat: in qua expeditione Hildigarius Colonienſis Archiepiſcopus à Saxonibus interimitur.* Locum necis deſignat Aimoinus *Duburg*, Annales Francorum apud Reuberum vocant *Viburg*, Annal. Caniſiani *Caſtrum Viberg*, Ado Viennenſis *Caſtrum Witbergh*, Regino *Nigberg*, Gerhardus Cleinſorgius *Iborg* interpretatur, caſtrum diœceſis Oſnabrugenſis. In vetuſtis Colonienſium tabulis apud Cæſarium Heiſterbacenſem dicitur *mons Wiburg*. Quem Meibomius in notis ad Irmenſulam, & Bernardus Mallincrodius, Decanus olim Monaſterienſis, non minus doctrinâ, quàm genere nobilis, lib. 2. de Cancellariis cap. 1. aſſerunt eſſe montem *Wedenberg*, hunc Bernardus Luderus in encomio urbis Mindæ, *Montem Vedegonis* appellat, horarii itineris ſpatio ad Viſurgim, non procul Rhemâ, ſupra Mindam ſitum. Cæterùm Hildigarium Carolus M. ſepelivit in monte *Ovesberg*, teſte Henrico de Hervordia lib. 2. c. 69. Quem *pro conſtantia fidei & re-*

& regni, Petrus Merſæus Cratepolius ait, *ab hoſtibus cæſum fuiſſe.* De anno obitûs pluribus agit Ægidius Gelen. in Hierotheca Engelbertina.

Non immeritò hîc quiſpiam requiret, quid Epiſcopi in caſtris, quid in bellis egerint, quorum vita Deo conſecrata eſt ad cultum divinum, ad Cleri populique curam, utque gregi ſuo præſentes ac vigiles adſint? Alia illis militia præſcripta eſt, in ſacra toga, non militari ſago. Arma eorum quibus pugnent pro Eccleſia Dei, quotidianum pro Regibus & populo ſacrificium, publicæ ſtatæque pro grege preces, libri ſacri, ex quibus verbum Dei doceant, ſacri Canones, ad quorum præſcripta regant, ſacrorum adminiſtratio; & quæ ejuſmodi in hanc rem objici ſolent, imperitè magis, quàm prudenter. Quaſi verò militia non ſit etiam congregatio Chriſtianorum hominum, quibus & hæc arma & ſubſidia Sacerdotum præſtò eſſe debent in caſtris & bello, haud ſecus quàm aliis, qui domi remanent, & pro quibus milites pugnant. Ideò religioſiſſimi Reges & Imperatores ſibi Epiſcopos, ut ſacrorum præſides, & caſtrenſium Sacerdotum moderatores adeſſe voluerunt; Sacerdotes verò tanquam animarum curatores, qui Sacramenta militibus adminiſtrarent. Quam in rem, ut cætera prætermittantur, ſiſtimus Concilium Germanicum, auctoritate Zachariæ Pontificis, per Legatum ejus D. Bonifacium Archiepiſcopum, Ratisbonæ ſub Carolomanno Majore Domûs, Caroli Martelli filio, & Caroli M. patruo XI. Kal. Maii, An. Chriſti DCCXLII. habitum. Ita enim Can. II. ejus Concilii perſcribit: *Servis Dei per omnia armaturam portare vel pugnare, aut in exercitum & in hoſtem pergere, omnibus prohibuimus, niſi illis tantùm, qui propter divinum myſterium, Miſſarum ſcilicet ſolemnia adimplenda, & Sanctorum patrocinia portanda ad hoc electi ſunt: Id eſt unum vel duos Epiſcopos, cum Capellanis & Presbyteris eorum, Princeps ſecum habeat, & unuſquiſque Præfectus unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus judicare, & indicare pœnitentiam poſſit.* Concil. General. tom. 17. Othlonus in vita D. Bonifac. lib. I. c. 41. & 42. Willibaldus cap. 10. Serarius lib. 3. not. 31. Benedictus Levita lib. 5. in præfat. Baron. ad An. DCCXLII. Surius

rius in vita D. Bonifac. Nauclerus generat. 25. aliique de hoc celebri Epiſcoporum concilio.

Jam ante Hildigarium Colonienſem Epiſcopum, amiſerat Moguntia Geroldum Epiſcopum ſuum in bello cæſum, uti ab Othlono relatum lib. 1. c. 41. Vaſtantibus quippe Thuringiam Saxonibus, Geroldum Moguntinum cum exercitu miſit Carolomannus, quo in prælio cecidit Epiſcopus cum aliis. Id factum ut excuſet Serarius, *ſoliti*, inquit, *fuère hi Principes etiam Epiſcopos ad bella, præſertim quæ contra infideles gererentur, quaſi ſacra forent, ducere; ſed modum, & commiſſum Epiſcopi munus prætergreſſus videtur Geroldus, qui miſcendo ſe præliantibus, arma induit.* Ideò in Ratisbonenſi Synodo hæc præſcripta, confirmataque mox in Liptinenſi Concilio. eò inter Canones illos relatum: *Interdicimus ſervis Dei, ne pompato habitu, vel ſagis, vel armis utantur.* Quæ & Bonifacius epiſt. 105. ad Cudbertum Archiepiſcopum à ſe cæteriſque Epiſcopis ſtatuta fuiſſe perſcribit.

Poſt ubi res ad priorem libertatem rediit, multique Epiſcopi, deſerto grege ſuo, caſtra denuo ſecuti ſunt, queſtus ipſe populus ſupplicem Carolo M. libellum porrexit, hiſce verbis, quæ ex Capitulis Carolinis Wormatiæ decretis recenſentur: *Flexis omnes precamur poplitibus Majeſtatem veſtram, ut Epiſcopi deinceps, ſicut hactenus, non vexentur hoſtibus, ſed quando vos noſque in hoſtem pergimus, ipſi propriis reſideant in parochiis, Deoque fideliter famulari ſtudeant, & eorum ſacroſancta myſteria canonicè & Deo placitè peragere ſatagant, atque pro vobis ac cuncto exercitu veſtro, unà cum omnibus ſibi commiſſis orare viriliter, Miſſaſque decantare, & Litanias atque eleëmoſynas facere decertent. Quoſdam enim ex eis in hoſtibus & præliis vulneratos vidimus, & quoſdam periiſſe cognovimus. Hæc vero valde periculoſa, & oppidò ſunt cavenda. Quæ idcirco ſuggerimus, ne pro talibus vos & nos ſimul pereamus.* Et quæ in hunc modum libellus ſupplex exponit, lib. 6. c. 285. Capitulorum, tom. xx. Concil. General.

Ad ea reſpondit Carolus, promptum ſe quidem eſſe juſtæ petitioni ſatisfacere, ſed hæc priùs *ad proximum ſynodalem conventum ac generale placitum, ubi plures Epiſcopi & Comites convenerint*, referenda

renda eſſe. Igitur proximo Epiſcoporum & Comitum conventu hâc lege ſancitum: *Carolus Dei gratiâ Rex, Regni Francorum rector, devotus ſanctæ Eccleſiæ defenſor, atque adjutor in omnibus; Apoſtolicæ ſedis hortatu, omniumque fidelium noſtrorum, ac maximè Epiſcoporum ac reliquorum Sacerdotum conſultu, ſervis Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum & in hoſtem pergere omnino prohibemus, niſi illis tantummodò, qui propter divinum miniſterium, Miſſarum ſcilicet ſolemnia adimplenda, & Sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi ſunt. Id eſt, unum vel duos Epiſcopos, cum capellanis presbyteris, Princeps ſecum habeat, & unuſquiſque Præfectus unum presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus judicare, & indicare pœnitentiam poſſit.* lib. 7. Cap. Carolin. c. 91. tom. xx. Concil. General.

Ita verò Canon Ratisbonenſis Concilii repetitus, & quod à Carolomanno patruo, id auctoritate quoque Caroli M. ſancitum eſt. Sed non eo contentus Carolus M. aliâ poſt lege hæc multò dilucidiùs ſanxit. Referam decreti verba. *Secundâ vice propter ampliorem obſervantiam, Apoſtolicâ auctoritate, & multorum ſanctorum Epiſcoporum admonitione inſtructi, ſanctorumque Canonum regulis edocti, conſultu videlicet omnium Nobilium noſtrorum noſmetipſos corrigentes, poſteriſque noſtris exemplum dantes: volumus, ut nullus Sacerdos in hoſtem pergat, niſi duo vel tres tantùm Epiſcopi, electione cæterorum, propter benedictionem & prædicationem, & cum illis electi Sacerdotes, qui bene ſciant populis pœnitentias dare, Miſſas celebrare, de infirmis curam habere, ſacratique olei cum ſacris precibus unctionem impendere, & hoc maximè providere, ne ſine viatico quis de ſæculo recedat. Hi verò nec arma ferant, nec ad pugnam pergant, nec effuſores ſanguinum, vel agitatores fiant, ſed tantùm Sanctorum pignora, & ſacra miniſteria ferant, & orationibus pro viribus inſiſtant, ut populus qui pugnare debet, auxiliante Domino, victor exiſtat, & non ſit Sacerdos ſicut populus. Reliqui verò qui ad Eccleſias ſuas remanent, ſuos homines bene armatos nobiſcum, aut cum quibus juſſerimus, dirigant, & ipſi pro nobis, & cuncto exercitu noſtro Miſſas, Litanias, oblationes, eleëmoſynas faciant, orantes Deum cœli, ut proficiamus in itinere quo pergimus, victoreſque Deo adminiculante exiſtamus. Gentes enim &*

reges earum, quæ Sacerdotes ſecum pugnare permiſerunt, nec prævalebant in bello, nec victores extiterunt, quia non erat differentia inter laicos & Sacerdotes, quibus pugnare non eſt licitum. Hæc enim Galliarum, Spaniarum, Longobardorum, nonnullaſque alias gentes, & reges earum feciſſe cognovimus, qui propter prædictum nefandiſſimum ſcelus, nec victores extiterunt, nec patrias retinuerunt. Quam foveam caventes, malumus cum paucis & licitis, Domino opem ferente, victores exiſtere, quàm cum multis & illicitis terga, quod abſit, vertere, & cum prædictis gentibus perire. Qualis enim victoria datur, ubi Sacerdotes unâ horâ Dominica pertractant Myſteria, & Chriſtianis Dominicum porrigunt Corpus pro ſuarum animarum redemptione, & poſt Chriſtianos, quibus hoc miniſtrare debuerant, aut paganos, quibus Chriſtum prædicare, propriis ſacrilegiſque manibus necant? Ita Carolus M. religioſiſſimus Imperator, quemadmodum hæc inter ejus Capitula & decreta recenſentur ab Andegiſo l. 7. c. 103. & tom. xx. Concil. General.

Quâ præclarâ Caroli M. conſtitutione multa ad omnem poſteritatem memoranda traduntur. Nam præter ſolicitudinem, quam pro militibus ſuis geſſit, ne quis miles inter bella neglectus, & Sacerdotum ope deſtitutus periret; tum vel maximè Epiſcoporum auctoritati conſultum voluit, ne ſuo imperio Epiſcopum quempiam ad caſtra evocaret: ſed quem libera inter ipſos electio, aut Metropolitani judicium ad id caſtrenſe munus admoveret. Dum verò cæteros Epiſcopos, qui domi ad Eccleſias remanent, hortatur Carolus, ut homines ſuos bene armatos ſubmittant ad exercitum, ſatis opinor commonſtrat, quæ tum etiam Epiſcoporum potentia fuerit. Nec modò Geroldus Moguntinus Epiſcopus, ſed & cæteri ſuo milite, ſuoque ductu cum regio exercitu proceſſerint ad bella adverſus Paganos, quæ ob id ſanioribus deinde legibus coërcita ſint. At nihil in hac conſtitutione illuſtrius, quàm recognoſcere, quam Carolus M. religionem coluerit. Reperias enim hâc tempeſtate, qui Carolum M. Catholicam cum Romano Pontifice religionem coluiſſe negant, quique id editis etiam hac ſuper re libris per ſummam, neſcio, inſaniam, an impudentiam dicam, perſuadere volunt.

volunt. Hìc ego ut prætermittam, quam familiaritatem & conjunctionem religionis habuerit Carolus M. cum Hadriano Pontifice tot annis, quam cum Leone; quâ obſervantiâ Romanam ſedem veneratus, ut ob id quater Romam profectus ſit ad limina Apoſtolorum inviſenda; quo cultu religionis Epiſcopatus Saxoniæ, collegia Sacerdotum, & cœnobia Monachorum inſtituerit dotaritque, & quæ innumera ſunt ejuſmodi. In præſens ad hæc Caroli decreta illos revoco. Intelligent hîc ſacrificium Miſſæ priſco majorum ritu, Epiſcoporum venerationem, diſcrimen inter Epiſcopos & Presbyteros, Sacerdotum poteſtatem in judicando abſolvendoque, pœnitentiam quæ confitentibus injungitur, ſacri Olei unctionem, ne quis ſine viatico hac exeat è vita, oblationes ad altare, Sacerdotalem benedictionem, Litanias, & in his Sanctorum invocationem, Divorum patrocinia ex cultu pignorum, quæ ob id in bello etiam circumferebant, Corpus Dominicum etiam ſub una ſpecie præbitum militibus. Antiqua hæc, ex quo Saxonia Chriſti religionem primùm à Carolo accepit, indè ad nos continuâ ſucceſſione Epiſcoporum, & perpetuitate religionis traducta; ſed tam diverſa & diſcrepantia à nova hujus ſæculi doctrina, quàm heterodoxi à Catholicis, falſum à vero disjunguntur. Quantò nunc æquiùs ejuſmodi ſcriptores, ac magiſtros novarum religionum, illo D. Hieronymi pronuntiato, ex epiſtola ad Pamachium & Oceanum, convenias. *Quiſquis aſſertor es novorum dogmatum, quæſo te, ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apoſtolico ore laudata eſt. Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod antè neſcivimus? Uſque in hanc diem ſine veſtra illa doctrina Chriſtianus mundus fuit.* Mille & ſexcenti ſunt anni, ex quo orbis Catholicus à Chriſto & Apoſtolis, octingenti ſunt anni, ex quo Saxonia per Apoſtolicos viros, & Epiſcopos à Carolo M. introductos, hanc Catholicam fidem accepit. Igitur ut S. Hilarius lib. 6. de Trinit. *tardè hos Doctores ætas nunc hujus ſæculi protulit, ſerò hos habuit fides mea*; & omnium Majorum noſtrorum.

7. FORTIS ET EXEMPLO CAROLUM.] Caroli M. paternis veſtigiis inhærentis expeditionem ad confluentes

Wernæ & Viſurgis, literis conſignavit ad annum DCCLXXXIV. Adelmus: *Rex autem congregato iterum exercitu in Saxoniam profectus eſt, celebratoque in caſtris natalitio Domini die, ſupra Ambram fluvium in pago Huthagoë, juxta caſtrum Saxonum, quod dicitur Skidroburg, ad locum vocabulo Rum, quo Wiſura & Waharna confluunt, populabundus acceſſit, &c.* Eadem ferè habent Annal. Francor. apud Reuberum. Et auctor vitæ Caroli M. apud Pithæum ait: *Inde abiens in Saxoniam, pervenit ad Rimia ſupra fluvium Wiſora, ubi confluit Warana.* Annales Caniſiani: *Tunc dominus Rex Carolus ſupradictum iter peragens, uſque ad Rimee pervenit ſuper fluvium Wiſeraha, ubi confluit Virharna.* Regino: *Pervenit ſuper fluvium Wiſaram, ubi confluit Waahna.* Poëta Anonymus:

—— proceſſit ad oſtia Warnæ,
Quà fluit in Wiſuram.

8. GENITORIS AVIQUE.] Superiorum Franciæ Regum bella cum Saxonibus geſta paulò antè attigimus, nunc de Caroli Martelli, & Pipini ejus filii expeditionibus breviter agamus. Et quidem Carolus Martellus *Anno* DCCXXI. *Saxones vaſtavit.* Annal. Fuldenſ. Et *Anno* DCCXXXVII. *eoſdem tributarios fecit.* Annal. Pithæi. *Anno* autem DCCXLV. *Carlmannus & Pippinus ſimul Saxonum perfidiam, vaſtatâ eorum regione, ulciſcuntur.* Annal. Fuld. *Anno* DCCXLIIX. *Pippino per Thuringiam ingreſſo Saxoniam ſupra fluvium Obacra, in loco qui dicitur Horoheim, Saxones occurrunt,* &c. Annal. Pithæi. *Anno* DCCLIII. *Pipinus iterum Saxonum perfidiâ provocatus regiones eorum devaſtat.* Annal. Fuld. Annales Franc. apud Reuberum, Aimoinus. *Anno* DCCLVIII. *Pipinus Rex in Saxoniam, ibi & firmitates Saxonum per virtutem introivit, in loco, qui dicitur Sithma.* (Regino *Sitina* vocat, hodie Sithen / in diœceſi Monaſterienſi Nobilium de Ketteler ſedes, nuncupatur.) Annales Francorum apud Caniſium. Et victis *Saxonibus tributum impoſuit, ut trecentos equos ſingulis annis ſibi ſolverent.* Annal. Franc. apud Pithæum & Reuberum, Aimoinus. Quemadmodum olim *quingentas vaccas inferendales à Clothario ſeniore, Clodovei filio, Chilperici patre, regiæ menſæ inferre juſſi fuerant, quæ ideo inferendales dicebantur, quòd ſingulis inferrentur annis.* Aimoinus l. 4. c. 26. Fredegarius Scholaſticus c. 74.

9. QUAM

9. QUAM QUOD RHEMORUM.] Henricus de Hervordia lib. 2. c. 69. affirmat *Remæ* à Carolo M. templum eſſe conditum, locoque nomen inditum à *Rhemis*, urbe Archiepiſcopali in Galliis, quod Meibomius facilè ſe credere ait: fuiſſe enim familiare Carolo M. peregrina nomina noſtris locis inferre. Sed ego potiùs à ſuperioribus Francorum Regibus ad Viſurgim belligerantibus, quàm à Carolo M. *Remæ* hoc nomen impoſitum crediderim; cùm ſatis ſit cognitum, jam ante Carolum M. *Remæ* nomen ad confluentes Wernæ & Viſurgis extitiſſe. Hæc de *Rema*; quæ licet ad Paderbornenſes propriè non pertineat, quia tamen Diœceſis noſtræ fines proximè contingit, & Mindenſis Eccleſia priſtinæ dignitatis ſtatum, fatali rerum hoc ſæculo converſione, jam amiſit, jure vicinitatis eam nobis, quoad fas eſt, vendicamus.

ERESBURGUM
AD DIMOLAM.


MEMORIÆ. SACRUM

HOSPES. ERESBURGI. PRÆRUPTAM. CONSPICIS. URBEM
ANTIQUA. CELEBREM. RELLIGIONE. LOCUM
MARTIS. IBI. QUONDAM. SIMULACRO. NOBILE. FANUM
SAXONIÆ. COLUMEN. PRÆSIDIUMQUE. FUIT
QUOD. LEO. VASTATUM. CAROLI. VICTRICIBUS. ARMIS
SACRAVIT. VERO. RESTITUITQUE. DEO
MANSIT. ET. HOC. NOSTRÆ. GENTI. DUM. BARBARUS. HOSTIS
AUGUSTUM. NOSTRO. TEMPORE. VERTIT. OPUS
NONNE. GIGANTEOS. MERUIT. RENOVARE. TRIUMPHOS
QUÆ. MANUS. IN. SUPEROS. HOC. FUIT. AUSA. NEFAS

FERDINANDUS. DEI. ET
APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCO-
PUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR
MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS
COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BA-
RO. DE. FURSTENBERG

ERESBURGI. IN. DIOECESI. PADERBORNENSI
FIRMISSIMI. OLIM. SAXONUM. PROPUGNACULI
NEC. MAGIS. FRANCORUM. ARMIS. ET. IRMINSU-
LÆ. EXCIDIO. QUAM. EJUS. LOCO. A. CAROLO. M
EXSTRUCTI. A. LEONE. III. P. M. DEDICATI. BELLO
AUTEM. SUECICO. FUNDITUS. EVERSI. TEMPLI
RELIGIONE. CELEBRIS. MEMORIÆ
M. H. P

NO-


p 102
Eresburgum, hodie Mons Martis
ſeu Stadtberg.

NOTÆ.

1. ERESBURGUM.] Celeberrimus in Francica & Saxonica hiſtoria locus, quem Leo III. Pontifex in diplom. dato in *Eresburg*, Aſtronom. de rebus à Carol. M. geſtis apud Reuberum, Annal. Caniſiani, Annal. Francici, & vita Carol. M. à Pithæo edita, Ado Viennenſ. Ægil in vita S. Sturmionis, Urſpergenſis, Poëta Anonym. Crantzius, Aimoinus, *Eresburg*, *Eresburgum*, *Heresburg*, *Eresberg*, *Heresberg*; alii *Merſeburg*, *Mersberg*, *Marsburg*, *Montem Martis*, nominant, & docto commentario Meibomius in *Irminſula Saxonica* illuſtravit. Etymon nominis quoad poſteriorem partem clarum & obvium, prioris obſcurum & dubium. Gobelinus Perſona natum vult à religione, *quòd illuc è tota gente Saxonica quotidie ſacrificandi, oracula petendi, votique ſolvendi causâ multi confluerent, ut idem ſit* ERESBERG, *quod mons venerationis*. Idem tamen aliam adfert notionem, ac dictum putat ab Hera, quæ Græcis Ἥρα, Latinè Juno, priſcis Saxonibus culta. Scribit de Germanis Tacit. de morib. German. *in commune Herthum, id eſt terram matrem, colunt*. Hinc credi poteſt Heram eandem eſſe cum Hertho, & nomen dediſſe. Meibom. de Irminſul. c. 5. & in notis, Althamer. ad Tacit. de morib. Germ. Juſtus Winkelmannus *Hiresburgum*, hoc eſt, *Sacrum burgum* dictum putat: nam priſcis Saxonibus *Hire* idem eſſe, quod ſacrum dicunt, quod probat ex antiquis rhythmis Saxonicis.

2. AD DIMOLAM.] Nulla aut levis dubitandi cauſa, utrùm *Eresburgum* ſit in veteri Saxonia, an ad Salam Thuringiæ fluvium, ubi Epiſcopalis civitas Mersburgum; de hoc enim minimè intelligi poſſunt, quæ in hiſtoria Francica de *Eresburgo* memorantur. *An. 772. Carlus Saxoniam bello aggreſſus Eresburgum caſtrum cepit*. Annal. Franc. vita Carol. M. apud Pithæum, Aſtronom. Urſpergen. Regin. *quod* (An. 775 Poëta Anonym. alii An. 774.) *iterum Saxones per mala ingenia & iniqua placita capientes, Francos expulerunt, & caſtrum deſtruxerunt*. Vita Carol. M. apud Pi-

Pithæum p. 23. An. 775. *Carlus Saxonum perfidiam ultus Ereſburgum readificat.* Annal. Franc. editi à Pithæo, Aſtronomus, vita Carol. M. Regin. An. 776. *Cui* (Carolo) *vix Alpes transgreſſo occurrerunt, qui nunciarunt Eresburgum arcem à Saxonibus expugnatam, & præſidium Francicum, quod in eo poſuerat, expulſum.* Aſtronom. apud Reuber. Annales Francici incerti auct. apud Pithæum. *Tunc Rex cum Francis reſtauravit Heresburgk caſtrum.* Regin. ad An. 776. Aſtronom. l. c. An. 780. *Tranſierſque per arcem Eresburgum ad fontem Lippiæ venit.* Aſtronom. apud Reuber. *Carolus Saxoniam ingreſſus ad Heresburgk venit, & indè ad locum ubi Lippa conſurgit.* Regino in Chron. An. 784. *Cùmque eum ulteriùs progredi tam hyemalis temporis aſperitas, quàm aquarum inundatio prohiberet, Eresburgum arcem in hyberna conceſſit.* Aſtron. apud Reub. An. 785. *Rex Carolus in Heresburc ſuper hyemem reſidebat, & Saxones in pace conquieſcunt.* Fragment. Annal. Francic. p. 88.

Nuſquam deinde Leonem Papam ad Salam Thuringicum penetraſſe ſcribitur, qui tamen, ut ſuo loco oſtendetur, Paderbornam ad Carolum venit, atque Eccleſiam *Eresburgi* conſecravit. In hac Eccleſia, teſte Widekindo & Gobelino, cæſus Dancmarus, cum quo Otto M. non in Thuringia, ſed Weſtphalia bellum geſſit. Fuit igitur *Eresburgum* in Saxonia veteri ſeu Weſtphalia, non tamen ad ripam *Viſurgis*, ut Ado Viennenſis autumat; neque ad fontem vel fluvium *Lippiæ*, ut Erneſtus Brotufius hiſt. Anhal. l. 1. c. 14. Marcus Wagner. in vita Carol. M. & Joannes Lampadius in mellificio hiſt. opinantur; nec etiam ad *Ruram* fluvium, ut Letznerus in hiſt. Caroli M. c. 21. adfirmat; nec ad arcem *Driburgum* diœceſis Paderborn. ut vult Tilemannus Friſius in ſpeculo de monetis l. 3. c. 1. & 8. Nec ad *Ambram* ſeu *Emmeram* haud procul Ludâ oppido; id quod Piderit. in Chron. Lippienſi ſentit: Sed ad *Dimolam*, qui magnam diœceſis Paderborn. partem emenſus, haud procul *Heriſtallo Saxonico* in *Viſurgim* effunditur; ubi etiamnum ſupereſt Præpoſitura à Ludovico Pio Monaſterio Corbeienſi donata. *Domnus Ludovicus Imperator Auguſtus Caroli M. filius tradidit Monaſterio* (Corbeienſi) *locum Huxeri cum omnibus ſuis: Eresburg & Meppiam Abbatiolas, & cætera prædia*

in

in Aquilone. Juditha Imperatrix hæc à viro ſuo obtinuit. Chronicon Corbeienſe editum à Meibomio. Henricus de Hervordia citatus ab eodem ex Ordinario Corbeienſi. Diutiſſimè præterea vetus nomen *Eresberg* & *Heresberg* conſervatum, uti ex his literis Wiboldi Abbatis Corbeienſis anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecundo, & Conſulum ac populi oppidi Eresbergenſis anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo nono, datis apparet. *In nomine Domini noſtri* JESU *Chriſti.* WIBOLDUS *Dei gratia Corbegenſis eccleſiæ Abbas omnibus præſentibus & futuris in perpetuum. Quoniam res geſtas literarum monumentis tradere tam ad præſentium memoriam quam ad futurorum notitiam cautum eſt. idcirco & nos præſentibus ac poſteris per hos apices inſinuamus. qualiter Venerabilis Epiſcopus Paderbornenſis Bernhardus ex noſtro & Corbegenſis Capituli conſenſu. emit à fratre noſtro Reinhero Præpoſito & cæteris fratribus noſtris de monte* ERESBERGH VIII. *talentis denariorum domum quandam & arcam in villa nomine Frenkenhuſen. &* XL. *jugera dimenſæ terræ ad eandem domum pertinentis. Cujus poſſeſſionis emptæ à prædicto Venerabili Epiſcopo legitimam per hæc ſcripta emancipationem facientes. ei quod factum eſt ſcripto atteſtamur. & adperpetuam firmitatem ſigillo noſtro hanc ſcripturam munimus. Data Corbeiæ anno Dominicæ Incarnationis* MCLII. *indictione prima.* XVI. *Kalend. Octob. publicè in capitulo Corbeiæ. ſub teſtimonio Henrici Prioris. Adelberti Præpoſiti. Conradi Cellerarii. & reliquorum fratrum tam majorum quam minorum.* Coss. & populi Eresbergenſis tabulæ ſunt hujuſmodi. *Nos Conſules & univerſitas Montis qui dicitur Heresberg univerſis præſentem paginam inſpecturis præſentium tenore ſignificandum duximus. quod cum nos à villa Horehuſen ad montem qui dicitur Heresberg Paderbornenſis Diœceſis noſtra domicilia tranſtuliſſemus. ac montem munientes eundem ab obedientia Eccleſiæ Paderburnenſis. quæ eidem in ſpiritualibus eramus ſubjecti. inobedienter receſſiſſemus. tandem cum eadem Eccleſia convenientes. inter ipſam & noſtram univerſitatem talis ordinatio intervenit. quod nos errorem noſtrum recognoſcentes. & ad obedientiam matris noſtræ Eccleſiæ videlicet Paderburnenſis redeuntes. debitum in ſpiritualibus ad ipſam habebimus reſpectum. & Clericum quem Epiſcopus Paderburnenſis.*

nenſis. apud nos Eccleſiæ conſtructæ ſive conſtruendæ. & à noſtra univerſitate dotandæ. præfecerit. quemque Archidiaconus loci. dono altaris inveſtiverit. tanquam noſtrum plebanum modo ad præſens recipiemus reverenter. remanente nihilominus apud nos poſt mortem ejuſdem plebani. alium nobis eligendi plebanum libertate. dummodo electus à nobis Archidiacono. ad recipiendum donum altaris & curam animarum præſentetur. ipſamque Eccleſiam noſtram Dominus Epiſcopus parrochialem faciendo. & ſepulturam ibidem indulgendo. tempore oportuno conſecrabit. Præterea Archidiaconum de Capitulo majoris Eccleſiæ Paderburnenſis. qui ſynado Horehuſen præſidere conſuevit. in monte & præfata Eccleſia ſynado præſidentem tamquam noſtrum Archidiaconum cum omni jure quod ipſe Archidiaconus antequam nos ad montem transferremus in Capella S. Dyoniſii Horehuſen habuit. & adhuc circa univerſam plebem ejuſdem Archidiaconatus habere dinoſcitur. admiſimus. duobus tamen articulis non de jure ſed de benignitate & gratia Archidiaconi & Eccleſiæ. exceptis. quod nec denarios vel obulos ſynodales perſolvemus. & quod homines inter nos ſervilis conditionis. à ſcabinis accuſati. non in ferro candenti. ſicut alias conſuetum eſt. ſed manu duodecimâ ſuam expurgationem præſtabunt. Ne autem hæc præſcripta ordinatio. tam ab Eccleſia Paderburnenſi. quam à noſtra univerſitate valeat inpoſterum revocari. vel aliquid in ipſa immutari. præſentem cartam ſigilli noſtræ univerſitatis appenſione. ac teſtium annotatione roboratam. quam cartam etiam ſub eodem tenore. Domini Epiſcopi & Capituli ſigillorum impreſſione munitam. ab ipſa Eccleſia accepimus. ad exhibendum pro & contra nos ſi neceſſe fuerit. Eccleſiæ dedimus eidem. Acta ſunt hæc Anno Dominicæ incarnationis M. CC. XXIX. VII. *Kalend. Septembris. Teſtes hujus rei ſunt. Herman de Veſperthe. Johan de Eleren. Tetmar de Durſlo. Johan de ſancto Magno. Johan de Weſthem. plebani. Milites vero. Andreas de Durſlo. Olricus de Weſthem. Alradus. Henric de Brocbike. Stephanus. fratres de Dalhem. Tideric de Etlen. Bodo. Henric & Johan de Schnevethe. Conſules vero Vollant. Alrat. Herman. Conrat. Monetarii. Tideric de Geſmaria. Tideric de Velrebergh. Ludolff de Capella. Henric Weſtval. Henric de Dune. Regenhart de Hoburgehuſen. Regenhart*

hart de Hattepe. Johan de Fabrica. & tota univerſitas montis ejuſdem.

L. S.

Proximo tamen ſuperiori anno *Eresburgum* etiam *Montem Martis* appellatum eſſe teſtatur hoc diploma. *Henricus Dei gratia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus. Univerſis Imperii fidelibus quibus præſens ſcriptum exhibitum fuerit gratiam ſuam & omne bonum. Ad notitiam univerſorum volumus pervenire. Nos mandatum Domini Imperatoris patris noſtri recepiſſe. quod nequaquam ratam habere vellet Warandiam. quam in ſolemni curia noſtra apud Herbipolim feciſſe dinoſcimur de* MONTE MARTIS *Archiepiſ. Colonienſi in Abbatis dilecti Principis noſtri præjudicium Corbcienſis. Et quod eundem Abbatem in poſſeſſionem dicti montis remitteremus. eidem plenam Warandiam præſtando prædictus Dominus noſter Imperator nobis firmiter injunxit. Nos verò mandatum Domini Imperatoris patris noſtri conſervare & implere in omnibus cupientes. auctoritate præſentium in poſſeſſionem ejuſdem montis dictum Principem noſtrum Abbatem Corbaienſem mittimus cum omni jure. nullam juriſdictionem in ejuſdem montis poſſeſſione recognoſcentes Archiepiſcopo Colonienſi. Mandamus itaque per gratiam noſtram firmiter præcipientes. quatenus nullus auſu ductus temerario. memoratum Abbatem in poſſeſſione ſæpedicti montis impedire vel moleſtare præſumat. quod qui fecerit gravem indignationem noſtræ celſitudinis ſe noverit incurſurum. Teſtes hi ſunt. Henricus Venerabilis Eiſtetenſis Epiſcopus. Henricus illuſtris Dux Bavariæ. Comes H. de Dilingen. F. de Druhendingen. E. Dapifer de Walpruc. C. Pincerna de Winterſtede. & alii quàmplures. Datum apud Ulmam. Anno Domini* M. CC. XXVIII. *indict. prima.*

Poſtea verò *Eresburgi* nomen prorſus obſolevit: nam litteris anno 1247. conſcriptis, *Mons Martis*, & deinceps perpetuò appellatur. HERMANNUS *Dei gratia Abbas. Strigerus Præpoſitus. Albertus Prior. totuſque conventus Corbegenſis Eccleſiæ nec non Themo*

Præpoſitus Montis Martis & fratres ſui ejuſdem montis. Univerſis Chriſti fidelibus hanc paginam inſpecturis ſalutem in Domino. Super diſſenſione mota inter Dominum Simonem Electum & Capitulum Paderburnenſe ex parte una. & nos ex parte altera ſuper parochia. Archidiaconatu. & juriſdictione Diœceſiani ordinaria MONTIS MARTIS. *quam Dominus Paderburnenſis & Eccleſia ſua petebat ratione juris communis. & nos privilegiis & præſcriptione defendebamus. Magiſtro Ottone Decano Bremenſi. Magiſtro Thetmaro Canonico Monaſterienſi. Heinrico Decano & Hermanno Scholaſtico novæ Eccleſiæ mediantibus talis compoſitio intervenit. quod tenore præſentium publice & ſolemniter confitemur. quod venerabili Domino Simoni Electo & Capitulo Paderburnenſi ordinariam juriſdictionem & jura ſpiritualia Diœceſiano & ſuæ Eccleſiæ de jure communi debita in Monte Martis ſecundum formam recognoſcimus infrà ſcriptam. Conſentientes & eligentes quod Volradus Canonicus Paderburnenſis Archidiaconus in Horchuſen & ſui ſucceſſores qui pro tempore fuerint habitatoribus Montis ejuſdem ſive in Monte in Capella B. Nycholai. ſive in Horchuſen in Eccleſia B. Dionyſii prout ipſis placuerit ſynodo præſideant. Et quia Præpoſitus & fratres prædicti montis ad Abbatem tantum & Conventum Corbegenſem in ſpiritualibus & temporalibus reſpectum habere debent. ipſi tam ab Epiſcoporum quam Archidiaconorum Paderburnenſium juribus ſunt exempti. Conſenſum eſt etiam inter Paderburnenſem & Corbegenſem Eccleſias quod illi tantum ſunt excepti à frequentatione ſynodi & à juribus ſynodalibus qui infra ambitum Clauſtri cum Præpoſito & fratribus habitant & in emunitate exiſtentes eorum ſervitiis ſunt ſpecialiter deputati. Præterea Præpoſitus ejuſdem loci nomine Abbatis & Conventus Corbegenſis denarios ſynodales. tantum de habitatoribus Montis colliget annuatim. Archidiacono contra eoſdem habitatores ſi neceſſe fuerit in hoc per cenſuram eccleſiaſticam adjuvante. de quibus ſynodalibus denariis Præpoſitus idem ſex ſolidos graves Archidiacono ſtatim dum collecti fuerint annis ſingulis ſine qualibet difficultate perſolvet. Themo etiam nunc Præpoſitus qui parochiæ præeſt in eodem Monte à Domino Volrado Archidiacono curam animarum & donum altaris recepit & obedientiam Archidiacono debitam repromiſit. & deinceps Præpoſiti Montis Martis vel alii qui ab Abbate Corbegenſi Archidiacono in Horchuſen Canonico Paderburnenſi fuerint præſentati ad eandem parochiam donum altaris & curam*

ram

ram animarum perpetuo recipient in futurum. & Præpoſiti vel alii qui parochiam eandem habuerint ratione ejuſdem parochiæ in Eccleſia Paderburnenſi Epiſcopales ſynodos frequentabunt. Quod autem ea quæ præſcripta ſunt Eccleſiæ Paderburnenſi perpetuo ſervabimus. Nos & Eccleſiam Corbegenſem Paderburnenſi Eccleſiæ ſub pœna quingentarum marcarum hiis literis obligamus. Acta & completa ſunt hæc in Eccleſia Corbegenſi Anno Domini M. CC. XLVII. *in craſtino nativitatis B. Mariæ Virginis.*

L. S. L. S.

3. HOSPES ERESBURGI PRÆRUPTAM CONSPICIS URBEM.] *Eresburgum* præcelſo lateque conſpicuo monti impoſitum Widekindus & Ditmarus *urbem*; *civitatem* Auctor vitæ Caroli M. Annales Franc. vita Caroli M. apud Pith. Aſtronom. apud Reuberum, Ado Viennenſis, & complures alii *caſtrum*; Ægil in vita S. Sturmionis *caſtellum*, alii *arcem* appellarunt. Caſtri veteris aut nulla aut exigua veſtigia ſuperſunt. Urbs paulò ante An. 1247. inſtaurata videtur, domiciliis ex villa *Horhuſen* in montem *Heresberg* tranſlatis, monteque munito, ut ex diplom. cit. liquet. *Complectebatur*, ut Meibom. ſcribit, 500. *domicilia non inelegantia, civeſque ob commercia opulentos*: ſed numerum ædium fortunaſque civium multùm imminuit proximum bellum, quo An. 1646. 25. Maii oppidum à Suecis expugnatum, direptum, & munitionibus nudatum. Superiorum verò ſæculorum calamitates, quæ poſt Caroli M. devaſtationem Eresburgo acciderunt, vetus nobis MS. fragmentum membranæ Corbeienſis his verbis repræſentat ad annum Chriſti MCXLV. *Tertio deſtructa eſt urbs Eresburg. Primò per Karolum M. qui undecimo anno obſidionis fraude cepit & devaſtavit. Secundo per Fridericum Principem Arnesburgenſem precatu Erkenberti Abbatis. Tertio per Volcwinum virum præpotentem Sualenbergenſem. Nam werra inter ipſum & dominum Heinricum filiæ Friderici præmiſſi filium de Arnesberg oborta.*

quem & incolæ montis Eresburg ad contuendos ſe cum urbe adtraxerant. & ipſe fortes viros dominos videlicet Scardenbergenſes & Caſebergenſes inibi collocare decreverat ad humiliandum ipſum Volcwinum. qui & ei videbantur inimicari. ad condictam ergo diem quando convenire in monte debebant. ut unuſquiſque ſuam turrim altam & firmam inibi conſtrueret. D. Heinricus Abbas qui & urbem reædificaverat. & D. Volcwinus animotenus retractantes jacturam ditioni ſuæ & circumjacentibus latè bonis ſuis de his eventuram. diem prævenerunt. montem aſcenderunt. quid facto opus foret cùm non reperirent. totâ die illâ conſultantes ut ſine populi damno inhabitantis fieri ullatenus poſſet. in craſtinum diſtulerunt. Cùmque ſol ſubſequentis diei auroræ indicio ſe prodidiſſet. inconſulto & inſcio abbate. adhuc etiam & dormitante. per milites D. Volcwini nutu ipſius circumquaque urbs ſuccenditur & conſumitur.

4. ANTIQUA CELEBREM RELLIGIONE LOCUM.] Erat namque *Eresburgi* fanum nobile, ſive, ut Meibom. ſcribit, *religione auguſtum, magnitudine ingens, ſtructurâ operoſum, ſplendore magnificum, divitiis inclytum*, atque in hoc delubro vaſtiſſimum idolum totius Saxoniæ, numen gentis tutelare & commune. *Solebant antiqui Saxones, & cumprimis militares homines certis iiſdemque ſolemnibus & feſtis diebus armis induti, atque etiam cataphracti, gladiiſque accincti, dextrâ verò ceſtus ferreos vibrantes, alternis circa idolum patrium obequitare, interdum in genua procumbere, opemque præſentem & in bello ſecundam fortunam efflagitare. Huc quoque frequens populus ibat & vota reddebat. Multa ibi opulenta regum populorumque viſebantur munera, ingens auri argentique oſtendebatur copia.* Avent. l. 4. Annal. Boicorum.

5. MARTIS IBI QUONDAM SIMULACRO.] Non uno eodemque modo ab antiquis Francicarum Germanicarumque rerum ſcriptoribus nomen hujus ſimulacri, ſeu idoli enunciatur. Annales Francici, Fuldenſes, Adelmus, habent *Irminſul*: Hos ſequuntur Ditmarus Mersburgenſis, Schaffnaburgenſis, Hermannus Contractus, Urſpergenſis; modicè variant Adam. Brem. qui *Irmindſul*, Albert. Stad. qui *Erminſul*, auctor vitæ Carol. M. qui *Ermenſul*, & Annal. Caniſii *Ermenſil*, ſcribunt: alii aſpirationem adjungunt, in quibus Regino, *Hermanſaul*,

Ro-

Roleving. *Hermeſeul.* Sigebertus, Auctor lib. Ms. de Caroli M. Canonizat. & Chron. Belg. mag. *Hermenſul*, Ado Viennenſ. *Adurmenſul* appellant, Chronicon Saxonicum *Armenſul.* Quia ex duabus dictionibus compoſitum, de utraque controvertitur, an poſterior cippum, ſeu columnam, an verò aulam ſignificet; præcipuè verò de poſteriore diſſentiunt. *Nonnulli*, ut Crantzius in Saxonia, *Irmenſul interpretantur ſtatuam publicam. Conjici permittitur dictam Idermanſeul quaſi commune profugium & aſylum omnium.* Favet huic etymo Adam. Brem. qui *patriâ linguâ* idem eſſe vult, quod Latinis *univerſalis columna*, *quaſi univerſa ſtatuens*; Gobelin. *ſtatuam Mercurii* fuiſſe opinatur; Aventin. *Herminioni* ſacram fuiſſe contendit; Plurimi memoriæ *Harminii Cheruſcorum ducis* dicatam exiſtimant; Gorop. Becan. *hieroglyphicam eſſe* affirmat. Verùm magis credibile eſt, ſicut Tencteri & Uſipetes apud Tacit. lib. 4. hiſt. *Martem præcipuum ſuorum deorum* vocant, ita Saxones gentem bellicoſam *Martem* in eo coluiſſe: nam ut Widekind. lib. 1. (quem ſequuntur Rolevingius & Theodoricus Niemius) *Secundùm errorem paternum ſacra ſua propriâ veneratione venerati ſunt, nomine Martem effigie columnarum innitentes.* Chron. Saxon. vetus: *Hæc erat forma idoli Martis Marsburgi, quod Carolus M. deſtruxit in Weſtphalia.* Marti præterea ſimilior quàm Mercurio imago à Crantzio deſcripta. *Erat armati toto corpore effigies, cujus in dextra ſignum militare (noſtri vexillum vocant) præferens roſam: cujus breve momentum & facilis ortus & interitus, ita eventus præliorum. In ſiniſtra libram expandit, dubiam pugnantium ſortem facile huc illuc inclinantem; pectus inerme urſum præferebat, interritum bellatorum animum inſinuans. In clypeo leo, qui beſtiis imperitat, invictum ad fortia facta animum monſtrat: floribus conſito campo, in quo ſtabat, quod nihil jucundiùs ſolet videri fortibus, quàm in acie virtutem oſtendere.*

6. NOBILE FANUM.] Adamus Brem. Urſperg. Rhenanus, Huldricus Mutius, tradere videntur Irmenſulam ſub dio in aperto campo ſtetiſſe; at fani ſeu templi meminit vita Caroli M. apud Pithæum: *pervenitque uſque ad Ermenſul, & ipſum fanum deſtruxit, & aurum & argentum, quod ibi reperit, abſtulit.* Regino

gino totidem verbis ex vita Caroli M. Henricus de Hervordia ad annum Conſtantini Imp. 31. apud Meibomium in Irminſula Saxonica cap. 7. De Eresburgenſis fani & Irminſulæ ſacerdotibus & ſacrorum ritibus, Letzner. in Chron. Corbeienſ. & ex eo Meibom c. 4. Irminſulæ. Quibus illuſtrandis magnopere ſervit memorabilis, ſi quidem vera, hiſtoria, quam narrat Nicolaus Cauſinus in fine lib. Aulæ Sanctæ, ubi citat Chronic. Saxon. & Relationes Schaumburgii, Evodii, & Albini.

7. VASTATUM CAROLI VICTRICIBUS ARMIS.] Annal. Franc. apud Pithæum: *Carlus Saxoniam ingreſſus, Eresburgum cepit, & idolum Saxonum, quod vocabatur Irminſul, deſtruxit.* Urſperg. Regin. Quo tempore *Irminſulam*, ejuſque fanum *Eresburgi* Carolus deſtruxit, res mira contigit, ab Aſtron. auctore Annal. Franc. Urſperg. Reginone aliiſque ſcriptoribus magno conſenſu prodita. *Fuit ſiccitas magna, ita ut aqua deficeret in ſuprà dicto loco, ubi Ermenſul ſtabat. Et dum vellet ibi tres dies ſtare glorioſus Rex ad deſtruendum fanum ipſum, & valde homines & jumenta ſitirent, ſubitá Chriſti gratiá, mediá die cuncto exercitu quieſcente, apparuit eis torrens ebulliens ſalubres aquas, & cunctus exercitus & jumenta eorum ſufficienter recreati ſunt, & tam diu ebulliit aqua viva, donec fanum deſtructum eſt.* Sed quæ ad Dimolam amnem eſſe potuit aquæ penuria? an victorem Francum Saxones hoſtes aquatione prohibuêre? certè exercitui ſitienti vix magis defuit, quàm ingenio ſedem *Eresburgi* ad Dimolam, nedum ad Luppiam aut Viſurgim propugnanti, aqua hic hæret. Majorum quidem habet traditio, quam incolæ referunt, Dimolæ aquas veneno à Saxonibus infectas, & Carolum cùm preces ad Deum fudiſſet, ejus equum in montis declivi deſcenſu, quadrante circiter horæ ab Eresburgo, ungulâ fontem elicuiſſe, cui hodiedum *Regii fontis* ſit nomen, & aqua perennis. Sed vereor ne equi fontem aperientis ungula Pegaſi magis fabulam ſapere, quàm hiſtoriæ veritati conſentire videatur. Non ſatis autem pietati Caroli fuit impium *Irminſulæ* fanum evertere: nam in eodem loco Chriſtianum mox templum condidit, de quo Auctor vitæ Caroli M. MS. lib. 1. cap. 14. *Apud Eresburgum civi-*

civitatem Saxoniæ, quam propter inhabitantium perfidiam, & indomabilem contumaciam deleverat, ſed tamen poſt caſum in majori ſplendore zelo pietatis reſtruxerat. Poſt everſionem idoli, HERMENSUL, *id eſt,* STATUA HERMETIS, *ab incolis vocati, baſilicam imperialis munificentiæ & celſitudinis conſtruxit: ut quem locum cultura dæmonum ſordidaverat, Chriſtianæ religionis veneratio emundaret.* Hanc Baſilicam ipſum Leonis III. Pontif. & Ludovici Pii Imp. & Lotharii ejus filii diploma, quo Corbeienſi Monaſterio donatur, *Capellam* vocat, quod eſt hujuſmodi.

IN *nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri* JESU *Chriſti.* HLUDOVVICUS & HLOTHARIUS *divina ordinante providentia Impp. Auguſti. Omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris. præſentibus ſcilicet & futuris notum ſit. quia nos pro divini cultus amore & animæ noſtræ remedio. quoddam Monaſteriam quod nova Corbeia vocatur in honorem B. Stephani Protomartyris infra Saxoniam ſupra fluvium Wiſera. in loco qui dicitur Huxori conſtrui juſſimus. quod & viro Venerabili Adelhardo conſtruendum regendumque commiſimus qui erat Abbas in altero antiquiori monaſterio quod æque Corbeia vocatur. à quo & novum ſupradictum monaſterium nomen conſtat eſſe ſortitum. Itaque nos divina inſpiratione conpuncti & cæleſtis patriæ amore ſuccenſi. ob animæ noſtræ ſalutem conceſſimus eidem monaſterio Capellam. quam dudum Domnus & genitor noſter* KAROLUS *Imperator in Caſtello quod dicitur* HERESBURG *conſtrui juſſit. cum omnibus rebus ac mancipiis ac decimis ad eam pertinentibus. quantumcumque Domnus & genitor noſter eidem Capellæ pia devotione contuliſſe dinoſcitur. cum omni integritate prædicto monaſterio ad ſubſidia monachorum ibidem Deo famulantium per hanc noſtræ auctoritatis donationem à die præſenti perpetuo habendum atque poſſidendum conceſſimus. & in ditionem ejus tranſtulimus. eo videlicet modo. ut quicquid ab hodierno die de prædicta capella vel de his quæ ad eam pertinent. Rectores & Miniſtri ſupra memorati monaſterii. vel fratrum in eo degentium voluerint: abſque ullius injuſta contradictione ordinent atque diſponant. & faciant quicquid utilitatibus prædicti monaſterii congruere & convenire perſpexerint. Et ut hæc auctoritas largitionis noſtræ per futura tempora inviolabilem atque inconvulſam obtineat firmitatem. & à fidelibus noſtris tam præſentibus quam futuris ſeu etiam*

ſucceſſoribus noſtris verius certiuſque credatur. eam manibus propriis ſubter ſignavimus. & anuli noſtri inpreſſione ſignari juſſimus.

Signum HLUTHOVVICI *Sereniſſimi Imperatoris.*

Signum HLOTHARII *glorioſiſſimi Auguſti.*

Durandus Diaconus ad vicem Fridagiſi recognovit. Data XII. *Kal. Julii. Anno Chriſto propitio* XIII. *imperii Domni* HLUDOVVICI *piiſſimi Auguſti. Indict.* IV. *Actum Ingilinheim palatio regio. in Dei nomine feliciter. Amen.* Hanc Majorum ſuorum munificentiam inſigni diplomate auxit Ludovicus Germaniæ Rex anno 900. quod ſubjungimus.

IN *nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.* HLUDOVVICUS *divina gratia Rex. Si petitiones noſtrorum fidelium quas pro utilitatibus Eccleſiarum Dei nobis ſuggeſſerint ad effectum perducimus. ad æternæ retributionis augmentum id nobis profuturum liquido credimus. Unde noverit omnium fidelium noſtrorum præſentium & futurorum induſtria. qualiter per interventum Venerabilis ac dilecti Comitis noſtri Cuonradi. monaſterium quoddam nova Corbeia nominatum cui præeſt fidelis noſter Bavo Abbas. in noſtram tuitionem ac mundeburdium ſuſcepimus. & omnes conceſſiones ſeu donationes anteceſſorum noſtrorum eidem Cœnobio collatas. noſtra auctoritate firmamus atque corroboramus. Videlicet ut & inmunitatem habeant ab omnibus publicis exactionibus & judiciariis poteſtatibus homines ejuſdem Eccleſiæ liti & coloni. & Rectores ipſius monaſterii in expeditionem cum ſuis hominibus ire non cogantur. ſicut à noſtris progenitoribus olim eis conceſſum fuiſſe conſtat. Sed & hoc pro noſtræ mercedis augmento ad eorum utilitates addere decrevimus. ut infra ipſam Abbatiam. in villa Horohuſun nuncupata publicum eis liceat habere mercatum & monetam. & ibi poteſtatem habeant accipiendi teloneum. quod ipſorum Advocatus noſtro exigat banno ab his qui illuc cauſa emendi veniunt. intra marcam memoratæ villæ & montis* ERESBURG *nuncupati. Præterea quod ab exordio conſtructionis ejuſdem monaſterii à noſtris anteceſſoribus conceſſum in eorum præceptis cognoſcitur. Nos quoque iterum confirmamus. ut licentiam habeant fratres illius loci eligendi inter ſe Abbatem dum ita res poſtulat. quamdiu ad hoc idoneam inter ſe perſonam potuerint invenire. Et ut hoc noſtræ auctoritatis præceptum pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem.*

manu

manu propria affirmavimus. & anuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.

Signum Domni HLUDOVVICI *Sereniſſimi Regis.*
Ernuſtus Cancellarius ad vicem Theotmari Archicappellani recognovit. Data IIII. *iduum Octobrium die. Anno Incarnationis Domini* DCCCC. *Indictione* III. *Anno Domni HLudovvici* I. *actum Triburias. in Dei nomine feliciter. Amen.*

8. SACRAVIT VERO RESTITUITQUE DEO.] Hujus conſecrationis ſeu dedicationis luculentum teſtimonium perhibet diploma ſeu privilegium Leonis III. Pont. Max. Eresburgi datum, quod extat apud Henricum de Hervordia, Bernardum Wittium, Gerhardum Cleinſorgium, Card. Baronium tom. IX. ad annum 799. & in tom. XVII. Concil. General. Pariſiis edit. pag. 226. Nos exemplum hujus diplomatis, quod Wittius protulit, & in Eresberg ait haberi, utpote antiquius emendatiuſque ſequimur, licet in illo ſignatus dies IX. Kal. Jan. uti in Baronio VIII. Kal. Jan. ſuſpectæ nonnullis fidei, ejuſque loco IX. aut VIII. Kal. Jun. vel Jul. ponendus eſſe videatur; ſi modò verum eſt, quod Anaſtaſius Bibliothecarius narrat, Leonem è Saxonia noſtra redeuntem à Romanis *ad Pontem Milvium in vigiliis B. Andreæ Apoſtoli* fuiſſe ſuſceptum. Quod utique anno 799. factum eſſe oportet, cùm idem Pontifex Carolum anno proximè conſecuto Romam venientem, jam ante feſtum D. Andreæ diem, hoc eſt, VIII. Kal. Decemb. magnificè exceperit, atque ipſo Chriſti Natali in Baſilica B. Petri Apoſtoli Imperatorem coronavit, ut omnes hiſt. Franc. ſcriptores conſentiunt. Diploma Leonis III. eſt hujuſmodi.

LEO *ſervus ſervorum Dei.* KAROLO M. *Francorum Regi. Piæ tuæ intentioni per omnia congaudentes. quod jubes annuere non tardamus. Igitur hunc montem* ERESBURG *quem expugnatum cum tota Saxonia Deo obtuliſti. & per nos B. Petro conſecraſti. liberum ab omni humana poteſtate eſſe. & fratrum ibidem ad Chriſti ſervitium adunatorum ditioni tantummodo parêre cenſemus. Qui ne aliquid in hoc impedimenti patiantur. neve regni veſtri invaſoribus aliqua rebellandi fiducia præparetur. Sub anathemate B. Petri auctoritate interdicimus. ne quis*

unquam bellica in ipſo monte præſidia collocare. aut per te collata prædia. aut decimas circa montem per duas Saxonicas raſtas quas illuc delegaſti audeat diripere. Hæc conſervantibus ſit pax à Deo Patre. infringentibus execratio. & à Catholicorum collegio ſit ſeparatio in æternum. Datum ERESBURG *per manum Joannis Bibliothecarii & Cancellarii Eccleſiæ Romanæ.* IX. *Kal. Jan. Anno Domni Leonis tertii quarto. Indictione ſeptima. die dedicationis Capellæ in* ERESBURG. Veritatem hujus Leonini diplomatis aſſerit & illuſtrat diploma Adriani IV. Pontif. *Guicbaldo Abbati Corbeienſi ejuſque fratribus regularem vitam profeſſis datum Romæ apud S. Petrum per manum Rolandi S. Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Card. & Cancellarii* V. *Kal. Martii. Indict.* II. *Incarnat. Dominicæ Anno* MCLIIII. *Pontificatus vero Domni Adriani PP.* IV. *anno primo. Adjicientes quod monaſterium* HERESBURG *cum decimis circa montem per duas raſtas Saxonicas. ſicut à beatæ memoriæ Domno* LEONE *Papa ex petitione* CAROLI M. *Imperatoris. qui ipſum montem expugnaverat collatæ noſcuntur. Monaſterium quoque in Groninga. & monaſterium in Kemnade nunquam ab eodem Corbeienſi alienentur Cœnobio*, &c. Porrò Henricus de Hervordia qui ad annum Caroli M. 4. Chriſti 804. hoc ipſum Leonis PP. diploma recitat, in eo longè fallitur, quòd hanc dedicationem in alterum Leonis cum Carolo in Germania congreſſum rejicit. *Item perlatum eſt*, inquit, *ad Imperatorem, ſanguinem Domini in Mantua civitate fuiſſe repertum: miſitque ad Papam, ut hujus rei veritatem perquireret. Qui nactus occaſionem exeundi, primo in Lombardiam, quaſi pro dicta inquiſitione progreſſus eſt, indeque ſubitò arrepto itinere ad Imperatorem venit ad Kariſiam, villam juxta Remis, & Natalem Domini ſecum celebravit. Deinde Aquiſgranum Papam Imperator perduxit, & pòſt in Saxoniam antiquam, ibi Capellam in* Bergkercken *prope Mindam conſecravit. Campanula quædam, quam reliquit, etiam nunc videtur ibidem. Capellam etiam S. Petri in Eresberg, quæ nunc Mersberg dicitur, conſecravit.* Ita Henricus de Hervordia. Contrà Aſtronomus & vita Caroli M. per Engoliſmenſem ſcripta, Adelmus & Regino, uno ore teſtantur: *Leonem Pontif. Aquiſgrano, ubi octo dies manſit, per Boiariam ire volentem, ductum eſſe uſque Ravennam, magnis ab Imperatore muneribus donatum.*

tum. Nullâ Saxoniæ, hoc tempore, ſive à Leone Pontif. ſive à Carolo intratæ factâ mentione. His conſentiunt Poëta Anonym. Hermannus Contractus, Lambertus Schaffnaburgenſis, Sigebertus Gemblacenſis, Marianus Scotus, Urſpergenſis Abbas, cæterique chronologi & ſcriptores, qui nihil de Leonis vel Caroli acceſſu in Saxoniam. Nihil item Sigonius, qui hunc congreſſum ſatis exactè deſcribit in hiſt. regni Italiæ. Quare quicquid per Leonem Pontif. geſtum eſt, referendum ad annum 799. & primum illius in Saxoniam ingreſſum, quo etiam Paderbornæ cryptam, ſeu ſacellum ſubterraneum, & in eo altare S. Stephani, rogatu Caroli M. conſecravit. Vita S. Liborii apud Bollandum cap. 2. pag. 88. §. 5. & 6. vita B. Meinwerci apud Browerum, pag. 13. n. 1. Gobel. Perſon. Coſmodr. ætat. 6. c. 38. Id quod etiam de Eccleſia in Sidinghuſen pago diœceſis Paderbornenſ. in dynaſtia Burana, refert Caſpar Schioppius in genealogia Burana; & de lapide altaris in Eccleſia Titemelle ſeu Dethmoldienſi, à Leone III. conſecrato, atque indè in uſum cryptæ Abdinghoffenſis à B. Meinwerco tranſlato mentionem facit ſcriptor vitæ B. Meinwerci apud Browerum. Porrò Saxoniæ noſtræ, quam Leo III. Pont. Max. Eresburgi per Carolum M. Deo oblatam, & per ſe B. Petro conſecratam dicit, partem aliquam ad fidem Chriſti converſam, idem Carolus jam anno 774. *Deo in ſacrificium* obtulerat, ut ſcribit Luitprandus Ticinenſis de Vitis Pontificum Romanor. Moguntiæ anno 1602. editus. *Hadrianus Papa Carolum M. Francorum Regem Romam vocavit. qui cum quinto anno regni ſui illuc veniſſet, inter cætera, quæ ab ipſo magnificè geſta ſunt, etiam partem aliquam Saxoniæ in provincia Weſtphalia, quam ad fidem Chriſtianitatis convertit, ut ipſe jam prædictus Papa præcepit & docuit, ſecundâ feriâ Paſchæ in Baſilica S. Petri inter cætera quæ ad manum Papæ offerebat, Deo in ſacrificium obtulit, & in loco Oſnabrugge vocato Epiſcopatum conſtituere, & decimis noviter ad fidem converſorum, ſi ſanus & incolumis remeaſſet, Papâ ita dictante & privilegiis ſuis confirmante, dotare devovit.* Quæ eadem de Saxonia B. Petro oblata ex epiſtola Gregorii VII. Pont. Max. apud Baronium ad An. 804. licet recognoſcere; ita enim habet: *Idem verò Magnus*

Imperator Saxoniam obtulit B. Petro, cujus eam devicit adjutorio, & poſuit ſignum devotionis & libertatis, ſicut ipſi Saxones habent ſcriptum, & prudentes illorum ſatis ſciunt. Huic tam inſigni religioſiſſimi Principis pietati ac munificentiæ, Sedes Apoſtolica pari in Saxones ſtudio egregiè reſpondit, quando Saxones noſtros Romam miſſos, ut Chriſtianâ fide & eccleſiaſticâ diſciplinâ imbuerentur, humaniſſimè in Urbe accepit & fovit, locumque eorum habitationi, apud Baſilicam D. Petri, ubi nunc eſt eccleſia & noſocomium S. Spiritus, aſſignavit; qui & à novis accolis nomen mutuatus, olim *Vicus Saxonum*, & *Schola Saxonum*, hodie *Saxia* vocatur. Ex Anaſtaſio Bibliothecario, Card. Baron. in Ann. Eccleſ. ad An. 804. & in Notis ad Martyrolog. Rom. IV. Idus Novemb.

9. MANSIT ET HOC NOSTRÆ GENTI.] Ab anno 826. quo *Capella Eresburgenſis*, ut prædiximus, à Ludovico patre, & Lothario ejus filio *Corbeienſibus* fuit donata. Poſtea *Eresburgi*, ſeu *Montis Martis* mediam partem Hermannus Abbas & cœnobitæ Corbeienſes, Henrico Archiepiſcopo Colonienſi An. 1230. menſe Auguſto Suſati ceſſere: alteram verò partem Franciſcus Abbas & conventus *Corbeienſis*, Hermanno Archiepiſcopo Colonienſi & Adminiſtratori Paderbornenſi, Marſpergi An. 1507. poſtridie S. Ægidii, reſervato ſibi ad Kalendas Græcas reluendi jure, vendiderunt.

10. DUM BARBARUS HOSTIS.] Quidquid *Eresburgi* Suecus hoſtis paulò antè reliquum fecerat, immiſſus ad excidium auguſti operis Haſſicus miles devaſtavit. Quod inſigne facinus ad poſteritatis memoriam publicis tabulis Eresburgenſis civitatis conſignatum, his verbis legi meretur. *Anno* MDCXLVI. *die* XXIV. *Sept. facta eſt duarum Haſſicarum legionum, (quarum altera equeſtris, altera pedeſtris erat) ſubita in Montem Martis irruptio; ductor prædatorii agminis Ufflenus cum duobus fratribus. Clades illata haud modica fuit: nam templum primarium ſubjecto pulvere nitrato disjectum, portæ civitatis incenſæ, cætera pari ruinâ vaſtata. Quicquid cives & accolæ poſt nuperam Suecicam expugnationem urbis, huc convexerant, ſpolio abreptum. Poſtridie tres præſtantes campanæ unà cum turri corruerunt.* Abſit verbo invidia, ſi inſigne facinus dixi eorum, qui Baſilicam Eres-

Eresburgenſem vetuſtate tam nobilem, opere tam magnificam, reverentiâ loci tam celebrem, religione tam ſanctam, noſtro demum ævo barbarum in modum ſubverterunt. Uti verò Principum voluntati & imperio id non adſcribimus, quod privatæ militum tribunorumque audaciæ fuit: ita factum meritò damnamus in Chriſtianis. & quis non ſanæ mentis? Quando & inter ipſos barbaros reperti ſunt, qui pro majori veneratione religionis Chriſtianæ, locorumque ſacrorum, ejuſmodi ſacrilegia non ſunt auſi. Alaricus barbarus Gothorum rex, antequam Romam, quam mox cepit, intraret, edicto publico vetuit, ne quis militum ſacra Urbis loca violaret. tantum aberat, ut templa barbaris ſuis ſubruenda permitteret. Oroſium (lib. 4. cap. 42.) hîc præ cæteris, quem teſtem inſpectoremque eorum temporum habemus, audire lubeat. *Adeſt*, inquit, *Alaricus. trepidam Romam obſidet, turbat, irrumpit, dato tamen præcepto priùs, ut ſi qui in ſancta loca, præcipueque in ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Baſilicas confugiſſent, hos imprimis inviolatos ſecuroſque eſſe ſinerent. Imperio barbari regis paruere barbari milites.* Aliud in hanc rem ſubjicit Oroſius haud minus in barbaris commendandum. *Diſcurrentibus per Urbem barbaris, fortè unus Gothorum, idemque potens & Chriſtianus, ſacram Deo virginem, jam ætate provectam in quadam eccleſiaſtica domo reperit. cumque ab ea aurum argentumque honeſtè expoſceret; illa fideli conſtantiâ, eſſe apud ſe plurimum, & mox proferendum, reſpondit, ac protulit. Dumque expoſitis opibus attonitum barbarum magnitudine ac pondere & pulchritudine, ignotâ etiam vaſorum qualitate intelligeret: Virgo Chriſti ad barbarum ait: Hæc Petri Apoſtoli ſacra miniſteria ſunt. præſume ſi audes, de facto tu videris. ego quia defendere non valeo, neque tenere audeo. Barbarus verò ad reverentiam religionis, timore Dei & fide Virginis motus, ad Alaricum hæc per nuntium retulit: qui continuò reportari ad Apoſtoli baſilicam univerſa ut erant vaſa, imperavit; Virginem etiam eodem cum defenſione deduci. Itaque magno ſpectaculo omnium, diſpoſita per ſingulos, & ſuper capita elata palam aurea atque argentea vaſa portantur: exertis undique ad defenſionem gladiis piâ pompâ munitur, hymnos Deo Romanis Barbariſque publicè concinentibus.* Non ultrà barbaricus ille furor progreſſus, ædificia quidem aliquot per Urbem, nullæ verò ædes ſacræ dirutæ. Tam intacta à

Go-

Gothis barbaris loca ſacra fuerunt. Eò nunc deteſtabilior illorum impietas, qui ædem Eresburgenſem, locumque à Carolo M. donatum, à Leone III. Pont. Max. dum Paderbornæ apud Carolum M. ageret, non minùs, quàm Vaticana fuit Baſilica, Divo Petro conſecratum, auſi ſunt ſubjecto nitrato pulvere disjicere. nequod iſtic veſtigium antiquitatis extaret, ubi perpetuum religionis monumentum poſcebat Chriſtiana veneratio. Laudabilior etiam Theodorici Gothorum regis, Gothorumque barbarorum præ Alarico pietas. Romam ille & Italiam tot annos cum imperio tenuit, ac barbaræ licet gentis, Arianæque hæreſis dominatu omnibus per occidentem formidabilis eſſet, non modò regiis muneribus Vaticanam Apoſtolorum Petri & Pauli Baſilicam exornavit, ſed & mirificè Sacerdotes & templa Catholicorum excoluit, interque fabricas ab eo reparatas, templa quoque & bona Eccleſiæ reddita, ſuum liberalitatis locum habuerunt. Uti id ex aliis, tum vel maximè ex Anaſtaſio Bibliothecario in Hormiſda, & Caſſiodori ſcriptis conſtare poteſt. Maius eſt, quod de ethnicis Imperatoribus tradidit Lampridius. Is de Alexandro Imperatore: *Chriſto templum facere voluit, quod & Hadrianus cogitaſſe fertur, qui templa in omnibus civitatibus ſine ſimulacris juſſerat fieri: quæ hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Hadriani, quæ ille adhoc paraſſe dicebatur: ſed prohibitus eſt ab iis, qui conſulentes ſacra, repererant omnes Chriſtianos futuros, & templa reliqua deſerenda, ſi id optatò eveniſſet.* Sed quid longiùs abeo? domeſtica nobis propiùs adſunt exempla. Legem Salicam appello, quæ Francorum noſtrorum eſt, eorum videlicet populorum, qui ex Sicambris, Bructeris, Angrivariis, Tencteris, Cheruſcis, Cattis, Marſis, cæteriſque in unam belli ſocietatem convenêre. Lataque eſt hæc lex auctoritate populi per quatuor gentis proceres, cùm barbari adhuc eſſent, ſeu, ut vetuſtus in eas præfatus eſt ſcriptor, *cùm adhuc barbarico ritu tenerentur.* antequam à Pharamundo quartus Francorum rex Clodoveus Chriſti religionem ſuſciperet. Harum verò legum una eſt titulo LVIII. leg. I. *Si quis Eccleſiam ſanctificatam, vel ubi reliquiæ Sanctorum reconditæ ſunt, incenderit, vel infra ipſa Eccleſia expoliationem de altari, aut infra Eccleſiam aliquid tulerit,* VIII. *denariis, qui faciunt ſol.* CC. *culp. jud. excepto capitali & dila-*

dilaturâ. Tanta vel in Majoribus noſtris harum regionum, cùm adhuc barbari eſſent, & nullo Chriſtianæ religionis lumine donati viverent, veneratio ſacrorum fuit. Hæc paucis. nec plura attinet inter hos cancellos ſcriptionis adferre: quando ex his nemo non intelligit, à Chriſtianis fieri, quæ à barbaris facta non ſunt; facinuſque eò fœdius eſſe in Chriſtianis, quò magis abhorruit ipſa barbaries. *Optimus animus pulcherrimus Dei cultus eſt*, inquit Seneca. Si avitæ, ſi veræ Majorum religioni inhæreat. Nec monumenta pulchriora, quàm Majorum templa, in quibus poſt everſa idola verum Deum Chriſtianorum Sacerdotes, & Chriſtianus populus à Carolo M. ad hanc uſque ætatem noſtram coluerunt. Quare cùm noſtris etiam temporibus vetus ac celebris illa Corbeienſium Baſilica, infirmis nixa fundamentis, & longi temporis labe, bellique injuriis corrupta, in ruinam incumberet, Chriſtophorus Bernardus Princeps & Epiſcopus Monaſterienſis, idemque Corbeienſium Adminiſtrator, eam à fundamentis reſtituit. Conſpiciebat nimirum hunc ſacrum antiquitate locum, cultumque jam inde à Ludovici Pii Cæſaris ævo tantâ religioſorum Sacerdotum frequentiâ & ſanctimoniâ, priſtinum ſuum decorem à ſe expetere, qui jam antè per ſuam diœceſin Monaſterienſem tot ſacrorum monumenta poſuerat, inſtauraveratque. Eò magnanimus ac togâ ſagoque glorioſus, atque ad omnem poſteritatem memorandus Epiſcopus, ſuæ quoque liberalitati & religioni, hujus vetuſtate collabentis baſilicæ fabricam ſumpſit, quæ nunc opere ſolido & magnifico dignoque ſui nominis ſplendore ad faſtigium uſque aſſurrexit.

Ereſburgenſe verò templum, Corbeienſes, ejus loci rectores, pari ſtudio & religione inſtaurandum ſuſceperunt; & jam opus illud ſimul ex ruinis priſtinæ integritati & ſplendori propè eſt reſtitutum; aſpiciunturque nunc veneranda illa Caroli M. Imperatoris monumenta tanto illuſtriora, quanto hoſticus furor obſcuriora, extraque memoriam avitæ religionis eſſe voluit. Diſpari ſanè famâ ad poſteros eorum, qui profanaverunt, & qui priſtino religionis cultui reddiderunt. Tacitum hic audias lib. IV. Ann. *Suum cuique decus poſteritas rependet.*


BRUNISBERGA.

BRUNISBERGA
PROPE HUXARIAM.

MEMORIÆ. SACRUM

ARX. UBI. BRUNONIS. CIRCUMSPICIT. ALTA. LATINI
MILITIS. INFECTAS. CÆDE. VISURGIS. AQUAS
SAXONES. HIC. AMNEM. CAROLUM. TRANSIRE. PARANTEM
NEQUICQUAM. TELIS. IMPEDIERE. SUIS
SED. DARE. VERSA. FUGA. VICTORI. TERGA. COACTI
CESSERUNT. TOTUM. FLUMINIS. IMPERIUM
LITORE. NUNC. ILLO. REGNAS. CORBEIA. SACRUMQUE
HUXARIÆ. DICIT. JUS. PADIBORNA. TUÆ
QUÆ. SI. POSTERITAS. SERVASSET. FOEDERA. NUNQUAM
RELLIGIO. SCISSIS. PLANGERET. ORBA. COMIS

FERDINANDUS. DEI. ET APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO. DE. FURSTENBERG

BRUNISBERGÆ. NOBILI. IN. DIOECESI. PADERBORNENSI. ET. DITIONE. CORBEIENSI. LOCO. UBI CAROLUM. M. TRAJECTU. VISURGIS. PROHIBERE. FRUSTRA. CONATI. SAXONES. AN. DCC.LXXV FUSI. FUGATIQUE. FRANCIS. CESSERUNT
M. H. P

NOTÆ.

1. BRUNISBERGA.] Manet etiamnum nomen hujus loci & inſignis fama, cui fidem faciunt ſcriptores antiqui; atque hos inter Poëta Anonym. l. 1. An. 775. Annal. incerti Auct. & vita Caroli M. apud Pithæum, Aſtronom. apud Reuberum, Annales Caniſii, & Regino.

2. ARX.] *Montem* Poëta Anonymus, *locum* Aſtronom. Ado Vienn. & vita Caroli M. *arcem omnium fortiſſimam*; Crantzius, Widekindus Abbas Corb. in literis An. 1198. *caſtrum* appellant. Cujus inſtaurationem cùm nobiles de Amelungſen, ope Comitum de Waldeck freti, impedirent, Siffridus Epiſcopus Paderbornenſis Widekindo Abbati Corbeienſi ſuppetias tulit. Letznerus in Chron. Corbeienſi. Hodie mœnium tantùm vallorumque & foſſarum veſtigia ſuperſunt.

3. BRUNONIS.] Frequens hoc nomen apud optimates Saxonum antiquorum. Is qui *Brunisbergam* ad Viſurgim condidit, nomen ei dedit, & ſedem ibidem habuit, frater Widichindi Magni fuit, non æquè ac ille ad retinendam patriam ſuperſtitionem obſtinatus: nam prior religionem Chriſtianam amplexus legitur. Demum An. 790. obiit, Paderbornæ ſepultus. Fabr. l. 2. orig. Saxon.

4. LATINI MILITIS INFECTAS CÆDE VISURGIS AQUAS.] Vellei. lib. 2. cap. 105. *& amnis mox noſtrâ clade nobilis tranſitus Viſurgis.* Varianam intelligit, quæ in via Viſurgim verſus contigit. *Varum ita acceperunt, ut omnibus ejus juſſis obtemperaturi viderentur: proculque eum à Rheno in Cheruſcorum fines ad flumen Viſurgim abduxerunt.* Dio lib. 56. Nondum tamen illuc pervenerat, in itinere, antequam ad caſtra ſita Aliſone poſſet reverti, à Germanis oppreſſus & cæſus. Cur igitur ad Varianam cladem alibi illatam, Viſurgim Vellei. & Dio nominarunt? *factum id famâ amnis, quia hic ex nobiliſſimis amnibus cladi illi proximus fuit*, XX *circiter millibus paſſuum diſſitus.* Cluver. lib. 3. cap. 19.

Ad

Ad ipſam poſtea ripam, ut diximus ſuprà, Germanicus Cæſar acceſſit, & flumen quod Romanos Cheruſcoſque interfluebat, tranſiit; ſed non ſine periculo, prælio & cæde.

5. SAXONES HIC AMNEM CAROLUM TRANSIRE PARANTEM.] Quemadmodum acies Germanorum trans Viſurgim ſtans, Germanicum tranſitu prohibere conata eſt, ita Carolum quoque, juxta *Brunesbergam*, Saxones arcere tentarunt, ut Poëta Anonym. lib. I. An. 775. vita Caroli M. apud Pithæum, Annales incerti Auct. apud eundem, Annal. Caniſiani, Regin. Adelm. & Aſtronom. apud Reuberum, cujus hæc verba: *Indè ad Wiſaram fluvium veniens, in loco, qui Brunesberg vocatur, congregatam Saxonum multitudinem offendit, qua eum tranſitu fluminis arcere conabatur. Sed fruſtra, nam in prima congreſſione pulſi fugatique ſunt, & magnus eorum numerus ibiaem interfectus eſt.* Non tam facilè fuit *Brunisbergam* expugnare. Crantz. lib. 2. Saxon. cap. 10. *Indè verò majore apparatu ducens Rex in provinciam, Siburg & Eresburg arces, iterum à Saxonibus communitas, denuo expugnavit, & in arcem Brunsberg, quæ omnium firmiſſima erat ad Viſurgim fluvium, duxit oppugnandam: fuerat enim validum Saxonum præſidium. Firmata eſt obſidio: ferunt remanere in hodiernis villis nomina ex caſtris Regis, quæ tum erant tripartita: ut alio loco Rex cum robore exercitûs, alio etiam auxiliares tenderent: & tertio loco ſuis erant in caſtris qui ſtipendia mererent. Adjiciunt Gallici, Regem obſidionis pertæſum, duxiſſe partem copiarum in Weſtphalos, Angarios, &c.* Hæc fuſiùs paulò enarrat Letznerus in Chron. Corbeienſ. & vita Caroli M. c. 20.

6. TELIS.] Varia armorum telorumque genera Cluver. lib. I. c. 45. enumerat, ex quibus Saxones longis lanceis, parvis ſcutis, & cultellis magnis uſi fuerunt. Widekind. lib. I. Annal. *illis hæc loquentibus mirati ſunt Franci præſtantes corpore & animo viros, & novum habitum, arma quoque & diffuſam ſcapulis cæſariem, & ſupra omnia ingentem animi conſtantiam: nam veſtiti erant ſagis, & armati longis lanceis, & ſubnixi ſtabant parvis ſcutis, habentes ad renes cultellos magnos:* quos *Sachs* appellabant, & Viterbienſis ſuprà citatus, *breves gladios* interpretatur; atque exinde putat Iſaacus Pontanus lib. 2. orig. Franc. c. I. Saxoniam in clypeo vetuſtiori

 ri

ri duos gladiolos adhuc oſtentare, in formam crucis tranſverſim conſtitutos. Eorundem meminit Gregor. Turon. l. 4. c. 46. *Tunc*, inquit, *duo pueri cum cultris validis, quos vulgò Scramaſaxos vocant, utraque ei latera feriunt.* Lipſ. Cent. 3. epiſt. 44. ex vetuſtiſſimo Pſalterio Latino-Germanico probat novaculam dictam fuiſſe *Scharſahs*; & Gobelinus Perſona in Coſmodrom. ætat. 6. c. 11. *apud nos*, ait, *novacula quâ pili raduntur, ſenioribus dicitur ſas, & habemus indè verbum vulgare ſaſſen, id eſt, novaculâ cæſariem radere.* Hinc igitur Saxones appellatos volunt, vel quia *ſaſſis*, brevibus gladiis, in præliis utebantur, vel quia novaculâ cæſariem radebant; quod proprium primorum Saxonum fuiſſe diſcimus è Sidonio Apollinari lib. 8. epiſt. 9. Francis contrà *ſpathæ* aut bipennis genus maximè fuit familiare, quod Agathias ἀγκῶνα, ipſi *Franciſcam* vocabant, teſte Aimoino lib. 1. cap. 12. Sidonius Apollinaris in panegyrico Majorani Auguſt. ita deſcribit Francorum arma, & generoſum præliandi modum:

Excuſſiſſe citas vaſtum per inane bipennes,
Et plagæ præſciſſe locum, clypeoſque rotare
Ludus, & intortas præcedere ſaltibus haſtas,
Inque hoſtem veniſſe priùs. Puerilibus annis
Eſt belli maturus amor: ſi fortè premantur
Seu numero, ſeu ſorte loci, mors obruit illos,
Non timor: invicti perſtant, animoque ſuperſunt
Jam propè poſt animam.

Inſignis ſanè locus de bellicoſa veterum Francorum noſtrorum indole, quam etiam celebrat Libanius in Orat. de laudibus Conſtantii & Conſtantis AUGG. in qua *Francos*, inquit, *multitudine innumerabiles, haud paulò tamen quàm pro multitudine validiores, non mare magis, quàm continentem timere, frigus ſeptemtrionale cœli temperie gratius, otium calamitatem maximam, quietem languorem ducere; contrà ſummam ſibi felicitatem in bello poſitam exiſtimare.*

7. LITORE NUNC ILLO REGNAS.] Ex quo primùm in loco *Hetha* appellato, quem in ſilva Sollingenſi deſignat Letznerus

nerus in Chron. Corbeienſi, ædificandi monaſterii conſilium, minus proceſſit, & Cœnobitæ ſterili ſolo derelicto ad Viſurgim commigrarunt, ut tradit auctor libelli de tranſlat. S. Viti, & inſtitut. novæ Corbeiæ à Meibomio editus, poſt notas ad Widekindi Corbeienſis hiſt. pag. 141. *Factum eſt autem eodem tempore, ut Sereniſſimus Imperator Luduvvicus haberet placitum in Saxonia in loco, qui dicitur Patherbrunna, in ſecundo anno regni ſui, Incarnationis verò Domini octingenteſimo decimo quinto. Tunc acceſſit præfatus Abba* (Adalhardus) *ad eum, & locutus eſt ei, cum conſilio ſuadens, ut ad profectum Chriſtianæ religionis in eadem provincia Monaſterium Monachorum conſtruere juberet: quod cùm piiſſimus Princeps benignè ſuſcepiſſet*; PLACUIT ACCERSERE EPISCOPUM NOMINE HATHUMARUM, AD CUJUS DIOECESIN PERTINEBAT LOCUS, UBI CONSTRUENDUM ERAT MONASTERIUM, UT CUM EJUS FIERET IMPERIO ET VOLUNTATE. *Sicque factum eſt, ut ab ea die, & deinceps religio Monachorum etiam in regione Saxonica ſuccreſceret, atque proficeret. Cœpit autem ædificare in loco, qui dicitur Hethi, ubi cùm per ſex, & eo ampliùs annos laboraſſent, nihil proficere potuerunt, niſi quòd religio ſancta in loco deſerto tradebatur. Augebatur tamen quotidie numerus Monachorum ex nobiliſſimo Saxonum genere, pueri quoque bonæ indolis nutriebantur optimè.* Paucis deinde interjectis ſequitur: *Venerunt ergo anno octingenteſimo viceſimo ſecundo Dominicæ Incarnationis, ſub die octavo Id. Auguſt. regnante Luduvvico Sereniſſimo Auguſto undecimo anno ad locum memoratum: circumſpectoque ex omni parte & undique circuientes, proſtrati in orationem decantaverunt pſalmos ad hoc officium pertinentes, & poſtquam compleverunt litaniam & orationem, jactaverunt lineam, & infixerunt paxillos, & ceperunt menſurare, priùs quidem templum, indè habitationes fratrum; quod cùm peregiſſent, conſtituentes, qui quædam habitacula initiarent, ad propria ſunt reverſi:* SED PRIMUM PETIERUNT EPISCOPUM UT VENIRET, ET SANCTIFICARET LOCUM, VEXILLUMQUE S. CRUCIS IN LOCO ALTARIS PONERET, NOMENQUE UT CORBEIA VOCARETUR, APTARET. *Quod factum eſſe octavo Kal. Septembris exſtat.*

Episco-

Epiſcopus qui nomen impoſuit,& Eccleſiam dedicavit, BADURADUS FUIT, SUCCESSOR HATHUMARI. Chronic. Corbeienſe editum à Meibomio, in membrana conſcriptum & hodiedum Corbeiæ ſuperſtes: *An. Incarnationis Dominicæ* 822. *indict.* 15. 8. *Kal. Sept.* 2. *feriâ, Monachi qui in loco, qui Hetha dicitur, per ſeptem annos priùs demorabantur, indè egreſſi cum crucibus & reliquiis in hunc locum pervenerunt:* LOCOQUE AB EPISCOPO BADURADO, QUI TUNC PRÆSENS ADERAT, CORBEIA NOMEN IMPOSITUM EST, *erectoque tentorio, illatiſque crucibus & reliquiis, locum dedicaverunt, in honore & nomine S. Stephani Protomartyris, infodientes crucem Chriſti, ubi nunc altare eſſe dignoſcitur.* Ex his antiquiſſimis teſtimoniis manifeſtum eſt Corbeiam jam indè ab ejus incunabulis in diœceſi Paderbornenſi ſitam eſſe; id quod etiam Apoſtolicæ Abbatum Corbeienſium confirmationes, codex antiquus Cameræ Apoſtolicæ, in quo Epiſcoporum & Abbatum confirmandorum jura *taxantur*, diplomata Pontificum & Cæſarum, & ipſæmet Cobeienſium literæ, in quibus *Paderbornenſem Eccleſiam pro Cathedrali, quo præminet honore, ſemper revereri ſe velle* profitentur; Eccleſiarum in Corbeienſi ditione fundatarum confirmationes, conſecrationes, tranſlationes, & innumera illic exercitæ juriſdictionis ordinariæ documenta. Ex hiſtoricis, ſcriptor vitæ B. Meinwerci, Dithmarus lib. 7. Gobelinus Perſona in Coſmodromio, Crantzius l. 1. Metropol. c. 24. & lib. 4. c. 4. Baronius tom. 11. ad An. 1015. Letznerus in Chron. Corbeienſ. cap. 26. aliique teſtantur. Corbeienſes contrà, neſcio quibus exemptionis literis gloriantur. Sed *manus noſtræ oculatæ ſunt, credunt quod vident.* Certè Alexander IV. Pontifex aut exemptionis privilegia oſtendere, aut Paderbornenſibus Epiſcopis obedire juſſit Corbeienſes. Diploma Apoſtolicum eſt hujuſmodi:

ALEXANDER *Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. dilectis filiis. Decano &.. Scholaſtico Friſlarienſi &.. Archipresbytero Eccleſiæ Nuemburgenſis. Maguntinenſis diœceſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sua nobis venerabilis frater noſter.. Epiſcopus & dilecti filii Capitulum Padeburnenſe. petitione monſtrarunt. quod.. Abbas & Conventus Monaſterii*

naſterii Corbeienſis Ordinis ſancti Benedicti Padeburnenſis Dioceſis aſſerentes Monaſterium ipſum fore exemptum & ſe in exemptionis poſſeſſione fuiſſe à tempore cujus memoria non exiſtit. eidem Epiſcopo tanquam Dioceſano ſuo intendere denegant. & ſibi de ſuis juribus reſpondere. in eorundem Epiſcopi & Capituli & Padeburnenſis Eccleſiæ præjudicium & gravamen. quanquam dicti Abbas & Conventus exemptionis privilegium non oſtendant. Quare dicti Epiſcopus & Capitulum nobis humiliter ſupplicarunt. ut providere ipſis & eidem Padeburnenſi Eccleſiæ paterna ſuper hoc ſollicitudine curaremus. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus. quatenus eoſdem Abbatem & Conventum ex parte noſtra moneatis & inducere procuretis. ut infra quindecim dies poſt monitionem veſtram obediant dicto Epiſcopo. vel privilegia exemptionis oſtendant. Alioquin vocatis qui fuerint evocandi & auditis hinc inde propoſitis quod canonicum fuerit appellatione poſtpoſita ſtatuatis. Facientes quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem qui fuerint nominati ſi ſe gratia. odio vel timore ſubtraxerint. per cenſuram eandem appellatione ceſſante compellatis veritati teſtimonium perhibere. Quod ſi non omnes hiis exequendis potueritis intereſſe duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani V. Kal. Martii Pontificatus noſtri anno tertio.



8. CORBEIA.] E cujus diſciplina complures olim viri pietate ac doctrinâ inſignes prodierunt, qui diverſis populis dati Epiſcopi, & fidei Doctores, Septemtrionem pænè univerſum Chriſtianæ religionis luce colluſtrarunt, & hâc operâ inſulæ Rugiæ imperium magnaſque per Germaniam opes ſibi pepererunt. Sed prô dolor!

Πάλιν ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι.

Cæterùm Corbeia nomen ſuum debet *aureæ Corbeiæ*, Galliæ cœnobio, haud procul Ambianis, ad ripam Somonæ fluvii, An. Chriſti 660. à Bathilde, Saxonici generis heroina, Clodovæi II. Francorum regis conjuge fundato, ex quo in novam *Corbeiam Saxonicam* ad Viſurgim Ludovicus Pius ejus fundator religioſorum hominum colonias deduxit. Quod Joannes Trithemius ex Henrico de Hervordia annotavit, & vita S. Adelhardi Corbeienſis Abbatis apud Bollandum 2. Januarii, pag. 107. & 117. confirmat, & liquidò patet ex his Ludovici Pii diplomatibus Corbeiæ datis.

IN *nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri* JESU *Chriſti.* HLUDOVVICUS *divina ordinante clementia Imperator Auguſtus. Cum petitionibus ſervorum Dei juſtis & rationabilibus divini cultus amore favemus. ſuperni muneris donum largiri non diffidimus. Idcirco noverit omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quam & futurorum ſagacitas. quia adiens ſerenitatem culminis noſtri vir reverentiſſimus Adalardus Abba ex monaſterio Corbeiæ. quod ei dudum in provincia Saxonica ad augmentum mercedis noſtræ ex novo conſtruere juſſimus ſuper fluvium Wiſera in Villa regia in loco nuncupante dudum Huxori dicatum in honore S. Stephani Protomartyris. ſuggeſſit manſuetudini noſtræ. ut idem monaſterium & monachos ibidem per tempora degentes cum rebus & hominibus non ſolum ſub noſtra tuitione & defenſione conſtitueremus. verum etiam & talem inmunitatem fieri juberemus. qualem omnes Eccleſiæ in Francia habent. Cujus petitioni dignam & proficuam judicantes. hanc auctoritatem inmunitatis erga prædictum monaſterium Corbeiæ ejuſque rectores fieri juſſimus. per quam decernimus atque jubemus. ut nullus Judex publicus vel quilibet ex judiciaria poteſtate in Eccleſias. aut loca. vel agros. ſeu reliquas poſſeſſiones memorati monaſterii. quas præſenti tempore in quibuſlibet pagis & territoriis habet. vel deinceps ibidem conlatæ fuerint. ad cauſas judiciario more audiendas. vel freda exigenda. aut manſiones vel paratas faciendas. aut fidejuſſores tollendos. aut homines ipſius monaſterii tam ingenuos quam & latos diſtringendos. aut ullas redhibitiones aut inlicitas occaſiones requirendas. ullo unquam tempore ingredi audeat. vel ea quæ ſupra memorata ſunt penitus exigere præſumat. Sed*

liceat

liceat memorato Abbati ſuiſque ſucceſſoribus res prædicti monaſterii ſub immunitatis noſtræ defenſione quieto ordine vivere ac reſidere. & quicquid exinde jus fiſci exigere poterat. totum & ad integrum nos pro æterna retributione ad pauperes alendos. & luminaria eidem monaſterio concinnanda concedimus. qualiter monachi ibidem degentes. pro nobis proleque noſtra atque ſtatu totius noſtri imperii nobis ad regendum commiſſi. Domini miſericordiam adtentius exorare delectet. Sed & hoc placuit nobis huic inſerere auctoritati. ut licentiam habeant rectores hujuſce monaſterii cum quibuſlibet hominibus liberis. res & mancipia legaliter commutare. Videlicet ut quicquid juſtè & rationabiliter pars alteri contulerit parti. per hanc noſtram auctoritatem jure firmiſſimo teneant atque poſſideant. & quicquid exinde facere voluerint libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi quicquid elegerint. Et ut hæc auctoritas inmunitatis atque confirmationis noſtræ per futura tempora inviolabilem obtineat firmitatem. manu propria ſubter firmavimus. & anuli noſtri inpreſſione ſignari juſſimus.

Signum HLUDOVVICI *Sereniſſimi Imperatoris.*
Durandus Diaconus ad vicem Fridagiſi recognovi. Data VI. *Kalend. Auguſt. Anno Chriſto propitio* X. *Imperii domni* HLUDOVVICI *piiſſimi Auguſti. indictione prima. Actum Ingilinheim palatio. in Dei nomine feliciter. Amen.*

IN *nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri* JESU *Chriſti.* HLUDOVVICUS *divina ordinante providentia Imperator Auguſtus. Omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ noſtriſque fidelibus præſentibus ſcilicet atque futuris notum eſſe volumus. Quomodo Corbagenſe monaſterium in Saxonia propitiante Domino cum conſenſu fidelium noſtrorum in honore ſancti Stephani Protomartyris Chriſti devotiſſima intentione fundavimus. & ibi conpetentia ſubſidia quæque præ manibus invenimus debita largitate prædicto ſanctificationis loco noſtra in elimoſina contulimus. Inſuper etiam quia locum mercationis ipſa regio indigebat. monetam noſtræ auctoritatis publicam ultra ibi ſemper ineſſe Chriſto militantibus proficuam ſtatuimus. Quatenus cum omni integritate abſque ullius contradictione vel impedimenti occaſione locus ipſe ſanctitatis omnem inde reditum noſtræ auctoritatis publicum poſſideat. & utilitatibus monaſterii perpetuis temporibus multiplicatum*

noſtrum hoc largitatis donum proficiat. & ut fiduciali perpetuitate hæc omnia auctoritatis noſtræ dona ſibi potiatur & teneat. anuli noſtri inpreſſione ſubter roborando firmare decrevimus.

Signum HLUDOVVICI *Sereniſſimi Imperatoris.*

Hirminmarus Notarius ad vicem Theogonis recognovi.

Data Kal. Junias. Anno Chriſto propitio XX. *Imperii domni* HLUDOVVICI *piiſſimi Auguſti. Indictione* XI. *Actum Wormatia civitate. in Dei nomine feliciter. Amen.*

9. HUXARIÆ DICIT JUS.] Quam Ludovicus Pius VI. Kalend. Auguſt. Indict. I. Imperii ſui X. qui fuit annus Æræ Chriſtianæ 823. Adelhardo Abbati & monaſterio Corbeienſi donavit in Ingilinheim. Vid. diploma apud Gerhardum Cleinſorgium in hiſtor. Eccleſiaſtic. Weſtphaliæ MS. & Stangevolium in Annal. Circuli Weſtphal. lib. 2. pag. 120. Indè Huxaria (in cujus confiniis BRUNISBERGA) à Letznero in Chron. Corbeienſ. cap. 67. 68. 69. & 70. deſcripta, hodiedum in ditione eſt Corbeienſi; attamen quoad eccleſiaſticam ſive ſacram juriſdictionem, ut prædiximus, ad Paderbornenſem Epiſcopum pertinet. Quapropter in diviſione ſedium Archidiaconalium Diœceſeos Paderbornenſis, auctoritate Sedis Apoſtolicæ Legati, tempore Bernardi IV. Epiſcopi Paderbornenſis facta, quartum locum obtinet, ut patet ex his literis.

Frater Conradus Prior Provincialis fratrum Prædicatorum Theutoniæ. & frater Erneſtus ejuſdem Ordinis. Viſitatores à Legato per Paderburnenſem dyoceſim dati. Univerſis ad quos præſens ſcriptum pervenerit utriuſque vitæ ſalutem. Ne ordinatio noſtra ſuper diviſione Eccleſiæ parrochialis S. Othelrici in Paderburna. & ſuper aliis articulis infra annotatis. proceſſu temporis quod ſuæ vetuſtatis celeritate delere ſolet omnia. memoriam effugiat humanam. præſenti ſcripto declaramus. quod nos accedentes ad Eccleſiam Paderburnenſ. Abbate de Bridelare noſtro Collega legitime excuſato. Eccleſiam præfatam ſancti Othelrici. ſecundum quod à D. O. ſancti Nicolai in Carcere Tulliano Diacono Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato acceperamus in mandatis. de majoris Præpoſiti & ſingulorum ac univerſorum

rum

rum de Capitulo. nec non D. Conradi ejuſdem Eccleſiæ Plebani conſenſu poſt reſignationem ejuſdem Eccleſiæ à præfato Plebano coram D. Bernardo IV. *Paderburnenſi Epiſcopo. Volrado Præpoſito. Amelungo Decano. Volquino de Swalenberch. & nobis factam. de conſilio ejuſdem D. Epiſcopi in has tres diviſimus partes. Unam quæ eſt à domo Hildebrandi Wapenrocht. uſque ad curiam Epiſcopi quæ vocatur Stathelhove. & deinde ad murum civitatis. & à domo jam dicti Hildebrandi uſque ad domum Harmodi de Alride. & ab eadem domo uſque ad molendinum Epiſcopi. & ab illo molendino uſque ad pontem lapideum. Eccleſiæ ſancti Pancratii. Aliam vero partem Nortelvinke & Aſpethere. uſque ad domum Criſtinæ ante Urbem. & ab eadem domo uſque ad portam qua itur Heriſiam. & omnes domos & villas extra civitatem verſus Orientem & Septentrionem inferiori Choro ſancti Liborii aſſignantes. Eccleſiæ vero ſancti Othelrici omnes domos quæ inter has duas partes ſunt & omnes villas & ſingulares domos quæ extra civitatem ſunt verſus Occidentem. contulimus. Volradus vero major Præpoſitus ad inſtantiam Domni Epiſcopi & noſtram. Ordinationem noſtram ac partium aſſignationem approbando. præfatam parrochiam videlicet Eccleſiam ſancti Othelrici cum omnibus ſuis pertinentiis Dominabus in Paderburna Ordinis Ciſtertienſis in eadem Eccleſia in perpetuum manſuris. Auctoritate Patronatus de conſenſu Capituli majoris Eccleſiæ in remiſſionem peccaminum ſuorum & ut in perpetuum ipſius Præpoſiti à præfatis Dominabus. maxime quia earundem in eodem loco fundator extitit. memoria habeatur jure contulit perpetuo poſſidendam. ita tamen quod quemcumque Sacerdotem Abbatiſſa & Conventus dictarum Dominarum ei ſuiſque ſucceſſoribus præſentaverint. ab ipſo ſuiſque ſucceſſoribus ſine difficultate curam recipiat animarum. & ei ſuiſque ſucceſſoribus ſicut tenetur obediet. Et ut gratiam uberiorem Dominabus exhiberet eiſdem ordinavit ut poſt mortem Præpoſiti ejuſdem loci. dimidia marca in recognitionem ſubjectionis. & pro jure Synodatico majori Præpoſito dimidia marca perſolvatur. Eccleſiam vero ſancti Pancratii. D. Rothegero & Eccleſiam ſancti Liborii in inferiori Choro. debita ſicut verus Patronus ad quem debitum in omnibus habebunt reſpectum. à quo etiam & curam animarum &*

temporalia ſimul accipiunt & eorum ſucceſſores accipient debita contulit ſolempnitate. Hæ autem Parrochiæ omnia jura parrochialia habebunt. niſi quod Crucem diebus dominicis & in ſolempnitatibus non ferent. ſed in proceſſione majoris Eccleſiæ cum ſuis erunt Rectoribus. niſi legitima fuerint neceſſitate præpediti. in Paraſceve ſepulturam Crucifixi non facient. & in Nativitate Domini. in Paſcha. in Aſcenſione. in Paſcha. in Pentecoſtes. in feſto Patroni & in die Dedicationis ad Eccleſiam convenient majorem divinum officium audituri.

De Archidiaconatibus verò ordinantes totum Epiſcopatum in ſex Sedes. præter duos Archidiaconatus videlicet majoris Præpoſituræ. cui hæ tres villæ Himminchuſen. Dale & Buke ſunt adjunctæ. & Præpoſituræ ſanctorum Apoſtolorum Petri & Andreæ. de D. Epiſcopi conſilio & Capituli conſenſu diſtinximus. Unam Sedem Horhuſen in Eccleſia ſancti Dyoniſii. cui duas Eccleſias Curbike & Athorp cum ipſarum Eccleſiis & Capellis adjunximus locantes. Secundam Sedem Wartberch. cui Eccleſias Dasburch. Lovene. Wellethe. Kulete. Rothen. Bylinchuſen. Scerve. Oſſenthorp. cum earum Eccleſiis & Capellis adjunximus. ipſum Archidiaconatum Cantoriæ deputantes. Tertiam Sedem Yburch. cui has Eccleſias Eiſnen. Nateſunken. Brakel. Volſteſen. Herſtelle. & omnes Eccleſias quas modo habet Helmwordishuſenſis Eccleſia. Heriſiam. Wilbodiſſen. cum ipſarum Eccleſiis & Capellis adjunximus. ipſam Sedem Cameræ aſſignantes. Quartam Sedem HUXARIÆ. *cum hiis Eccleſiis. Corbeia. Meinbragteſen. Brochuſen. Otberch. Erclen. Amelunkeſſen. Godelmen. Helingenberg. Bernninchuſen. Bodikiſſen. Albagtiſſen. Heienhuſen. Homerſen. Boffeſen. ſanctus Ægidius. Nienovere. Oldenthorp. Dune. duo Holteſminne. Lugterinken. cum earum Eccleſiis & capellis. Quintam Sedem Stenhem cum hiis Eccleſiis. Belderſen. Oldenberge. Holthuſen. Sumerſile. Monaſterium. Leverincthorp. Collerbike. Valckenhagen. Burghagen. opidum Svalenberch. Scithere. Wicbilethe. Byche. Capella Relmkerke. Sandenebike. Pumeſen. Lugethe. cum earum Eccleſiis & Capellis. Sextam Sedem Lymego. cum hiis Eccleſiis. Scutemere. Orlinchuſen. Hepen. cum earum Eccleſiis & Capellis. quam Sedem Cuſtodiæ deputavimus. adicientes quod cum Archidiaco-*

diaconatus Scildeſe & Hervordie vacaverint. Præpoſituræ Scildeſenſi permaneant. ita ſi eadem Præpoſitura Capitulo remanebit. alioquin & Hervordia & Scildeſe ad Cuſtodiam devolventur. quæ tamen Sedes non niſi poſt mortem eorum qui nunc ipſarum Eccleſiarum Archidiaconi ſunt. vel niſi forte voluntarie reſignaverint. vacabunt. Auctoritate etiam D. Legati diſtricte ſub anathematis vinculo. omnibus Sacerdotibus & Plebanis præfatarum ſex Sedium præcipiendo mandamus. quatenus cum ipſas Sedes vacare contigerit. ad Archidiaconos ſuos. curam animarum & donum altaris ab ipſis accipiendo. debitum in obedientia & procuratione eiſdem facienda. habeant reſpectum. Cum vero inter cetera de mandato D. Legati de obedientiis ſæpedictæ Eccleſiæ ordinaremus. Canonicis non per omnia nobis conſentientibus. tandem. D. Volradi majoris Præpoſiti. & noſtro ſe commiſerunt arbitrio. pœna centum marcarum ipſum arbitrium vallantes. Juramento igitur ab omnibus accepto ut noſtris parerent mandatis. ſub pœna arbitrii videlicet centum marcarum primo præcepimus. ut omnis ceſſaret rancor qui erat inter majores Canonicos & minores de inæqualitate bonorum. & pacis oſculum fuit utrinque datum & acceptum. & poſtmodum diviſione facta bonorum. ſub pœna arbitrii ſcilicet centum marcarum præcepimus. ne quis de cetero querimoniam Epiſcopo vel Præpoſito moveret. de collatione obedientiarum. Sed ſit in poteſtate eorum conferre obedientias ſuas cui voluerint. & plures uni ſecundum quod ipſis videbitur expedire. niſi Dominus Papa vel ejus Legatus providerit aliter ordinandum. Præcepimus etiam ſub eadem pœna. ne quis vindictam ſumat de Præpoſito majore pro eo quod arbitratus eſt obedientias quorundam Canonicorum eſſe dividendas. & excommunicavimus omnes qui de cetero rancorem verbo vel facto pro illa diviſione obedientiarum contra dividentes vel eos qui bona receperunt demonſtrarent. id eſt. qui eos pro illo facto contumeliis & obprobriis afficerent. vel eis hoc factum inproperarent. & decernimus eos qui hæc fecerint excommunicatos. perjuros. & pœnam centum marcarum incurriſſe. De mandato etiam D. Legati & noſtra ordinatione. omnes Canonici à majori uſque ad infimum de Capitulo majoris Eccleſiæ juraverunt. quod cum in ipſorum Eccleſia non ſint niſi XXIV. *majores præbendæ & ſex pueriles.*

Nullus

Nullus de cetero ad non vacans. nec duo ad unum vacans eligantur. & quod nullus Canonicorum de cetero emancipabitur quin idem juret. ne numerus Canonicorum excedat numerum præbendarum.

10. PADIBORNA TUÆ.] Qui nobis Ptolemæi tabulas egregiè illuſtratas ediderunt, cùm inter Germaniæ oppida *Teuderium*, quod Antoninus vocat *Theudurum*, reperiſſent; non dubitarunt affirmare eſſe Paderbornam. In qua ſententia eſt Petrus Montanus, Althamerus, Henricus Harius in MS. deſcript. Diœceſis Paderborn. & Klocnerus, qui citat Albertum Thonerium Vicarium Paderbornenſem anno 1190. aſſerentem eo in loco, quem modò Paderborna occupat, ſitum fuiſſe quondam pagum *Tutorium* ſive *Dutorium*, ita nuncupatum à *Dute*, quod veteri Saxonum linguâ Deum ſignificat, & eſt, ut ait, hic frequens in ore hominum *Iodute* idolum, à Majoribus noſtris, ut fertur, divinis honoribus cultum. Verùm quicquid ſit de pago *Dutorio*, & iſto idolo, certum eſt *Theudurum* non alibi, quàm in ulteriori Rheni ripa, ubi Antoninus poſuit, inquirendum eſſe, & ut Cluverius ac Bertius rectè opinantur, *Tudder* hodie appellari, non incelebrem Juliæ vicum, qui uti priſtinum nomen ſervat, ita plurima antiquitatis monumenta hodiedum illic è terra eruuntur, ſigna loci olim cultiſſimi. Nihil igitur *Teuderium* ad Paderbornam, quam à fonte Paderæ nomen accepiſſe ita eſt compertum, uti Born ſive Borne & Brunne Teutonicè fontem ſignificat.

11. QUÆ SI POSTERITAS SERVASSET FOEDERA.] Diverſiſſimus religionis in Paderbornenſi & Corbeienſi ditione eſt ſtatus. In Paderbornenſi ſolius Catholicæ fidei cultus floret vigetque; in Corbeienſi heterodoxæ Lutheri opiniones, per ordinariam Epiſcopi Paderborn. juriſdictionem, præpoſtero ſanè tempore, nec cum exiguo æternæ ſalutis diſpendio violatam turbatamque, ita prô dolor! invaluerunt, ut Huxaria novæ religionis infrænatâ licentiâ laſciviens, unà cum vero Numinis cultu, obſequium Abbati debitum, non ſemel exuerit; & nunc etiam, dum hæc ſcribimus, Brunſwicenſium præſidio muni-

munita adversùs Corbeienſes, fœdum in modum tumultuetur. Quibus idcircò providendum, ne dum ipſi extra Monaſterii ſepta, ſacræ juriſdictionis phylacteria ſtudent dilatare, civilis interim poteſtatis fimbriæ ab aliis quotidie magis accidantur. Quin illa potior ſit cura, ut *fortunam velut tunicam magis concinnam probemus quàm longam*. Apul. in Apol.


Boca ad Luppiam, hodie Böcke.
I G Rudolphi delin

BOCA AD LUPPIAM.

MEMORIÆ. SACRUM

BOCA. VETUS. CAROLO. MEMORABILIS. HOSPITE. PAGUS
LUPPIA. QUAM. RAPIDIS. PRÆTERIT. AMNIS. AQUIS
ANGARIOS. VIDIT. PACEM. VENIAMQUE. PRECANTES
SUPPLICITER. FRANCO. SUBDERE. COLLA. JUGO
OBSIDIBUSQUE. DATIS. JURANDO. JURE. PACISCI
OBSEQUII. STABILEM. TEMPUS. IN. OMNE. FIDEM
ANGARIÆ. GENS. VICTA. SACRO. LÆTARE. TRIUMPHO
QUEM. CAROLUS. DE. TE. RELLIGIOQUE. TULIT
SI. SUB. REGE. PIO. LIBERTAS. GRATIOR. EXSTAT
SERVITIO. MAGIS. ES. LIBERA. FACTA. TUO

FERDINANDUS. DEI. ET APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO. DE. FURSTENBERG

BOCÆ. CELEBRI. OLIM. PAGO. UBI. CAROLUS. M FRANCORUM. REX. ANGARIOS. DATIS. OBSIDIBUS. ET. JUREJURANDO. FIDEM. OBSEQUII. FIRMANTES. AN. DCC.LXXV. IN. DITIONEM. ACCEPIT ET. A. SANCTÆ. MEMORIÆ. BADURADO. PADERBORNENSI. EPISCOPO. RELIQUIÆ. B. LANDOLINI. CONF. QUAS. E. CAMERACENSI. DIOECESI ILLUC. TRANSTULERAT. COLLOCATÆ. FUERUNT

M. H. P

NOTÆ.

1. BOCA.] Bruniſbergam caſtra Caroli M. prælium cum Saxonibus in tranſitu Viſurgis, & diuturna obſidio; *Bocam* non minùs ejuſdem hoſpitium, pax & religio, ab Aſtron. in Annal. rerum geſt. à Carolo M. apud Reuberum, Auctore vitæ Caroli M. edit. à Pithæo, Annal. Caniſii, Adelmo, Poëta Anonymo, Reginone, & literis antiquis commemorata commendant, & dignam monumento reddunt.

2. LUPPIA.] Ubi etiamnum arx, vicus & præfectura *Boca* appellata ſupereſt, ſunt qui caſtrum ſtetiſſe opinentur, de quo Aſtronomus: *Eresburgo caſtro, quod dirutum erat, reſtaurato, alioque caſtello ſuper Lippiam exſtructo, & in utroque non modico præſidio relicto, ipſe in Galliam reverſus.* Quod Henricus de Hervordia, quem ſequitur Rolevingius, *Vechtelar* appellatum ſcribit, & Cleinſorgius Lipſtadii collocat: Wittius verò Leisbornenſis monachus, nomen ei fuiſſe putat *Borchvechteler*, impoſitumque Glennæ flumini, haud procul Lipſtadio. Veroſimilius Gobelinus Perſona, & Panegyr. Paderborn. ruderibus antiqui Aliſonis, prope Luppiæ caput, ubi Carolus caſtra tunc habebat, inædificatum hoc caſtellum, & Francos illic ſtationem egiſſe putant, ut eo in loco, ubi facilis eſſet Weſtphalis ad Angarios, & ab his ad Weſtphalos commeatio, nullo negotio utroſque in officio contineret. Quod & ſub Auguſto impulit Druſum, ut munitionibus locum circumdaret, poneretque ibi Romana caſtra ad coërcendas Rhenum inter & Viſurgim ſitas nationes. *Sanctæ* deinde *memoriæ* BADURADUS Epiſcopus Paderbornenſis, oſſa *B. Landolini*, cujus honori dicatum templum *Bocæ* hodiedum exſtat, è diœceſi Cameracenſi tranſlata, *Bocæ* collocavit; quæ ad annum uſque 1101. religioſè aſſervata. Paucis annis antè, Monaſterium ordin. S. Benedicti ſuper eadem ſacra oſſa Erpo Comes de Padberg, conſilio & adjutorio Henrici de Werle Paderbornenſis Epiſcopi, inchoavit.

IN *nomine Domini. Erpo dictus Comes in Patberg, ad notitiam omnium fidelium pervenire deſideramus, quòd nos ad honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſanctæ ejus Genitricis Virginis Mariæ, & ſuper reverenda oſſa beati Landolini Confeſſoris, quæ ſanctæ memoriæ Baduradus Paderbornenſis Epiſcopus de diœceſi Cameracenſi tranſtulit, & in loco, qui dicitur* BOCA, *integraliter deportavit, novellam plantationem religionis S. Benedicti conſtruximus, ſuper fluvium, qui dicitur Lippia; quod opus ſtructuræ meæ conſilio & adjutorio Domini Henrici Paderbornenſis Epiſcopi inceptum, Comites de Nitehe minis & terroribus, ne perficeretur, impedierunt, aſſerentes ſe veros hæredes loci illius eſſe poſt mortem Dominæ Beatricis conjugis noſtræ. Unde inito conſilio prædicti Epiſcopi, tranſmigravimus Abbatem & fratres ejus, qui cum ipſo erant, in villam noſtram, quæ vocatur Fletorp, & ibi incepimus ſtructuram noſtram conſummare, anno gratiæ milleſimo centeſimo primo, ad honorem Piæ Matris, & ut ardentiùs inſtarem, benigniſſimus Dominus flagello ſuo me torpentem excitavit hoc modo. Quodam tempore oppidanis in Horhuſen fortè injuſtè in tantum offenſus, ut incendio oppidum totaliter deſtruere & conſumere vellem, etiam ignem immittendo; quidam de ipſis oppidanis ad Eccleſiam ſancti Magni glorioſi Martyris fugientes imaginem Crucifixi Domini rapuerunt, & eam ferentes obviam mihi furenti proceſſerunt. At ego rationem præ furore non capiens, ad portitores Crucifixi evaginato gladio, ut ſtultus, miſer irrupi, & quod Crucifixo pro corona capiti impoſitum eſt, percuſſi, & partem in terram dejeci: Nec ſine mora ultio divina defuit, nam digiti mei, quibus ferrum ad contumeliam ſanctarum reliquiarum ſtrinxeram, & manus in volam contracti, præſentiam æterni judicis ibi adeſſe & iram perſenſi. Tunc igitur ejus flagello caſtigatus, & tamen de eo quod ſcriptum eſt, flagellat omnem filium quem recipit, fiduciam ſumens, præſumebam à miſericordia Dei me diligi, quod merebar affligi, præfatæ Eccleſiæ beati Magni de meis poſſeſſionibus manſum unum, & Monaſterio meo Fletorpenſi omnia mea & me ipſum, Miniſteriales meos cum beneficiis & poſſeſſionibus, ſervos omnes mihi bene in hoc conſentientes, Dominæ meæ perpetuæ Virgini Mariæ contradidi. Conſtituo, & præſenti ſcripto ſigillo noſtro roborato jubeo, ut poſt mortem meam aliam perſonam Eccleſiaſticam Abbas, & qui cum eo ſunt fratres eligant, & ei proprietatem*

Monaſterii mei tradant; & ejus conſilio & permiſſione, Advocatum ad tempus unius anni vel duorum, ſi opus ſit, eligant: finito verò Advocatiæ ſuæ termino, iterum, ſi neceſſe ſit, non de progenie priorum, ſed alium; ut caveatur ne aliquis in Advocatia hæreditario jure ſuccedere poſſit. Miniſteriales mei qui modò ſunt, Miniſteriales Monaſterii, in quacunque parochia moriantur, ſepulturam in prædicto meo Monaſterio eligant & habeant, & optimum equum, quem quis habeat, & arma ibidem offerat. Jura verò in accipiendis vel dandis hæreditatibus, ſecundùm jura Miniſterialium ubi ſe tradiderint habeant. Actum Anno M. CIV. *tertio nonas Julii.*

Anno verò 1371. Bernardus de Hörde Eques, arcem *Bocam*, Henrici Epiſcopi, & ſucceſſorum ejus, *feudum ligium* ſemper fore profeſſus, exſtruxit; filius Bernardus ſacellum ibidem condidit, quod ejus nepos Philippus Weſtphaliæ & Angariæ Mareſcallus, & conjuge defunctâ Præpoſitus Monaſterienſis, inſigni ſacrâ ſupellectile, & ſacrarum reliquiarum atque indulgentiarum theſauro locupletavit. Arcem quidem, ſtirpe Bernardi conditoris exſtinctâ, ſæculo proximè præterito à Theodoro Furſtenbergio Paderborn. Epiſcopo recuperatam, An. 1646. Sueci unà cum ſacello incendère; verùm eandem Theodorus Adolphus Epiſcopus Paderbornenſis inſtauravit munivitque. Hic igitur locus, ſi Reinero Reineccio, in Poëtam Anonymum notas componenti, in mentem veniſſet, minimè is dubitaſſet, utrùm quæ Annales Francorum de *Boca* memorant, ſint de Monaſterio S. Menolfi, an de Bukenborg arce ditionis Schawenburgicæ intelligenda; cùm hæc trans Viſurgim in Oſtfalis ſita, illud verò Bödeke ſemper fuerit appellatum.

3. BOCA VETUS CAROLO MEMORABILIS HOSPITE.] Aſtronomus: *Indè reverſus cùm in pagum qui Buchi vocatur perveniſſet.* Poëta Anonymus:

In pagum rediit quem dicunt nomine BUKKI.

Non poſtrema loci alicujus gloria cenſetur, Cæſarem Regemque hoſpitio excepiſſe. quàm multa hac ſola de cauſa monumenta poſita?

4. PAGUS.] Antiqua regionum agrorumque in pagos diviſio.

viſio. De Numa Pompilio, Dio & Plutarchus tradiderunt: *Diviſit totam regionem in partes, quas pagos nominavit.* Eodem modo *Helvetia*, Cæſar. lib. 1. *Suevia*, idem lib. 4. *Alemania*, Ammian. Marcellin. lib. 16. *Germania omnis*, Cluver. præcipuè verò *Saxonia* in pagos diſtributa erat. Meibom. in comment. de pagis Saxon. Præter *Bocenſem* complures in hiſtoria Francica, Imperatorum Regumque Saxonicorum diplomatis, & antiquarum donationum literis pagi nominantur, plerique toti, nonnulli ex parte Eccleſiæ Paderbornenſi donati: nimirum, *Aga*, *Almenga* ſive *Almunga*, *Auga*, *Engere*, *Heſſi*, *Hemmerveldun*, *Hertega*, *Hutagoe*, *Lacni*, *Liſna*, *Morunga*, *Nihterga*, *Paterga*, *Rittega*, *Sorehtfeld*, *Trevereſga*, *Treini*, *Thietmelli*, *Tilichi*, *Ventzga*, *Weſſiga*, *Wetiga*, *Weſtphalon.* Significabatur itaque hoc nomine non vicus, ſed major minorve amplioris regionis tractus, non paucos vicos villaſque complectens; ſæpe magnæ provinciæ partem veteres Germani Gaw/Görte/ Saxones verò pagos *Scyre* vocabant: unde *Warwickſcyre*, *Nicolſcyre*, *Leyceſterſcyre*, &c. appellationem invenerunt. Lindenbrogius in gloſſario Cod. LL. antiquar. Deſiit hæc appellatio paulatim circa annum 1100. cum pagi in Ducatus, Principatus, diverſi generis Comitatus, migrarunt, ac hæreditario jure poſſideri cœpti. In his pagis Duces, Principes, Satrapæ, Comites jus dicebant. Cæſar lib. 6. Comm. *In pace nullus eſt communis magiſtratus, ſed principes regionum atque pagorum inter ſuos jus dicunt, controverſiaſque minuunt.* Tacit. de morib. German. *Eliguntur principes, qui jura per pagos vicoſque reddunt.* Poëta Anonym.

Sed variis diviſa modis plebs omnis habebat,
Quot pagos, tot pænè Duces.

Beda hiſt. Eccleſiaſt. lib. 5. c. 11. Rolevingius: *Regem antiqui Saxones non habebant, ſed per pagos Satrapas conſtitutos.* Qui Satrapæ in generali conventu deſignabantur, quem Saxones, teſte auctore vitæ S. Lebvini, quotannis in *Marcalo* ad Viſurgim celebrabant. A Caroli M. demum tempore Comitum nomen uſurpari cœptum. Hinc Saxones & reliqui Germani quoties ſitum loci exprimere volebant, in quo pago, & pagus in cujus Comi-

Comitatu eſſet, ſoliti deſcribere. Exempli causâ, diplomata S. Henrici Imp. An. 1012. Eccleſiæ Paderborn. data, memorant: *Curtem Honſtede in pago Rittiga, in Comitatu Bernardi.* An. 1019. *Abbatiam Scheldice ſitam in pago Weſſiga, & Comitatu Friderici Comitis.* Conradi Imperatoris, An. 1027. *Curtem Ervite in pago Engere, in Comitatu Marquardi.* An. 1030. *prædium Padberg in pago Nithega, & Comitatu Haholdi.* An. 1033. *in loco Halmwardeshuſen, in Comitatu Bennonis Comitis, & pago Angera ſito.*

5. ANGARIOS VIDIT.] Vita Caroli M. apud Pithæum: *Indè revertente Domno mitiſſimo Rege Carolo, venerunt Angarii in pago Boccenſi, unà cum Brunone & reliquis optimatibus eorum, & dederunt ei obſides.* Annal. Francor. apud Caniſium: *Similiter indè jam revertente mitiſſimo Domino Rege, venerunt Angarii, in pago qui dicitur Buckhi, unà cum Brunone, & reliquis optimatibus eorum, & dederunt ei obſides ſicut Auſtraſii.* Regino in Chron. *Simul eò revertente venerunt Angarii in pagum qui dicitur Bucki, unà cum Brunone duce eorum, & fecerunt ſicut Orientales Saxones fecerant.* Annal. Franc. apud Reuber. An. 775. *Indè reverſus cùm in pagum, qui Buchi vocatur, perveniſſet, Angrarii cum ſuis primoribus ei occurrerunt, & ſicut Oſtfali, juxta quod Rex imperaverat, obſides & ſacramenta dederunt.* Imitati ſunt hìc *Angarii* majores ſuos *Angrivarios*, de quibus Tacit. lib. 2. Annal. *Mox bellum in Angrivarios Stertinio mandat, ni deditionem properaviſſent, atque illi ſupplices nihil abnuendo veniam omnium accepêre.* Rectè utrique, cùm hi Germanici Cæſaris, illi verò Caroli potentiæ impares ſe agnoſcerent. Quamobrem etſi tot inſignes inter Viſurgim & Rhenum populi, *Sicambri*, *Bructeri*, *Tencteri*, *Uſipetes*, *Dulgibini*, *Tubantes*, *Marſi*, vel tranſlati, vel exciſi, vel emigrarint, vel vetus nomen amiſerint, atque in unum cum *Francis* primùm, deinde cum *Saxonibus* populum coaluerint; manſit tamen ſemper, & cum finibus *Angrivariorum* ſeu *Angariorum*, fama, nobilitas & potentia crevit. Adjunxêre ſe quidem *Saxonibus*, ſed ita ut *Angarii* appellari non deſierint: in tres enim populos *Saxonia* tota, *Weſtphalos*, *Angarios*, & *Oſtphalos*, diviſa olim fuit. Poëta Anonym. lib. 1. Widekind. lib 1. Quem locum in hac diviſione obti-


obtinuerint, facilè tum ex eo, quòd ex *Angariis* Widichindus fuerit, ad cujus poſteros Saxonia univerſa, & imperium Romanum poſtea pervenit, tum ex amplitudine provinciæ colligi poteſt. Habitaverunt enim primùm *Angarii*, à campeſtri planitie, van den Angern/ ut contrà Marſi & Bructeri à paludibus dicti, AD CONFLUENTES ANAGRI ET ALBIS, ubi Angermunda; & hæc antiquiſſima eorem ſedes. Reinerus Reineccius. INTER AMISIUM ET VISURGIM, *ad cujus lævam caſtra metanti Germanico, Angrivariorum à tergo defectio nuntiata, & mox vindicata.* Tacitus, Cluver. BRUNISBERGÆ, arce à Brunone *Angrivariorum* duce, & deditionis hujus auctore inchoatâ. AD DIMOLAM, ubi Helmershuſa, quæ in diplom. Chuonradi Imper. An. 1033. *locus* vocatur *in pago Angeri ſitus.* IN COMITATU RAVENSBERGENSI, in quo vicus Enger/ & ſedes Widichindi. IN FINIBUS BRUCTERORUM, juxta Tencteros, atque poſt Dulgibinos & Chaſuaros. Tacit. de mor. Germ. *Juxta Tencteros Bructeri olim occurrebant: nunc Chamavos & Angrivarios immigraſſe narratur, pulſis Bructeris. Angrivarios & Chamavos à tergo Dulgibini, & Chaſuari cludunt.* INTER OSTFALOS ET WESTFALOS, ab Auſtro Francis, ex Aquilone Oceano propinqui. Poëta Anonymus:


Inter prædictos mediâ regione morantur
Angarii, populus Saxonum tertius; horum
Patria Francorum terris ſociatur ab Auſtro,
Oceanoque eadem conjungitur ex Aquilone.

AD CAPUT AMISII, Altham. INTER EJUSDEM ET LUPPIÆ RIPAS, BOCÆ, Winckelmannus. IN ERUITE, Diploma Conradi Salici, quo Meinwerco Epiſc. Paderborn. *curtem imperialem Ervete in pago Engeri, in Comitatu Marcqwardi,* An. 1027. donavit. IN DUCATU ANGARIÆ, SUSATI capite gentis, WERLIS, ARENSBERGÆ, literæ Friderici Com. apud Cleinſorgium, datæ *in caſtro Arnsberg, pago* Engern. Fortaſſis etiam in DUCATU MONTANO, in quo *Anger* fluvius, Angerort & *Angermunda* oppida.

6. ANGARIÆ GENS.] Ab Angariis dictus vicus Engern/ oppidum olim non incelebre, tempore belli Saxonici; cujus adverſus Francos auctor & dux fuit Widichindus, in poteſtatem Caroli M. devenit. Sed ubi Chriſtianam religionem amplexus Widichindus cum Carolo pacem fecit, Angaria ad ipſum rediit. Quæ cùm deinde cum reliquo Saxoniæ & Weſtphaliæ Ducatu aliquoties dominos mutaſſet, tandem poſt Henrici Leonis calamitatem ceſſiſſe Comitibus Lippienſibus perhibetur. Ex his Simon Bernardi filius acerrimas cum Oſnabrugenſibus ſimultates habuit, & anno 1299. ex arcibus *Angaria* & *Rheda*, magnis eos cladibus affecit. Quas injurias Ludovicus Oſnabrugenſis Epiſcopus è Comitibus de Ravensberg haud inultas paſſus, Simonem, prælio victor cepit, Oſnabrugam deduxit, & dura in cuſtodia ferè per ſexennium detinuit; donec An. 1305. die S. Kiliani in Scottmar, eâ, inter alias, conditione liberatus fuit, ut *Angariæ* arcem & mœnia ſolo æquaret. Chron. Oſnabrug. Hermannus Hamelmannus in Genealog. Comitum Lippienſ. Pideritius in Chron. Lippienſ. pag. 504. Rein. Reineccius in Comment. de Angrivariis & Angaria. Qui hoc inſuper addit: *Interea tamen jus, nomen & magiſtratus civitatis Angaria retinet, cùm alioqui planè vicum referat. manſit & colli, in quo arx ſita fuit, nomen: appellatur enim* die Burgſtede. *Collis autem in quo poſitum eſt fanum S. Dionyſii, quod unà cum collegio Canonicorum Widichindus illic condidit, eo, qui arcem habet, editior eſt.* Illo in fano Mauſolæum habet Widichindus, quem anno 807. Letznerus & Reineccius, anno 812. Wittius & Cleinſorgius, alii vero anno 805. & quidem in prælio à Geroldo Suevorum Duce, ut vult Crantzius lib. 2. Saxon. cap. 24. cæſum fuiſſe affirmant. Cujus effigiem, ut nunc eſt, affabrè deſignatam hîc proponimus.

Carolus IV. Imperator anno 1377. 18. Novembris Bilefeldiam appulſus, cùm audiviſſet in vicinia in vico *Angaria* ſupereſſe Widichindi M. Saxonum Ducis quondam celeberrimi, antiqui operis ſepulchrum, viſendi gratiâ eò divertit. Erat tum temporis tumba vetuſtate nonnihil deformata, quod non ferens Cæſar, interpolari renovarique eam juſſit, additis ad caput


BONE SPIRITVS AVDIT OMNE MVÑDA
MONVMENTVM WITTIKINDI WARNECHINI FILII ANGRIVARIORVM
REGIS XII SAXONIÆ PROCERVM DVCIS FORTISSIMI
HOC COLLEGIVM DIONISIANVM IN DEI OPT. MAX. HONOREM PRIVILEGIIS
REDITIBVSQ; DONATVM FVNDAVIT ET CONFIRMAVIT, OBIIT AÑO
CHRISTI DCCCVII RELICTO FILIO ET REGNI HEREDE WIGBERTO
TVR HVNC REGEMQ; VENERATVR EGROS HIC MORBIS CELI REX
SALVAT ET ORBIS


A
A
B
B
Monumentum Widichindeum in Vico Engeren.
ET ORDO OSSA VIRI FORTIS CUIUS SORS NESCIA MORTIS ISTE LOCUS MUNIT EVGE
I.G. Rudolphi delin

put Caroli M. ad pedes Regni Bohemici inſignibus: nempe Leone flavo, cum cauda bifurcata in puniceo campo. Meibom. in notis ad Chron. Comitum Schawenburg. Imitatus in hoc Ottonem III. Imperatorem, quem in Weſtphaliam profectum, Wildeshuſii primorum Saxoniæ Principum è Widichindea ſtirpe Majorum ſuorum monumenta inſpexiſſe, auctor eſt Crantzius lib. 4. Saxon. cap. 23. Fabricius in origin. Saxon. & meminit Adam. Bremenſ. lib. 2. cap. 14. Cæterùm, ut hoc breviter moneam, antiqua ſepulchri inſcriptio, quam habet Wittius, Cleinſorgius & alii, ab hodierna aliquantulum diſcrepat; & fortè emendatius, *claudit* loco *munit*, & *ſanat* loco *ſalvat*, in ea legetur. *Angarienſe* indè collegium auctoritate Pontificiâ anno 1414. 16. Januarii tranſlatum, Hervordiam migravit cum cineribus Widichindi, qui ciſtæ ligneæ parum reverenter incluſi, unà cum aliis quibuſdam cimeliis ex *Angaria* aſportatis, ſolent advenis commonſtrari. Quare falli videtur Crantzius, auctor Chron. Saxon. & Bernardus Wittius, qui Widichindi reliquias ab Henrico Aucupe Paderbornam tranſportatas, ibique reconditas eſſe tradiderunt.

7. SI SUB REGE PIO.] Claudian. in ſecundo Conſulatu Stiliconis lib. 2.

Fallitur egregio quiſquis ſub Principe credit
Servitium. nunquam libertas gratior extat,
Quàm ſub Rege pio.

Sub quo optimus reipub. ſtatus, Senec. lib. 2. de benef. *& principatus ac libertas miſcentur:* Tacit. in vit. Julii Agric. ſeu ut cum Polybio lib. 6. planiùs dixero, in *quo juſtitia & clementia vigent.* Id quod idem Tacit. lib. 12. Annal. Princeps videlicet *non dominationem & ſervos, ſed rectorem & cives cogitet, clementiamque & juſtitiam capeſſat.* Hæc illa cæleſtia Principum dona ſunt, quibus militant, & Rempub. feliciter adminiſtrant. His tamen ut cæteris virtutibus prudentia moderatrix adſit, temperamentumque præſcribat, ne juſtitia ſeveritate in ſævitiam, & clementia impunitate ſcelerum in ſegnitiem tranſeat. Innumera horum ſapientum Principum exempla nobis omnia hiſtoriarum monu-

menta dedêre. Hic unus nobis Carolus M. Regum & Cæſarum ſapientiſſimus occurrit, qui admirabili rerum ſucceſſu juſtitiam cum clementia miſcuit.

Bellum ille ſuſcepit contra Saxones anno Chriſti DCCLXXII. geſſitque in trigeſimum tertium annum adverſus gentem bellicoſam & libertatis amantem, quod virtutis fuit; ſed quoties illa, quod crimini datum, perfida & rebellis poſt juratam fidem ad arma reſiliit? Teſtem Eginhardum audiamus. *Difficilè dictu eſt, quoties ſuperati ac ſupplices Regi ſe dediderint, imperata facturos polliciti ſint, obſides qui imperabantur, abſque dilatione dederint, Legatos qui mittebantur ſuſceperint, aliquoties ita domiti & emolliti, ut & cultum dæmonum dimittere, & Chriſtianæ religioni ſe ſubdere velle promitterent; Sed ſicut ad hæc facienda proni, ſic ad eadem pervertenda ſemper fuêre præcipites: ut non facilè æſtimari poſſit, ad utrum horum faciliores veriùs dici poſſint. Quippe cùm poſt inchoatum cum eis bellum vix annus unus exactus ſit, quo non ab eis hujuſmodi facta ſit permutatio. Sed magnanimitas Regis, ac perpetua tam in adverſis quàm proſperis conſtantia mentis, nullâ eorum mutabilitate vel vinci poterat, vel ab iis quæ agere cœperat defatigari.* Et quanta in his juſtitia? *dum nunquam eos hujuſmodi aliquid perpetrantes impunè ferre paſſus eſt.* Quanta ſimul clementia? dum toties perfidos in gratiam recepit, fœdera alia ſuper alia iniit, obſides admiſit, ratus gentem humanitate priùs quàm ſeveritate vincendam; viderique poterat, non tam juſtitiæ quàm clementiæ terminos tranſire, toties perjuræ genti fidendo ignoſcendoque. Caſſiodori hic illud recolas lib. XI. Var. Lect. *Benigni Principis eſt ad clementiæ commodum, tranſire interdum terminos æquitatis, quando miſericordia eſt, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recuſant.* Sed barbari erant Saxones, *queis nec ara, nec fides, nec ulla firma pactio eſt:* Et Carolus ubi compertum habuit indulgentiâ ſuâ gentis perfidiam ali, provocari ferociam, illudi majeſtatem regiam Francorumque nomen; mutatâ ſcenâ ſeveritatem advocavit, ſed pœnâ primùm mitiore ſuetâque in his, terrendo, minando, vaſtandoque agros: quibus cùm Saxones nihil à perfidia & ferocia remitterent, redirentque ad perduel-

lio-

lionis arma, immiſſi exercitus, qui ferro flammâque graſſarentur. Verùm cùm nec hiſce impetraret, ut juramento fidei pactiſque ſtarent, ad acerbiora progreſſus, anno demum belli Saxonici decimo, Chriſti DCCLXXXII, *ſuper Alleram fluvium in loco qui Ferde vocatur*, eſtque is, ubi pòſt Verdenſem Eccleſiam conſtituit, *unâ die quatuor millia & quingentos Saxonum* manu carnificis capite plecti juſſit. Francorum Annales. Durum, inquies, ſupplicium! ſed barbari toties perfidi & perduelles, non aliter, quàm barbarum in modum tractari merebantur. Neque tamen hoc ſupplicio gens aut territa aut emollita, aut ad quietem & obedientiam ſe duci paſſa; altero mox anno multò furioſiùs rebellando ad arma rediit, productumque bellum, donec anno Chriſti DCCCIV, victor *ad Albim cum exercitu progreſſus, decem hominum millia ex iis qui utraſque ripas Albis incolebant, cum uxoribus & liberis ſublatos transferret, & huc atque illuc per Galliam & Germaniam diſtribueret*. Eginhard. in Carolo M. & Franc. Annal. Hâc poſtremâ gentis caſtigatione, bellum triginta trium annorum ita finitum eſt, *ut abjecto dæmonum cultu & relictis patriis cæremoniis, Chriſtianæ fidei ac religionis ſacramenta perciperent, Saxoneſque Francis conſociati in unum populum & regnum tranſirent*. Eginhard. in vit. Carol. M. Hæc juſtitiæ fuerunt, ſimulque clementiæ, pluſquam regiæ. Nam cùm omnes perduelles capite plectere, gentemque totam exſcindere liceret, ſanguini pepercit, & exilii pœnâ mulctavit. Senecam hîc probes lib. de Clement. *Principi non minùs turpia multa ſupplicia, quàm medico funera.* Et cùm ſupplices ſe ſiſterent perduelles, totam adeò gentem, condonatione omnium ſcelerum factâ, in gratiam recepit, unâque demum clementiâ gentis pertinaciam & ferociam vicit. Non hîc ſtitit pietas & clementia Caroli Imperatoris. Quippe, cùm ex tam ærumnoſo bello, & tanto Francorum ſanguine victam proſtratamque gentem, ad omne ſervitii genus ſibi obnoxiam haberet; ille tamen priſtinæ libertati donatam, & omni debito cenſu ſolutam pronuntiavit, ut in diplomatis profitetur Carolus. Hoc illud Poëtæ noſtri de Carolo:

Plus

Plus Regis pietas, & munificentia fecit,
Quàm terror.

Ac nulli hominum generi magis ex hac victoria conſultum voluit, quàm Sacerdotibus. Nec enim decimarum penſitatione ſolùm Saxoniam illis tributariam fecit: ſed & in Epiſcoporum diœceſes diviſit, magnamque partem eorum imperio ſubjecit; quòd religione per ipſos introductâ, & miti lenique eorum imperio gentem libertatis amantem, impatientemque alieni dominatûs, tolerabiliùs & tutiùs regendam continendamque cenſeret. Longè enim *valentior amor ad obtinendum quod velis, quàm timor*, Plin. lib. 8. epiſt. ult. Imò ut Claudianus cecinit in Panegyr. Mallii:

——Peragit tranquilla poteſtas
Quod violenta nequit, mandataque fortiùs urget
Imperioſa quies.

Ceſsêre Ducibus, Comitibus & Præfectis ſua ex hoc bello præmia & bona; at quibuſnam ita ſtabili & hæreditariâ poſſeſſione in ſucceſſores tranſmittenda ex hoc Caroli dono, ut Epiſcopis, quos Chriſtianæ fidei doctores rectoreſque populorum impoſuit? Caroli munificentiæ inhæſit filius Ludovicus Pius Cæſar. Illius hoc elogium ab Helmoldo mediæ ætatis ſcriptore, lib. 1. cap. 4. *Poſtquam Carolus Francorum Rex & Romanorum Imperator Auguſtus cum magno bonorum fructu*, addam & luctu, *ad cælos emigravit, Ludovicus filius ejus ſucceſſit in regnum, qui paternis per omnia votis concordans, eâdem liberalitate, quâ pater ejus erga cultum domûs Dei, & omnem Clerum uſus eſt, ampliſſimas regni divitias ad decorem & gloriam Eccleſiæ intorquens, in tantum, ut Epiſcopos, qui propter animarum regimen Principes ſunt cœli, ipſe eoſdem nihilominus Principes effecerit regni.* Quâ liberalitate hæc cæteri Imperatores ac Germaniæ Reges auxerint, ſingulorum diplomata & donationum tabulæ monſtrabunt. At quantum hæc fata temporum contraxêre? Poſtquam in aliam à Carolo religionem deſcivit pietas, & ex aureo illo itum eſt in ænea & ferrea ſæcula, ac poſitâ tantiſper togâ, ſagum neceſſe fuit ſumere pro Eccleſiæ poſſeſſionibus conſervandis; donec poſtremùm in multò iniquiora tempora

pora conjecti ſumus, quibus ipſa Chriſtiana religio ſe diviſit, ortumque eſt bellum Saxonicum, quo longè diſpare, quàm à Carolo M. pugnatum eſt causâ, refixiſque tot donationum tabulis, interverſa eſt prima illa Caroli M. & tot indè Cæſarum ac Regum munificentia in Eccleſiam. Liceat nunc vetus illud Demadis dictum, ſed inverſum cum inverſo ſæculo proferre: *Vide, ne dum terram defendis, cœlum amittas.* Et quanto hæc ſalutis periculo Eccleſiæ patrimonia quærantur, ſatis ex tanto ſapientum virorum numero, nos ipſe Carolus docuit, cùm jam ævo ſuo potentiores ſibi perſuaſerant, poſſe Epiſcoporum & Abbatum bona dividi trahique in res ſuas. Hinc anno regni ſui XXI. Aquiſgrani in palatio XIV. Aprilis, hâc lege, quæ inter Capitularia ejus lib. I. cap. LXXXIII. refertur, cautum ſancitumque voluit: *Quia juxta ſanctorum Patrum traditionem novimus* RES ECCLESIÆ VOTA ESSE FIDELIUM, PRETIA PECCATORUM, ET PATRIMONIA PAUPERUM, (Divi Proſperi dictum eſt lib. 12. de vita contempl. c. 9.) *cuique non ſolum habita conſervare, verùm etiam multa Deo opitulante conferre optamus. Tamen ut ab Eccleſiaſticis de non dividendis rebus illius ſuſpicionem dudum conceptam penitùs amoveremus; ſtatuimus, ut neque noſtris, neque filiorum, & Deo diſpenſante ſucceſſorum noſtrorum temporibus, qui noſtram vel progenitorum voluntatem vel exemplum imitari voluerint, ullam penitùs diviſionem aut jacturam patiatur.* Patris exemplo ſtatutoque inhæſit filius Ludovicus Pius Cæſar, idemque D. Proſperi dicto, quod legis inſtar receptum erat in Eccleſia, iterum ſanxit in Concil. Aquiſgranenſi anno Imperii XXIII. ne vel Epiſcopi ipſi ſibi poteſtatem ſumant abalienandi avertendique in profanos uſus Eccleſiæ bona: uti hæc Can. VII. inter leges ejus Concilii tam ſanctè præſcribuntur. Et Caroli quidem legem ſuprà relatam cùm expenderet Baronius ad annum Chriſti DCCLXXXIX. exclamat: *Audiant hæc Principes, ſi Caroli ſummæ gloriæ ſummique imperii hìc æmuli, & æterni in cœlo regni ejus velint eſſe participes.*


Desenberga prope Warburgum
I G Rudolphi delin

DESENBERGA

PROPE WARBURGUM.

MEMORIÆ. SACRUM

DESENBERGA. GRAVES. QUÆ. FINIBUS. ARDUA. CATTOS
LÆTAQUE. WARBURGI. DESPICIT. ARVA. JUGO
PARUIT. IMPERIO. CAROLI. CUM. FRANCUS. ADEGIT
SAXONA. DEGENERI. VERTERE. TERGA. FUGA
VICTA. DEHINC. CESSIT. SUEVIS. HOSTILITER. ARMIS
HENRICUS. PATRIAS. CUM. LACERARET. OPES
NUNC. JACET. INDIGNA. LATE. COLLAPSA. RUINA
ARX. VETUS. ET. RERUM. GLORIA. SOLA. MANET
QUIS. NISI. MENTIS. INOPS. FACTIS. EXTENDERE. FAMAM
NEGLIGAT. IPSA. VIDET. SI. QUOQUE. SAXA. MORI

FERDINANDUS. DEI. ET
APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCO-
PUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR
MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS
COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BA-
RO. DE. FURSTENBERG

DESENBERGAM. ARCEM. IN. MONTE. COGNO-
MINE. OLIM. MUNITISSIMAM. QUAM. CAROLUS
M. PRÆSIDIO. FRANCORUM. FIRMAVIT. SAXO-
NES. AN. DCCLXXVI. FRUSTRA. OPPUGNARUNT
HENRICUS. IV. CÆSAR. AN. M.LXX. OCCUPAVIT
HODIE. VERO. EPISCOPI. ET. PRINCIPIS. PADER-
BORNENSIS. BENEFICIO. NOBILIS. SPIGELIO-
RUM. FAMILIA. POSSIDET. POSITO. HOC
MONUMENTO. EXORNAVIT

NOTÆ.

1. DESENBERGA.] Ægidius Gelenius in pretioſa hierotheca pag. 119. contra Ortelium multis agit, & vetuſtam Francici regni ſedem *Diſpargum*, (quod Gregorius Turonenſis lib. 2. hiſt. Franc. cap. 9. *Chlogioni nobiliſſimo Francorum regi habitatum, & in termino Thoringorum* ſitum fuiſſe tradidit, & Aimoinus *Disbargum*, Ado Viennenſ. *Dyſporum* nominant) *Deſenbergam* ad Dimolam, non autem *Duisburgum* prope Rhenum, ut Ortelius, Petavius in Ration. temp. part. 1. lib. 6. Iſaacus Pontanus lib. 2. Gelr. Teſchemacherus, aliique plures ſentiunt, eſſe affirmat. Huic Gelenii opinioni quantùm *Dasburgum*, proximus ad pedem *Deſenbergæ* vicus, & priſcæ Thuringiæ ſitus, *Deſenbergæ*, quàm *Duisburgo* propinquior favet; tantùm refragari videtur Aimoinus l. 1. de geſt. Francorum cap. 4. *Finitimos itaque* (Franci) *bello laceſſendo Thoringorum, qui Germaniæ incolunt fines, depopulantes, caſtellum quoddam Disbargum nomine occupant, in quo rex Clodio ſedem ſui conſtituit regni.* Et cap. 5. *Rex autem Clodio, anguſtos regni ſui fines dilatare cupiens, exploratores à Disbargo trans Rhenum dirigit: & ipſe cum exercitu ſubſecutus, Cameracum civitatem obſidens expugnavit & cepit. Carbonariam ſilvam ingreſſus Tornacum urbem obtinuit.* Ita ille. Si igitur *Diſpargum eſt in termino Thoringorum, & Thoringi Germaniæ fines incolunt*, hos certiùs *Duisburgi* prope Rhenum, quam *Deſenbergæ* ad Dimolam inquiras. Imo veriſimilius eſt Clodionem Francorum regem, *Duisburgo* Rheno proximo, quàm *Deſenbergâ*, in Belgicam ſecundam, ad obſidendum Cameracum, & Tornacum expugnandum tranſportaſſe exercitum. Quamvis autem vetuſtiſſimam Gregorii Turonenſis lectionem *Tungros* pro *Toringis* habere teſtetur in ſua editione Morelius, & Iſac. Pont. lib. 4. orig. Franc. cap. 12. ita legi debere in Turonenſi, & reliquis omnibus chronologis, ut Sigeberto & aliis, qui eum ſecuti, contendat: non ideo tamen nobis placet Godefridi Wendelini Eccleſiæ Tornacenſis Cano-

Canonici & Officialis, in eruditis ad legem Salicam commentariis pag. 99. ſententia, qui ſecundùm Godefridum Henſchenium è Societ. Jeſu doctiſſimum virum & nobis amicum, in Diatriba ſua de tribus Dagobertis, lib. 4. cap. 8. pag. 246. *Dieſthemium*, Brabantiæ oppidum, *Diſpargum* eſſe autumat; nec Broweri in Antiq. Fuldenſ. lib. 1. c. 2. *Dictesburgum* in ſaltu Buchonio; nec aliorum *Heinsbergam* in Julia, eò quòd in Fredegario Scholaſt. pro Diſpargo *Hesbargum* legunt, Diſpargum interpretantium opiniones arrident. Quo enim modo Rex Clodio exploratores à *Disbargo*, ſi illud eſt *Dieſthemium* Wendelini, ſi *Heinsberga* Juliæ, *trans Rhenum dirigere*, & illis reverſis Rhenum trajicere potuit, ut in Belgica ſecunda Romanos opprimeret, & Cameraco & Tornaco potiretur?

2. GRAVES QUÆ FINIBUS.] Sicut antiqui *Saxones Cattis* ſive *Haſſis*, limitaneo populo, maximè infeſti, à *Luppia* & *Paderæ* tractu imminebant, odio religionis Chriſtianæ, quâ à S. Bonifacio Haſſones cum Thuringis fuerant imbuti, & imperii Francici metu, quod Haſſi acceperant, Saxones detrectabant. Chriſtoph. Brow. in Scholiis ad Poëm. HRaban. Mauri cap. 118. pag. 141. & Annales rerum Franc. ad An. 774. *Dum hæc in Italia geruntur, Saxones velut opportunam de abſentia Regis nacti occaſionem, contiguos ſibi Haſſorum terminos ferro & igne populantur. Cùmque in eo loco, qui nunc Frideſlar ab incolis nominatur, baſilicam à beato Bonifacio Martyre dedicatam, incendere molirentur, atque hoc efficere caſſo labore conarentur, immiſſo ſibi divinitus pavore ſubitaneo, turpi trepidatione confuſi domum fugiendo revertuntur.* Ita inſecutis temporibus Haſſi Paderbornenſibus, qui ſunt antiqui Saxones, parem gratiam retulerunt, præſertim anno 1465. avulſo ingenti ad Dimolam ditionis Paderbornenſis tractu, & Abbatiâ Helmershuſanâ perquàm inſigni ſibi vendicatâ. Dilichius in Chron. Haſſiæ. Recentiora belli incommoda hìc ſileantur, quorum ubique exſtant veſtigia, & pax publica Germaniæ ſanxit oblivionem.

3. CATTOS.] *Suevorum gentem longè maximam, & bellicoſiſſimam Germanorum omnium*, C. Julii Cæſaris commentariis ma-

gnopere celebratam, eandem cum *Chattis* eſſe, pluribus nos argumentis docet Cluver. lib. 3. German. antiquæ cap. 5. qui eorum etiam fines determinat, & *Cattis dimidiam Epiſcopatûs Paderbornenſis partem Viſurgi adfixam* aſſignat. Militarem eorum virtutem, mores, ac diſciplinam Tac. lib. de morib. German. ſatis diſertè deſcripſit his verbis: *Duriora genti corpora, ſtricti artus, minax vultus, & major animi vigor. Multum, ut inter Germanos, rationis, ac ſolertiæ: præponere electos, audire præpoſitos, noſſe ordines, intelligere occaſiones, differre impetus, diſponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare: quodque rariſſimum, nec niſi ratione diſciplinæ conceſſum; plus reponere in duce, quàm in exercitu. Omne robur in pedite, quem ſuper arma, ferramentis quoque & copiis coonerant. Alios ad prælium ire videas; Cattos ad bellum. rari excurſus & fortuita pugna. Et aliis Germanorum populis uſurpatum, rara & privata cujuſque audentia apud Cattos in conſenſum vertit, ut primum adoleverint, crinem barbamque ſubmittere, nec niſi hoſte cæſo, exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum. Super ſanguinem & ſpolia revelant frontem, ſeque tum demum pretium naſcendi retuliſſe, dignoſque patriâ ac parentibus ferunt. Ignavis & imbellibus manet ſqualor. Fortiſſimus quiſque ferreum inſuper annulum (ignominioſum id genti) velut vinculum geſtat, donec ſe cæde hoſtis abſolvat. Plurimis Cattorum hic placet habitus. Jamque canent inſignes, & hoſtibus ſimul ſuiſque monſtrati. omnium penes hos initia pugnarum: hæc prima ſemper acies, viſu nova. Nam ne in pace quidem vultu mitiore manſueſcunt.* Chattorum item meminêre præter Tacit. in Annal. & de morib. German. Dio, Strabo, Plinius, Ptolemæus; & *Cattimelibocum* ab iis denominatum putat Iſac. Pont. lib. 1. origin. Franc. cap. 9. Porrò autem vetus Chattorum nomen retinere nunc Haſſos haud dubitandum ait Cluver. l. c. & rationem commutati nominis affert. Haſſi autem Widekindo ſunt *Haſſigani*, Aimoino *Aſſi*, Saxonum contermini, Adamo Bremenſi *Haſones*. nunc *Heſſos* appellamus. Reinerus Reineccius in notis ad Poëtam Anonym. lib. 1. pag. 9.

4. LÆTAQUE WARBURGI.] Warburgum duplex oppidum Dimolæ fluvio appoſitum, quaſi *Variburgum* à Varo dictum

ctum opinatur Serarius lib. 3. rerum Mogunt. not. 29. ad vitam S. Bonifacii. Veriorem nominis originem indicat adjunctum Dodiconis Comitis diploma, in quo Meinwerco Epiſcopo Paderbornenſi donatum, *Wartberhgi*, id eſt, *Montis ſpecula*, appellatur.

IN *nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Dodico Comes peccaminum ſuorum atque humanæ fragilitatis memor ac divinâ ammonitione conpunctus pro remedio & commemoratione animæ ſuæ ad altare. & ad ſervitium S. Dei genitricis Mariæ & S. Kiliani Martyris & S. Liborii Confeſſoris cum conſenſu matris ſuæ videlicet Hildigundæ hæredis ſuæ primitivæ. fratriſque ſui Sigobodonis aſſenſu & aſtipulatione ſuum prædium tradidit in proprium in his locis quorum nomina hic ſubſequuntur.* WARTBERHGI. *Rainleſeſſun. Erungun. Radi. Radi in ſuperiori Wurmlahun. Rohthem. Garametti. Rodwardeshuſun. Illandehuſun. Silihem. cum agris cultis & incultis. ſilvis. aquis aquarumque diſcurſibus. pratis. paſcuis. nec non cum utriuſque ſexûs mancipiis. & cum omnibus ad hæc loca pertinentibus appendiciis. videlicet octo molendinis ceteriſque quæ adhuc nominari queunt vel nequeunt. & tamen in eis ſunt vel fieri poſſunt utilitatibus. exceptis Miniſterialibus ejus hominibus Eilbehrt. Randwigh. Acilin. Gela. Doda. Hoikalſi. Ainza. Tamma. Hibuke. Hizule. ceteriſque mulieribus jam ad gynacéum ejus aſſumptis. non ulterius aſſumendis. Eâ ratione atque pactione interpoſitâ. ut dum Deo jubente Monoſterium Paterbrunnenſe maneret incolume. pro eodem Dodicone Sacerdoti atque Diacono & Subdiacono cotidie pubblicam Miſſam celebrantibus ſtipendialis refocillatio. quæ convenit uni ejuſdem Eccleſiæ fratri conſtipendiali dari. daretur. Sin autem ab Epiſcopo vel Præpoſito pubblica Miſſa celebraretur. eadem ejus ſtipendialis refocillatio pro animæ ejus remedio inter duodecim egenos divideretur. Cùm verò idem Comes Dodico divinâ ſic diſponente providentiâ hujus vitæ terminum tranſiret. in omnigena re commemorationem quam pro ejuſdem Monoſterii Epiſcopo agere conſuetudo eſt. pro eodem Comite Dodicone celebrari debere. Videlicet in Miſſarum & Pſalmorum celebrationibus. luminorumque incendiis. eulogiarumque donationibus. centenorumque pauperum refocillationibus. & in omnibus quæ in Epiſcopi ejuſdem loci annuali depoſitionis die convenit facere. Hâc traditione & pactione peractâ*

ante

ante altare S. Dei Genitricis Mariæ Dominus Epiſcopus Mainwercus cum ſuo Advocato Amulungo pro eodem prædio in precariam eidem Dodiconi præſtitit. Quicquid in DESBURG. *Aſtnederi. Weſtnederi. Dalpanhuſun. Dueriun. Uſlahun. Rasbiki. Silihem. Wepplithi. ad Eccleſiam Paterbrunnenſem proprietatis pertinebat. atque eandem traditionem quam idem Comes Dodico ad altare S. Mariæ tradidit. ut utrumque dum ipſe viveret traditionis atque precariæ uſufructus uteretur. Illo autem mortem obeunte in integrum precaria & traditio ad ſupradictam Paterbrunnenſem Eccleſiam reſtitueretur. ſimiliter exceptis tribus miniſterialibus viris. Tiazone. Bennone. Mainzone ac duabus familiis in Wepplithi habitantibus & ad Heriſtelli pertinentibus. quas ei in precariam non concesſit. Hæc autem traditio tali tenore atque interdictione facta eſt. ut ſi iſdem Epiſcopus vel aliquis ejus ſucceſſor de precaria vel pactione eodem Dodicone vivente infringere voluerit. iſdem Dodico ſupradictum prædium recipiendi licentiam habeat. Hujus rei teſtes ſunt. Sibodo. Immed. Siberht. Thiatmar. Bernhard. Amulung. Bernhard. Erp. Ailbrat. Volcpold. Kono. Rodward. Haika. Hager. Wored. Helmvurc. Alfric. Mainheri. Ratheri. Wiking. Adalbarc. Imuka. Aſman. Folcmar. Hiddi. Becilin. Wal. Wither. Aisſa. Bunald. Thiadmar. Hiriman. Frithuric. Rainhald. Hiriman. Redald. Hildiward. Aſdag. Acca. Bacca. Unaca. Aica. Iſic. Redig. Imuca. Mainbald. Duda. Tamma. Thiadmar. Iſger. Bardered. Mainwerc. Hiriman. Ova. Hamaca. Heilward. Frithuric. Godeſſcalc. Vulvered. Waldhard.*

Hanc Dodiconis Comitis piam munificentiam S. Heinricus Imperator hoc ſuo diplomate auxit & confirmavit.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Heinricus divina gratia Romanorum Imperator Auguſtus. Divinæ pietatis clementia quæ nos ad culmen imperatoriæ majeſtatis perduxit. ad hoc voluit imperare. ut Eccleſiarum ordini firmando atque corroborando ſubveniamus. his autem maxime locis quæ ab anteceſſoribus noſtris Regibus & Imperatoribus fundata. ſed jam peccatis exigentibus pænè videbantur annullata. Quapropter omnium fidelium noſtrorum præſentium ſcilicet ac futurorum induſtriæ notum eſſe volumus. qualiter nos divini amoris inſtinctu pro remedio animæ noſtræ ſeu parentum noſtrorum. nec non & tertii Ottonis bonæ memoriæ Imperatoris dilectæque conjugis noſtræ Chunigundæ Augu-*

Auguſtæ interventu. atque Meinwerc S. Paderburnenſis Eccleſiæ venerabilis Epiſcopi rogatu. ſibi ſanctæque ſuæ Eccleſiæ à Karolo M. Imperatore olim fundatæ. noſtris verò temporibus incendium paſſæ in honore S. Dei genitricis Mariæ ſemper virginis. & S. Kiliani martyris Liboriique Confeſſoris dedicatæ. Comitatum quem Dodico Comes dum vixit tenuit. ſitum videlicet in locis Heſſiga. Netga, Nihterga cum omni legalitate in proprium concedimus atque largimur per hanc noſtram imperialem paginam eo videlicet tenore rationis. ut præfatus Epiſcopus Meinwerc ſuique ſucceſſores præſcriptæ Eccleſiæ præſidentes. dehinc liberam habeant poteſtatem de eodem Comitatu ejuſque utilitatibus quicquid eis placuerit faciendi ad eorum tamen utilitatem Eccleſiæ. Omni videlicet inquietudine remota. Et ut hæc noſtræ traditionis ſeu confirmationis auctoritas ſtabilis & inconvulſa omni habeatur tempore. hoc præceptum inde conſcriptum manu propria firmavimus & noſtro ſigillo repercuſſo inſigniri juſſimus.

Signum Domni HEINRICI *victorioſiſſimi Imperatoris Auguſti.*

Ganterius Cancellarius ad vicem Hercumbaldi Maguntini Archiepiſcopi & Archicapellani recognovit.

Data XIIII. *Kal. Mart. Indictione* IIII. *Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo viceſimo primo. Anno vero Domni Heinrici ſecundi regnantis* XVIIII. *imperii autem* VIII. *actum Padebrun. feliciter. Amen.*

Quemadmodum autem Dodiconis Comitis traditionem, Bernardus ejus propinquus *ſæculari judicio*, ut loquitur ſcriptor vitæ B. Meinwerci, *infirmare attentavit, & demum in præſentia S. Heinrici Imp. Aribonis Moguntini Archiepiſcopi, & aliorum multorum, omni querelâ poſtpoſitâ, plenariâ reconciliatione placatus ceſſavit*; ita poſteà S. Henrico Imp. defuncto, Aribo Archiepiſcopus Mogunt. Comitatum Dodiconis jam antè Eccleſiæ Paderbornenſi donatum à Conrado novo Rege, & juris Paderbornenſis ignaro, per obreptionem impetravit. nec tamen diu illo eſt fruitus: ſiquidem Conradus jus Eccleſiæ Paderborn. edoctus, ipſam in integrum reſtituit hoc diplomate.

IN *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* CHUONRADUS *divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Notum ſit omnibus Chriſti noſtriſque fidelibus præſentibus ac futuris. qualiter ante-*

ceſſor noſter beatæ memoriæ Heinricus Imperator. cujus ſemper animus in Dei Eccleſiis meliorandis & amplificandis invigilavit. Paderbrunnenſis paupertatem miſeratus Eccleſiæ. multa ei bona tam in prædiis. quàm in aliis facultatibus larga manu pro Dei amore dilectique ſibi Præſulis Meginwerci aſſiduo & devotiſſimo obſequio contulit. Inter quæ etiam Comitatum Dodiconis quondam Comitis eidem Eccleſiæ imperiali munificentia legitime donavit. tradidit. delegavit. Illo autem anteceſſore noſtro defuncto nos qui loco illius in regnum ſucceſſimus. per ſuggeſtionem Magontini Præſulis eundem Comitatum à præfata Eccleſia tulimus & in jus Magontinæ Eccleſiæ rudes adhuc in regno injuſto perſuaſi conſilio irrationabiliter tranſtulimus & tranſmutavimus. Imperiali autem noſtra poteſtate Dei gratia magis magiſque in regno confirmata & corroborata. Meginwercus Præſul Imperatorum devotiſſimus ſervitor & amator. Marthæ ſedulis ſatagens obſequiis non ceſſavit nec quievit ſupplicando ſerviendo. quoaduſque nos omnipotentis Dei in cujus manu corda ſunt Regum commoniti inſtinctu. dilectæque Conjugis noſtræ Giſelæ. nec non Heinrici filii noſtri magnifici Regis interventu. Eccleſiæ ſuæ ſcilicet Paderbrunnenſi. totum Bernardi Comitis quondam Comitatum. qui ſitus eſt in locis Heſſe. Nitergo. Netgo. Bothereſge. legitima traditione reddidimus. reſtituimus. redonavimus. præcaventes autem nos & præcogitantes ne aliqua poſtmodum inter ipſas Eccleſias de hac re controverſia fieret & diſcordia. Maguntinæ Eccleſiæ Comitatum qui ſitus eſt in Cluvinga propter pacis confirmationem imperiali noſtro jure conceſſimus. & hoc noſtra parte ita eſt compactum ſicque definitum. ut neutra Eccleſiarum illarum aliquod de prædictis rebus ſibi inquiſitis aliquo modo patiatur detrimentum. Si quis autem diabolica ſuaſione ſeductus. hanc noſtram traditionem in aliquo infringeret. ſciat ſe odium Dei Sanctorumque ejus habiturum. & M. libras auri puri compoſiturum. medietatem Cameræ noſtræ & medietatem prædictæ Paderbrunnenſis Eccleſiæ Rectori. Quod ut verius credatur & diligentiſſime ab omnibus in perpetuum ſervetur. præceptum hoc inde conſcriptum manu propria ſubtus firmavimus. & ſigillo noſtro inſigniri juſſimus.

Signum Domni CHUONRADI *Romanor. Imperatoris invictiſſimi.*

Burchardus Cancellarius ad vicem Bardonis Archicapellani recognovit.

Data

Data IIII. *Non. Aug. Indict. prima. Anno autem Dominicæ Incarnationis* M. XXXIII. *Anno autem Domni Chuonradi Secundi regnantis* VIIII. *imperantis* VII. *Actum Lintburg feliciter. Amen.*

Ex eo tempore *Warburgum* in fide ac ditione Eccleſiæ Paderbornenſis perpetuò manſit: Qua de cauſa Simon Epiſcopus Paderbornenſis, cives novi oppidi hoc diplomate impertivit.

SIMON *Dei gratia Paderbornenſis Epiſcopus univerſis præſentia viſuris in perpetuum ſalutem in eo qui eſt omnium vera ſalus. Ut factarum rerum memoria perpetuo perſeveret. expedit actus noſtros temporales per ſcripturas authenticas æternari. Hinc eſt quod nos novum oppidum in* WARTBERGH. *per quod Eccleſia noſtra Paderbornenſis in omnibus ſuis neceſſitatibus eſt ſuffulta. cupientes in omnibus ſpecialiter promovere. Conſulibus & univerſitati ejuſdem oppidi. Capituli noſtri Paderbornenſis. Miniſterialium & univerſitatis ejuſdem Eccleſiæ noſtræ communi accedente conniventia & conſenſu. ex dilectione & gratia ſpeciali duximus indulgendum. ut oppidum ſuum muro neceſſario inter ſe & oppidi vicinum & ſibi contiguum & munitionibus circumquaque neceſſariis muniant & circumdent. Et ut hæc noſtra ordinatio & gratia ſibi facta à nobis & noſtris ſucceſſoribus & ab Eccleſia noſtra perpetualiter firma & inviolabilis obſervetur. præſens ſcriptum noſtro ſigillo. & Eccleſiæ noſtræ Paderbornenſis. Hermanni Nobilis de Oeſede nomine omnium Caſtellanorum in* WARTBERGH. *Bertoldi. Werneri & Hermanni Dominorum de Brakelo. Civitatis Paderbornenſis & oppidanorum in* WARTBERGH *ſigillorum munimine juſſimus & fecimus roborari. coram teſtibus ſubnotatis. Gerhardo Præpoſito Bremenſi & Widekindo de Oeſede Canonico Patherbornenſi. Adolpho Comite de Waldeck. Hermanno de Oeſede. Hermanno de Holthuſen. Nobilibus. Bertoldo & Wernero de Brakelo. Conrado de Ettelen. Conrado de Reckelinghuſen. Henrico dicto Pankoken & Helia nato ejus. Theodorico de Mederike. Johanne de Oſſerhuſen. & Caſtellanis noſtris Friderico de Iſtorp. Conrado & Alberto fratribus de Welde. Gotſcalco de Welde. Conrado & Volperto fratribus de Eyſen. Denhardo de Noerde. Gerhardo & Gotſcalco fratribus de Dinckelenbergh. Conrado Gerhardo & Helmico fratribus & Scultetis. Johanne de Nedere. Ludolfo de Humbranen Militibus. Hermanno Marſcalco. Joanne de Vellede. Bertramo & Frederico*

Theodorico & Theodorico de Noerde. Berhardo & Helmico fratribus Schulteti nati, Conrado Luſcho & Conrado de Ettelen. Famulis. Conrado de Sindeſſen. Regene Budone condicto Baſſen. Henrico de Hoegeden. Johanne de Oiſten. Erneſto & Henrico de Grimmelſen Militibus. Adolpho de Binelſdorp. Gerhardo Alexandro & Conrado de Nedere. Johanne & Alberto fratribus de Nedere. Amelungo & Gotſcalco fratribus de Nedere. Volperto de Rosbecke. Conrado de Oſſendorp. Frederico de Dasbergh. Joanne de Haveden. & ſororio ejus Hermanno Ruffo. Henrico. & Conrado fratribus de Rotworſen famulis. & civibus prædicti oppidi. Proconſulibus Alberto & Siſfrido. Monetariis & Conſulibus pro tempore Hermanno de Dalhem. Conrado de Wickelen. Wernero Schulteto. Conrado dicto Radt. Hermanno de Amelunxen. Conrado de Papenheim. Johanne de Natzung. Conrado Bruwardi nato. Henrico Sartore. Alberto dicto Lethe. Arnoldo de Helmerdeshuſen. Eckardo Ernberti nato. Hermanno de Heindeſſen. & univerſitate oppidorum in WARTBERGH *cum aliis quampluribus. Nos enim omnes ſupraſcripti. vel Miniſteriales Vaſalli & univerſitas Eccleſiæ Patherbornenſis. qui ſigilla noſtra non appoſuimus. vel ſigilla propria non habemus. ſigillis appenſis contenti ſumus. & omnia ſupradicta dicimus ita eſſe vera. Actum & datum* WARTBERGH. *Anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo. in Kalend. Junii. Pontificatus noſtri anno quarto.*

5. PARUIT IMPERIO CAROLI.] Ita Regino lib. 2. Chron. ad An. 776. *Ex prædicto igitur loco* (Eresburgo) *cum tanta confuſione diſcedentes* (Saxones) *venerunt ad aliud caſtrum, quod appellatur Deſuburgh, ubi voluerunt ſimiliter facere, ſed Deo auxiliante, Franciſque eis viriliter repugnantibus, nihil prævaluerunt. Oppidani vero perſecuti ſunt eos uſque ad flumen, quod Lippa dicitur, & multos ex eis interfecerunt.* Hactenus ille. Deſuburgh verò idem eſſe quod Deſenberg, oſtendit Fabricius lib. 2. orig. Saxonicarum. *Saxones jugi Francici impatientes & fœderis immemores, ducum ſuorum levitate, ipſo abſente* (Carolo M.) *rurſus tumultuantur, arcem Heresburgum obſident, & Francis aſtutè deditionem conantur perſuadere, propoſitâ incolumitate & præmiis; ſuſpectam habentes Franci Saxonum fidem, id facere detrectant, nec viribus de præſidio dejici poſſunt, &c. Tentantes deinceps* (Saxones) *caſtrum Deſenburgum in*

in monte altiſſimo ſitum, & Haſſiæ finitimum, nihilo feliciùs id oppugnant: Nam erumpentes Franci è præſidio, eos ad fluvium uſque Luppiam inſequuntur; nec paucos intercipiunt & obtruncant. Et lib. 4. *Idem cùm tentarent ad arcem Diſemburgiam, etiam cum dedecore & clade ſuorum rejecti, & fugati uſque ad Lippam fluvium ſunt.* Quæ hîc Regino de noſtra *Deſenberga* recenſet, alii de Siburgi obſidione, quæ omnium Franc. hiſt. ſcriptorum calculo in hunc eundem annum incidit, intelligenda exiſtimant. Quaſi verò in Saxonia non fuerint tunc plures munitiones, ſeu *firmitates*, ut loquuntur Annal. Caniſii, quas aut Franci præſidiis occupatas tenuerint, aut Saxones recuperare ſtuduerint. Enimverò *Deſenberga*, campis undique patentibus, in arduo cognominis montis jugo poſita, inexpugnabilis munimenti ſitum, ad tuendos Haſſiæ fines maximè opportunum, nec ulli Saxoniæ propugnaculo ſecundum, repræſentat.

6. VICTA DEHINC CESSIT.] Quod, Ægidii Gelenii judicio l. c. de hac noſtra *Deſenberga* locutus, Lambertus Schaffnaburgenſis memoriæ prodidit, his verbis ad An. 1070. *Deinceps Rex* (Henricus IV.) *collecto exercitu egreſſus, extremam operi manum per ſe ipſum impoſuit. Principes, quos ei* (Ottoni) *conſanguinitate vel aliâ neceſſitudine obnoxios noverat, aut acceptis præſidibus, aut jurejurando, ne ad eum deficerent, obligavit: caſtellum Hanenſtein, à quo ad primum ſtatim belli terrorem præſidium abductum fuerat, funditus everti juſſit; alii caſtello, quod* DESENBERG *dicitur, exercitum jam admoverant, ſed hi qui intus erant, etſi loci ſitu inexpugnabiles eſſent, & copiis omnibus, quæ adminiſtrando bello neceſſariæ erant, affatim affluerent, ultimo tamen ſe dedere, quàm ancipitem belli fortunam tentare maluerunt.*

7. NUNC JACET INDIGNA.] Quæ vaſtatio ſub annum 1203. contigiſſe videtur; cùm enim *penè primo Pontificatûs anno*, Bernardo III. Epiſcopo Paderbornenſi cum Widekindo de Deſenberg Abbate Corbeienſi, gravis interceſſiſſet controverſia, *ſuper caſtro Deſenberg, & ſuper quibuſdam damnis, quæ ſe Widekindus à Bernardo Epiſcopo, & maximè ab illius Prædeceſſore ſuſtinuiſſe dicebat*; per arbitros utrimque lectos reconciliati ambo conſensêre,

 ut

ut caſtrum Deſenberg pari labore & paribus expenſis deſtrueretur, & ut de cetero mons ille nulli hominum conferretur, neque odii neque dilectionis intuitu, qui præſidium vel aliquam munitionem in eo exſtrueret, ſed terra fieret arabilis, &c. Teſtes hujus rei, Lambertus Præpoſitus, Tidericus Decanus, Henricus Præpoſitus S. Petri, Tidericus Scholaſticus, Conradus Cuſtos, Johannes Cellerarius, Vulframmus, Hermannus novæ Eccleſiæ Præpoſitus, Hermannus, Tetmarus, Cratto, Eberhardus, Volcquinus, Conradus, Hermannus, Volcbertus, Frethericus, Adolfus, Laici: Bernhardus Bercule, Hermannus de Scardenberch, Bernhardus de Northe, Hermannus Comes de Wartberch, Heinricus Dapifer de Parborne, Hermannus Pincerna, Gerhardus Schultetz: & iidem hi fuerunt arbitri Domini Epiſcopi de prædicta ordinatione. Fuerunt autem hi arbitri Domini Abbatis: Bodo de Hoenborch, Hermannus Bercule, Conradus de Amelungeſſen, Raveno de Ortberche, Ludolfus dictus Burgravius, Arnoldus de porta, Heinricus de Lutmerſen. Ex literis antiquis An. Incarnat. Domini MCCIII. Indict. VI. Pontificatûs Bernardi III. Epiſcopi anno tertio, datis. Hanc tamen eandem *Deſenbergam* aut non planè dirutam fuiſſe, aut è ruinis reſuſcitatam, colligi videtur ex antiquis literis An. 1393. die B. Matthiæ Apoſt. datis, quibus Henricus Spiegel, Ruperto Epiſcopo Paderb. ejuſque ſucceſſoribus ac diœceſi cavet: *quòd nec ipſe, nec ullus ratione ipſius, ex parte ſuæ arcis Deſenbergenſis damnum illis inferre debeat.* Diſſidio deinde inter ipſos Spiegelios de *Deſenberga* orto, Simon Epiſcopus Paderb. An. 1472. die Jovis poſt Dominicam Cantate, litem decidit, *pacem Burgenſem* ſanxit, & certum ejus colendæ modum præſcripſit: reſervato ſibi ſuiſque ſucceſſoribus beneficii, aperti caſtri, & territorii jure. Hanc pacificationem confirmavit Ericus Epiſcopus Paderb. An. 1524. feſto die S. Andreæ Apoſtoli. Ex quibus apparet *Deſenbergam*, eâ tempeſtate Spiegelios adhuc incoluiſſe: quam tamen Henrici Saxonis Epiſcopi Paderb. literæ eadem de re datæ, An. 1581. 17. Nov. deſertam corruiſſe arguunt, in quibus Art. 8. Henricus decernit & mandat Spiegeliis: *ut cùm in monte & arce Deſenbergenſi, tanquam primariâ feudi parte, omnis juriſdictio Deſenbergenſis dominii ſit fundata, & inde originem ducat, ne ipſum caſtrum funditus*

ditus collabi ſinant, ſed ſuperiorem ejus aream bene concluſam, per janitorem cuſtodiant, atque ipſam turrim inſtaurent, ac ſartam tectam conſervent.

8. IPSA VIDET SI QUOQUE SAXA MORI.] *Hem nos homunculi indignamur, ſi quis noſtrûm interiit aut occiſus eſt: quum, uno loco, tot oppidorum cadavera projecta jaceant.* Sulpit. ad Cicer. epiſt. famil. lib. 4. epiſt. 5. In eundem ſenſum Rutilius in itinerario de Populonia everſa:

Non indignemur mortalia corpora ſolvi,
Cernimus exemplis oppida poſſe mori.

In quæ mortalium oblivionum fata ne incurrerent res apud nos præclarè geſtæ, dignæque omnis poſteritatis memoriâ: Nos per hæc adornata Monumenta tam ſollicitè ſingulis conſultum voluimus: quemadmodum id Varro lib. 5. de lingua Latina ſapienter olim ſuaſit. *Monêre*, inquit ille, *à memoriâ dictum, quòd is qui monet, perinde ſit ac memoria. Sic Monumenta, quæ in ſepulchris, & ideò ſecundùm viam, quo prætereuntes admoneant, & ſe fuiſſe, & illos eſſe mortales.* Sed cùm & ipſos lapides, qui memoriæ conſervandæ ponuntur, ſubverti, & ex oculis hominum tolli videamus; eò literarum monumenta reperta ſunt, quæ ipſis ſaxis multò fideliùs & conſtantiùs ætatem memoriamque ad poſteros ferunt. Quam in partem & noſtras has operas venire cupimus, illo cumprimis Salluſtii, de bello Jugurthino, monito invitati. *Ingenii præclara facinora, ſicut anima, immortalia ſunt.*

PA-

PADERÆ FONTES.

MEMORIÆ. SACRUM

HIC. UBI. FONS. PADERÆ. MEDIA. SURGENTIS. IN. URBE
DUCO. VETUS. MAGNI. NOMEN. AB. AMNE. PADI
MARTE. DIU. ANCIPITI. CAROLUS. CERTARE. COACTUS
DELEGIT. CASTRIS. CONCILIISQUE. LOCUM
JUSSIT. ET. HIS. UNDIS. LUSTRATAM. SUBDERE. GENTEM
SAXONICAM. VERO. COLLA. SUPERBA. DEO
HIC. LEO. ROMANA. DEDUCTUS. AB. URBE. SACELLUM
SACRAVIT. PRIMUM. RELLIGIONIS. OPUS
HIC. SEDES. LONGO. FUIT. ORDINE. DEINDE. SECUTIS
TERRARUM. DOMINIS. INCLYTA. CÆSARIBUS
VIRGINIS. HIC. CONJUX. VIRGO. CUNIGUNDA. MARITI
ACCEPIT. MERITIS. REGIA. SERTA. COMIS
VASTUM. ALIUS. SUBEAT. SEPTENA. PER. OSTIA. PONTUM
NOBILIUS. NULLUS. ME. CAPUT. AMNIS. HABET

FERDINANDUS. DEI. ET
APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCO-
PUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR
MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS
COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BA-
RO. DE. FURSTENBERG

AD. FONTES. PADERÆ. CASTRIS. COMITIIS. ET
FREQUENTI. IMPERATORUM. REGUMQUE. GER-
MANIÆ. ET. FRANCIÆ. HOSPITIO. AC. REGIA
S. CUNIGUNDÆ. CORONATIONE. CELEBRATOS
M. H. P

NO-



1. Ecclesia Cathedralis B. M. V. 2. Collegium Societatis Ieſu.
3. Abdinghoff. Monaſterium ord S. Benedicti.
4. Collegiata S S Petri et Andreæ, dicta in Buſtorff.
5. Gaukirch Eccleſ. Parochial et Monaſterium Monialium ord. S. Benedicti
6. Marckkirch Eccleſ Parochial S Pancratii.
7. Novum Templum P P. Franciſcanor. Obſervant.
8. Templum Capucineſſarum. 9. Rimekes port.
10. Porta occidentalis. 11. Heiers thor.

NOTÆ.

1. HIC UBI FONS PADERÆ.] *Padera*, in carmine apud Caniſium de Leonis III. ad Carolum adventu, *Patra* vocatur:

Eſt locus inſignis, quo PATRA *& Lippa fluentant,*
Altus & in nudo campo jacet, undique largo
Veſtitus ſpatio: celſo de colle videri
Namque poteſt legio omnis, & hinc exercitus omnis,
Caſtra Ducum & Comitum, radiantiaque arma virorum.

In vita S. Adalhardi, per S. Paſchaſium Ratbertum, apud Bollandum 2. Januar. cap. 16. num. 66. *Pater* appellatur. ita enim deſcribitur Corbeiæ Saxonicæ ſitus: *Eſt autem locus pergentibus ad ortum ſolis de fonte* PATRIS, *ſitus ſupra littus Wiſiræ, &c.* Franciſcus Irenicus lib. 12. Germaniæ Exegeſeos *Padam*, alii *Padum*, *Padram*, *Pather*, nuncupant. *Pader* Gobelinus Perſona, & communis loquendi uſus retinet.

2. MEDIA SURGENTIS IN URBE.] Nomen hujus Urbis, pro cujuſque ſcriptoris dialecto, variis modis enuntiatur. In Adone Viennenſi, *Paterbrurna* & *Padrabrunne*; in Annal. Caniſii, *Paderbrunnen*, *Padenbrun* & *Padesbrunen*; *Patresbruna* & *Patresbrunnas* appellatur in Joannis Tilii Annalibus minoribus; in auctioribus, *Patresbrunna* & *Patresbrunno*; in fragmento Annalium Alex. Petavii, *Padresbrunnon* & *Padresburnon*; in Annalibus Loiſelii, *Paderbrunnen* (uti & in aliis quibuſdam) & *Padabrunno*; in vita Caroli M. per incertum, *Paderburnen* & *Paderburnum*; in ejuſdem vita per Monachum Engoliſmenſem, *Paderbrunnem* & *Padabruno*; in Poëta Saxone, *Pathalbrunnon* & *Paderbrunnon*; apud Eginhardum, *Padabruna*; in vita Ludovici Pii, *Patrisbruna*; in hiſtoria conſtructionis novæ Corbeiæ, *Patherbruna*; in Annal. Fulden. *Padrabrunno* & *Padrabprunno*; in hiſt. tranſlationis S. Viti, *Patherbronna*. Vid. Bollandi notas in vitam S. Liborii, cap. 1. 11. quæ horum fontium ſic meminit:

Accedit ad ornamentum loci, (Paderbornæ) *ſaluberrimorum fontium intra ipſum oppidum in unum pariter alveum confluentium, incomparabilis tam ſpecies, quàm numeroſitas; in tantum, ut eorum latitudini & amœnitati ſimiles eſſe alibi minimè compertum habeamus.*

3. DUCO VETUS MAGNI NOMEN AB AMNE PADI.] Vocis originem fonteſque præ cæteris explicatè nobis deſcripſit Gobelinus in Coſmod. recito verba illius: *Sciendum quod hic locus nomen trahit à fluvio ibi ſurgente, qui Pader dicitur, quem Carolus loci amœnitate delectatus, vel fortè Saxones, qui olim de Italia, quam cum Longobardis invaſerunt, reverſi fuerant, de quibus ſuprà dictum eſt, à Pado fluvio Italiæ nominarunt: & indè fortaſſis eſt, quòd in literis Apoſtolicis ſcribitur Padeburnenſis. Relatione quippe ſeniorum traditum eſſe dicitur, quod Carolus huic loco nomen indiderit: hic etenim fluvius, (quemadmodum Padus maximus fluvius Italiæ ex tribus fontibus ſibi invicem propè ſurgentibus, ad pedes Alpium in unum alveum concurrentibus oritur) in pede montis ex tribus fontibus, quaſi profundis ex abyſſis, ſcaturiens, multis rivulorum decurſibus, ab eodem monte concurrentibus, inter unius alvei ripas, intra mœnia civitatis excipitur. Et horum trium fontium quilibet Pader appellatur, tamen cum ſua determinatione. Et fons versùs occidentem extremus, prout à quodam piſcatore hoc mihi referente, intellexi, à ſuperficie effluentis aquæ uſque ad fundamentum ejus, centum minus duobus pedibus altitudinis eſt: quemadmodum validè ſe menſuraſſe idem piſcator fatebatur. Et hi tres fontes tantam profundentes aquarum abundantiam cum rivulis ſuis flumen generant, cui in tota Europa, quantum ad ortum ejus, ſimile non contingit reperire. Dilatat quippe gremium mox fontibus egrediens, quod intra civitatis, in qua ſurgit, mœnia viginti molarum rotas, quarum nulla poſterior rotæ præcedentis aquam recipit, ſicut jugiter fluit, indeſinenter volvere poteſt. Neque quiſquam miretur quod dixi huic fluvio nomen prædictum à Carolo fuiſſe inditum, quamvis ante ejus adventum apud incolas regionis aliquo certo nomine fuiſſe fluvium ipſum nominatum dubium non exiſtit. Quoniam nomina fluviorum ſucceſſu temporum, adventu novorum populorum aut Principum, & de cætero mutata quandoque legimus. Et veriſimile eſt nomen priſtinum Lippe fuiſſe, quod ex illo conjicio, quòd fluvius à nulla civitate, villa, vel vico, extra locum, in quo ſurgit, ſub*

hoc

hoc nomine Pader, recipitur; quoniam ſtatim in loco, in quo ſurgit, ad ſtadia quaſi XV. *duobus fluviis commiſcetur, quorum quilibet iſto minor eſt. Et inde omnium illorum trium fluviorum congregatio Lippe nominatur, quo nomine nullus illorum trium fluviorum ſimpliciter nominatur, ſed fluvius qui occurrit ab oriente, qui reſpectu iſtius quaſi rivus apparet,* STRICTA LIPPA *nominatur, utique ad differentiam alterius fluvii, qui etiam Lippe cum alia determinatione, vel ſine determinatione ſit vocatus, & major illo ſit, cum nomina fluviorum minorum ſibi concurrentium, ſicut & aquam, ſoleant abſorbêre communiter. Et fluit ſub hoc nomine Lippe donec Rheno commiſcetur.* Ita ille, ætat. 6. c. 38. p. 188. Certè *familiare fuiſſe Francis peregrina nomina noſtris locis inferre, & ſic Remam, pagum ad Warnæ & Viſurgis confluentes, à Remis urbe Archiepiſcopali in Galliis; à Pado Italico Padum noſtratem; ab Heriſtallo Francico Heriſtalum Saxonicum; à Corbeia Francica Corbeiam Saxonicam* denominatam, ſcribit Meibomius in notis ad Irminſulam Saxonicam. Cui ex parte conſentit Reinerus Reineccius, in notis ad Poëtam Anonym. p. 14. *Ut contrà in Annalibus Franc. perpetuò legitur Paderborna. Eſt enim nomen à Padi fontibus. De his lectu digniſſimum Coſmodromion Gobelini. Ibidem & hoc traditum. Padum, cùm aliud antè nomen habuiſſet, ita à Carolo Mag. de Italico indigitatum. Sed hoc in medio relinquamus. Quanquam negari non poteſt, utrique multa communia eſſe. Atque ut Italicus inter fluvios Italiæ maximus eſt, ſic Germanicus tantum à capite aquarum vehit, quantum totius Europæ nullus.* Contrà, inquit Bollandus l. c. *Alii à Romanis, cùm iis in locis caſtra haberent,* PADERAM *dictum volunt ob eandem Padi ſimilitudinem. Quod ut abſque veteri auctore affirmare mihi non eſt animus, ita conſentaneum rationi uſuique non inficior, & accolarum traditione celebratum.* Cæterùm Poëta Anonymus ad An. 777. vetuſtum fuiſſe urbis nomen ſignificat, ergò & fluvii, à quo urbi nomen:

—— Conventum placiti generalis habere
Cum Ducibus ſe velle ſuis denuntiat illic.
Tanto concilio locus eſt electus agendo,
Quem Pathalbrunnon vocitant, quo non habet ipſa
Gens alium naturali plus nobilitate
Inſignem, qui præcipuè redimitus abundat

Fontibus, & nitidis & pluribus, & trahit indè
Barbaricæ nomen linguæ ſermone VETUSTUM.

Joanni Horrioni eruditiſſimo elegantiſſimoque Panegyrici Paderbornenſis ſcriptori lib. II. cap. XI. videtur omnino incerta Paderæ nominis origo, ita enim ait: *Sed quid ſibi vult illud Pather? Colligimus enim ſic à majoribus enuntiatum eſſe, quòd ita crebrò ſcriptum reperiamus, nimirum cum lingua Germanica veterem illam ſuam aſperitatem retineret. Quemadmodum enim paullatim articulum* THI *mollius pronunciarunt* DIE, *ita ex Pather fecerunt Pader. Teſtatur Gobelinus à Pado derivatum, qui, ut ait, ex tribus fontibus ſibi invicem propè ſurgentibus ad pedes Alpium in unum alveum concurrentibus oriatur. Quæ deſcriptio non congruit cum iis quæ à Strabone, Plinio, Ptolemæo, Leandro Alberto de origine Padi memorantur. Sed faciamus non ſpectatam eſſe in hac appellatione tam accuratam ſimilitudinem, ſi cui id ſequi libebit, dicet à Pado factam eſſe Paderam, quemadmodum brachium Padi, quod eſt ad Ravennam, Paduſam dictum accepimus. Reperitur quoque in Annal. Caniſii An. 777. ſcriptum Padesbronnen, ubi videri poſſit deductum nomen ab eadem origine, atque ipſum Padi vocabulum. Refert enim Plinius lib. 3. c. 16. ex Metrodoro, Padum nomen accepiſſe ab arbore picea, quæ multa circa fontem, quæ Gallicè Pades dicatur. Verùm unde Saxonibus noſtris, quos eo tempore quaſi more ferino vixiſſe ait Venantius lib. 3. c. 7. ea eruditio & cognitio linguarum? Equidem malim fateri neſcire me, unde illud* PATHER, *in nomine Patherbornæ; perinde atque obſcurum eſt, quid ſibi velit Mimigarna, in nomine Mimigarnafordæ, quo aliquot ſæculis dicta fuit ea Weſtphaliæ urbs, quam hodie Monaſterium nuncupamus.*

4. MARTE DIU ANCIPITI.] Ejus luculentus teſtis eſt Eginhardus in vita Caroli M. qui cauſas & tempus belli Saxonici his verbis prodidit: *Poſt Longobardici belli finem, Saxonicum, quod quaſi intermiſſum videbatur, repetitum eſt: quo nullum neque prolixius, neque atrocius, Francorumque populo laborioſius ſuſceptum. Quia Saxones, ſicut omnes ferè Germaniam incolentes nationes, & naturâ feroces, & cultui dæmonum dediti, noſtræque religioni contrarii, neque divina, neque humana jura vel polluere, vel tranſgredi inhoneſtum arbitrantur. Suberant & cauſæ, quæ quotidie pacem conturbare*

bare poterant, termini videlicet noſtri & illorum pænè ubique in plano contigui, præter pauca loca, in quibus vel ſilvæ majores, vel montium juga interjecta, utrorumque agros certo limite diſterminant: in quibus cædes & rapinæ & incendia viciſſim fieri non ceſſabant. Quibus adeò Franci ſunt irritati, ut jam non vices reddere, ſed apertum contra eos bellum ſuſcipere dignum judicarent. Suſceptum eſt igitur contra eos bellum, quod magnâ utrinque animoſitate, tamen majore Saxonum, quàm Francorum damno, per continuos triginta tres annos gerebatur. Plures eo bello tam ex nobilitate Francorum, quàm Saxonum, & functi ſummis honoribus viri, conſumpti ſunt: tandemque anno triceſimo tertio finitum eſt. Vid. Poëtam Anonym. vit. Ludovici Pii apud Pithæum.

5. DELEGIT CASTRIS CONCILIISQUE LOCUM.] Anno 777. *Rex* (Carolus) *poſt celebratam Noviomagi Paſchatis feſti ſolemnitatem, ad locum, qui Padrabrunna vocatur, generalem populi ſui conventum in eo habiturus, cum ingenti exercitu in Saxoniam profectus eſt.* Eginhard. in vit. Caroli M. vita Caroli M. apud Pithæum, vita ejuſdem per incertum auctorem tom. II. ſcript. hiſt. Francicæ, Annal. fragment. ex MS. Nazariano apud Freherum inter ſcriptores Francicos, Poëta Anonymus, Ado Viennenſ. Annal. Caniſii, Regino.

An. 783. *Cumque de loco prælii ad Paderbornam ſe cum exercitu recepiſſet, atque ibi caſtris poſitis partem exercitûs opperitur, audivit Saxones in finibus Weſtfalorum ſupra fluvium Aſam congregari.* Aſtron. apud Reuberum, vita Caroli M. per Engoliſmenſem Monachum, Regino.

An. 785. *Rex Carolus placitum habuit apud Padresbrunnon cum Francis & Saxonibus.* Annales Francorum tom. II. inter ſcript. hiſt. Franc. Aſtron. apud Reuberum, vita Caroli M. per incertum auctorem tom. II. inter ſcript. hiſt. Franc. vita Caroli M. per Engoliſmenſem, vita Caroli M. apud Pithæum, Regino.

An. 786. *Ludovicus filius pro ſapere & poſſe obedienter parens, occurrit* (Carolo patri) *ad Patrisbrunnam, habitu Vaſconum cum coævis ſibi pueris indutus, amiculo ſcilicet rotundo, manicis camiſiæ diffuſis, cruralibus diſtentis, calcaribus caligulis inſertis, miſſile manu ferens:*

rens: hæc enim delectatio voluntaſque ordinaverat paterna. Vita Ludovici Pii apud Pithæum.

An. 799. *Interim Rex in Saxoniam profectus Rhenum ad Lipeham tranſivit, & in loco qui dicitur Padeburnum poſitis caſtris conſedit.* Vita Caroli M. per incertum auctorem tom. II. ſcript. hiſt. Franc.

6. JUSSIT ET HIS UNDIS LUSTRATAM SUBDERE GENTEM.] An. 777. *Dominus Rex Carolus publicam ſynodum habuit ad Paderbrunnen, ibi convenerunt omnes Franci & omnes Saxones, excepto, quod Widochindus rebellis exſtitit, & cum paucis aliis ſociis ſuis in Normandiam confugit. Ad idem placitum venerunt Saraceni de Hiſpania tres reges, Ibnalarabi & filius Devizeſi, qui Latinè Joſeph nominatur, & gener ejus Alaruiz, ibique multitudo Saxonum baptizata eſt.* Vita Caroli M. apud Pithæum, Annal. Francorum inter ſcript. hiſt. Franc. tom. II. Annal. Fuldenſ. apud Freher. *Ibi Saxones baptizati ingenuitatem, & omnem proprietatem ſuam, ſecundùm morem gentis, abdicantes regi tradiderunt, ſi à die illa, & deinceps Chriſtianitatem, & regi ac filiis fidelitatem abnegaſſent.*

7. HIC LEO ROMANA DEDUCTUS AB URBE.] An. 799. *Leo Papa à Romanis in Letania majore linguâ truncatâ cruciatus, & per Wirundum Abbatem, & Winigiſum Ducem Spoletanum ereptus, ad Carolum in Saxonia ad Padraprunno deductus eſt.* Annal. Fuldenſ. apud Freher. vita Caroli M. per Engoliſmenſ. tom. II. ſcript. hiſt. Franc. Aſtronom. apud Reuberum, Poëta Anonym. Annales incerti auctoris apud Pithæum, Regino, Sigonius l. 4. hiſt. de Regno Italiæ.

Pompam, quâ Paderbornæ exceptus eſt LEO Pontifex, prolixè & accuratè deſcripſit, qui interfuiſſe videtur, vetus Poëta, diverſus à noſtro Paderbornenſi, quem Reineccius edidit, & nos ſæpe citavimus. Extat apud Henricum Caniſium, cujus judicio putatur eſſe Alcuinus Flaccus, Caroli M. & S. Ludgeri præceptor. Libet attexere carmina, ut palam omnibus fiat, quo honore maximus Rex Pontificem Opt. Max. coluerit.

Eſt locus inſignis quo Patra & Lippa fluentant,

Altus

Altus & in nudo campo jacet, undique largo
Veſtitus ſpatio, celſo de colle videri
Namque poteſt legio omnis, & hinc exercitus omnis,
Caſtra Ducum & Comitum, radiantiaque arma virorum.
Huc CAROLUS *multis ſtipatus millibus Heros*
Advenit, & tandem juvat hîc ſuccedere tectis.
Miſſus Apoſtolici regalem tendit ad aulam
Interea, & ſummum manifeſtat quippe venire
Pontificem expulſum Romana à ſede LEONEM
Civibus à propriis, & tot toleraſſe recenſet
Verbera commemorans extinctum lumine vultum;
Narrat & abſciſſam liquido de gutture linguam,
Nunc medicante Deo ſanatum, & ab omnibus iſtis
Eſſe malis animis: ſtupet ipſe exercitus omnis
Audita, & CAROLUS *recolendo ſomnia retrò,*
Præteriti indicio agnoſcens veſtigia viſus;
Hoc fore non dubitat, quòd triſtes fundere fletus
Pontificem in ſomnis jam dudum vidit eundem.
Hinc jubet extemplo Pippinum occurrere magno
Paſtori, pacem & placidam portare ſalutem.
Obvius ire parat genitoris juſſa faceſſens
Pippinus, centum lætus cum millibus ibat.
Ipſe ſedet ſolio CAROLUS *Rex juſtus in alto,*
Dans leges patriis, & regni fœdera firmat.
Utque videt patulo adversùm ſe tendere campo
Paſtor Apoſtolicus, centum cum millibus altum
Pippinum, geminas extendit ad æthera palmas,
Pro populoque preces effundens pectore largas.
Ante Sacerdotem ter ſummum exercitus omnis
Sternitur, & ſupplex vulgus ter fuſus adorat.
Mox LEO *Papa ſolo Pippinum more benigno*
Excipit, & ſacris circumdans colla lacertis,
Hæret in amplexuque diu placida oſcula libans.
It comes, & ſupra ſe confert vertice toto
Pippinus, varias miſcent ſermone loquelas,

Inque vicem diverſa levant problemata verbo.
Rex pius interea ſolium conſcendit, & omnem
Alloquitur populum CAROLUS *venerabilis Heros.*
Ergo agite ô Proceres, inquit, quibus induite arma
Ire eſtis ſoliti ad bellum, Martemque ſeverum
Temptare, & crudo voſmet confidere pugno,
Pontifici celeri curſu occurremus opimo.
Vix hæc dixit Heros: fremit undique turba tumultu,
Tela manu glomerat, mox loricaſque trilices
Et latos clypeos, galeaſque & ſpicula, peltæ
Ærata reſonant; acies hinc indè videntur
Ire equitum, ſparſo nigreſcunt pulvere nubes,
Et tuba lugubri medio ſtrepit aggere voce.
Claſſica ſigna ſonant, campi denſantur aperti,
Agmine criſtatus fulgetque exercitus omnis.
Tela micant pariter, vexilla levata coruſcant;
Armati incedunt, juvenes & freta juventus
Gaudet equis, ſiccus ferveſcit in oſſibus ardor
Audendi, ac CAROLUS *medio micat agmine lætus.*
Aurea criſta tegit frontem, & conſpectus in armis
Fulget, equo ingenti portatur ductor opimus.
Ante Sacerdotum porrò caſtra, agmina ternis
Stant diviſa choris, in longis veſtibus alma
Sacra crucis vexilla levant, & Præſulis omnis
Adventum expectat Clerusque & candida plebes.
Jam pater in campo CAROLUS *vidit agmina aperto,*
Pippinum & ſummum Paſtorem tendere contrà
Conſtat, & inque modum populum expectare coronæ
Præcipit, atque aciem hinc dividit urbis ad inſtar.
Ipſe autem medio conſiſtere in orbe beatus
Præſulis adventum expectans, & vertice toto
Altior eſt ſociis, populum ſupereminet omnem.
Jam LEO *Papa ſubitque externo ſe agmine miſcet.*
Quàm varias habitu linguas, tam veſtis & armis,
Miratur gentes diverſis partibus orbis.

Ex-

Extemplò properans CAROLUS *veneranter adorat,*
Pontificem amplectens magnum, & placida oſcula libat,
Inque vicem dextras jungunt, pariterque feruntur
Greſſibus, & multo miſcentes verba favore.
Ante Sacerdotem ter ſummum exercitus omnis
Sternitur, & ſupplex vulgus ter fuſus adorat,
Pro populoque preces ter fundit pectore Præſul,
Rex pater Europæ, & ſummus LEO *paſtor in orbe*
Congreſſi, inque vicem vario ſermone fruuntur.
Exquirit CAROLUS *caſus auditque laborum*
Diverſos, ſceleris populi impia facta ſtupeſcit,
Miratur geminas jam dudum luce feneſtras
Extinctas, & nunc reparatum lumine vultum,
Truncatamque loqui miratur forcipe linguam,
Alter in alterius configunt lumina vultus,
Et parili ſedis tendunt ad culmina greſſu.
Ante Sacerdotes ſacri ſtant oſtia templi,
Alternis vicibus modulantes carmina laudum;
Atque Creatori grates laudeſque frequentant,
Qui nova Pontifici reddebat lumina ſummo,
Et deſperatam condebat in ore loquelam.
Exoritur clamor, vox ardua pulſat olympum.
Intrat Apoſtolicus, CAROLO *ducente beato,*
Templa Creatoris, ſolito ſolemnia more
Concelebrare, pio Miſſarum ſacra favore.
Exhinc officiis divinis ritè peractis
Invitat CAROLUS *celſa inter tecta* LEONEM.
Clara intus pictis conlucet veſtibus aula,
Auro oſtro ornantur hinc inde ſedilia multo.
Ad menſas reſident læti, variiſque fruuntur
Deliciis, medio celebrant convivia tecto;
Aurea namque tument per menſas vaſa falerno.
Rex CAROLUS *ſimul & ſummus* LEO *Præſul in orbe*
Veſcitur, atque bibunt pateris ſpumantia vina.
Poſt lætas epulas & dulcia pocula Bacchi,

Z *Multa*

Multa prius magno CAROLUS *dat dona* LEONI:
Hinc lætus repetens aulæ ſecreta reviſat
Rex; & Apoſtolicus repetit quoque caſtra ſuorum:
Cùm tali à CAROLO LEO *ſit ſuſceptus honore,*
Romanos fugiens propriis repulſus ab oris.

8. SACRAVIT PRIMUM RELLIGIONIS OPUS.] Hujus rei teſtis eſt antiquus ſcriptor vitæ S. Liborii apud Bollandum, c. 11. pag. 88. §. 5. *Nam & vir ſanctiſſimus & verè Apoſtolicus Papa ſedis Romanæ*, LEO *nomine*, *injuſta civium odia perpeſſus*, *illic eum* (Carolum) *adiit*, *pro ſedandis contra ſe ortis ſimultatibus*, *imperialem opem quæſiturus. A quo cum ingenti, ut par erat, honore ſuſceptus*, *religioſum ejus ac ſalutare Chriſtianitatis dilatandæ ſtudium nobiliter inchoatum*, *Apoſtolicâ auctoritate firmavit*, *atque in Eccleſia tunc ibidem noviter conſtructa quoddam altare conſecrans*, *adorandas in eo reliquias Protomartyris Stephani*, *quas ſecum Româ detulerat*, *collocavit*; *fiducialiter id Principi promittens*, *quòd oratorium illud*, *tanti Martyris patrocinio munitum*, *non ulteriùs paſſurum foret injuriam*, *quam*, *ipſo referente*, *priùs ei contigiſſe cognovit*; *ut videlicet ob incolarum loci perfidiam*, *& odium in religionem Chriſtianam*, *aliquoties igni traderetur. Et ob hanc maximè cauſam eaſdem reliquias ibi*, *rogatu Imperatoris*, *recondidit*; *non ſine effectu congruo fiduciæ ſponſioniſque ſuæ*, *cùm nihil tale poſtmodùm illic perpetratum eſſe certiſſimum ſit.* Eadem fere habet auctor vitæ B. Meinwerci apud Browerum n. 1. p. 13. Gobelinus Perſona in Coſmod. ætat. 6. cap. 38. inſuper addit diem Leoninæ conſecrationis: ſed utrùm rectè, vide in Notis ad Monumentum Eresburg §. 8. Verùm audiamus Gobelinum. *Pontificatûs Hatumari primi Epiſcopi Paderbornenſis anno* 4. *Leo Papa* III. *venit ad Carolum in Paderborne*, *querens de injuſta Romanorum perſecutione*, *quem Carolus honorificè ſuſcepit*, *& rogavit ut Capellam quandam ibi noviter conſtructam*, *cùm jam Eccleſiam*, *quam præſens ibidem erexerat*, *ipſi rebelles vaſtaverant igne*, *dignaretur conſecrare. Qui precibus Regis gratanter ſuſceptis*, *in eadem Capella altare in honorem S. Stephani Protomartyris devotè conſecravit*, *ac reliquiis ejuſdem Martyris*, *quas ſecum Româ detulerat*, *in eodem altari reconditis*, *viſitantibus eandem Capellam in anniverſario dedicatio-*

cationis ipſius, qui eſt VIII. *Idus Decemb. de benignitate Sedis Apoſtolicæ magnas indulgentias conceſſit, & ſedem ibidem Epiſcopalem auctoritate Apoſtolicâ confirmavit.* Vid. adhæc Crantzium Metrop. lib. 1. cap. 11. Caſp. Bruſchium, & Kerſſenbrochium in catalogo Ep. Paderb. Baronium ad annum 799.

9. HIC SEDES LONGO FUIT ORDINE DEINDE SECUTIS.] Unde non immeritò ab Erinhero, qui vitam S. Heimeradi Presbyteri, tutelaris Haſungenſis, verſibus deſcripſit, appellatur SEDES REGALIS. Sic enim ille ingreſſus ſermonem de B. Heimeradi cum Meinwerco Antiſtite congreſſu:

Eſt locus egregius Patherbrunnon vocitatus,
Is quoque REGALIS SEDES, *& Pontificalis.*

Hactenus illa produximus, quibus Paderborna à Carolo M. celebrata; nunc uti à cæteris Imperatoribus ac Regibus ſit frequentata ac decorata, paucis ſubjungamus.

An. 815. *Ludovicus in loco, qui dicitur Padrabrunna, generalem populi ſui conventum habebat. Ibi ad eum omnes orientalium Sclavorum primores, & legati venerunt.* Aſtron. apud Reuber. vita Ludovici Pii incerto auctore apud Pithæum, Adelmus Benedictinus, Annal. Franc. apud Freher. pag. 416. Chron. Hildeſienſe tom. II. inter ſcriptores hiſt. Francicæ: *An.* 815. *anno ſecundo imperii, HLudovicus Imperator ſuum placitum cum Francis in Saxonia ad Phaderobrunnon habuit, & illuc venit filius ejus HLotharius Rex Bojariorum, & alius filius ejus, Pippinus Rex Aquitaniorum: Bernardus quoque filius Pippini Rex Longobardorum. Et erat illud placitum Kalend. Julii menſis.* Ejuſdem placiti meminit libellus de tranſlatione S. Viti, & inſtitutione novæ Corbeiæ à Meibomio editus.

An. 845. *HLudovicus tempore autumni in Saxonia apud Padraprunno generale placitum habuit, ubi fratrum ſuorum, & Nordmannorum, Schlavorum quoque, & Bulgarorum legationes ſuſcepit, audivit & abſolvit.* Annal. Fuldenſes apud Freherum, & apud Pithæum tom. II.

An. 958. *Otto divinâ gratiâ Rex, ob remedium animæ ſuæ, ad interventum dilectæ conjugis ſuæ Adelheidæ, & amantiſſimi fratris ſui*

Brunonis Archiepiſcopi, Sanctimonialibus, Deo ſanctæque Mariæ ſemper Virgini, & ſancto Cyriaco devotè ſervientibus, in proprium donavit quicquid Malhure in Giſici marcâ habuit. Signum Domni Ottonis invictiſſimi Regis. Luidulfus Cancellarius ad vicem Brunonis Archicancellarii recognovit. Data VII. *Kal. Jul. An. Dom. Incar.* DCCCCLVIII. *Ind.* I. *regnante piiſſimo Rege Ottone Anno* XXIII. *Actum Pathurbrunnon. Amen.*

An. 1013. *In proxima quadrageſima Rex* (Henricus) *ad Werlu veniens, diu cholicâ paſſione ibi infirmatur, & multa per viſionem ſibi revelata ſunt. Ad ultimum lacrymis & oratione multorum convaleſcens, quia in tam brevi intervallo ad prædeſtinatum non valuit pervenire locum, Paſchale feſtum, cum Meinwerco ſibi admodùm familiari, in Patherbrun dignâ veneratione peregit.* Ditmari Chron. lib. 6. pag. 81. vid. etiam Broweri ſcholia in vitam B. Meinwerci num. 22.

An. 1014. *Imperator hæc audiens de tantorum detrimento patrum turbabatur, qualiterque loca bene ſuppleret vacua, cum familiaribus ſuis tractavit, & Natalem dominicum in Pathebrun feſtivis peregit gaudiis.* Ditmari Chron. lib. 8. pag. 91.

An. 1016. *Imperator* (Henricus) *Chriſti nativitatem Patherbrunnæ celebravit.* Chron. Hildeſienſe inter ſcript. hiſt. Franc. tom. III.

An. 1017. *Cæſar verò* (bellum moturus magnis copiis adverſus Boleſlaum Poloniæ Ducem), *ad orientem tendens, Imperatricem* (Cunigundam) *ad ſe in loco, qui Patherbrunnum dicitur, venire jubet. Indè ambo uſque ad Magdaburg profecti.* Ditmari Chron. lib. 7. pag. 30. & ibidem dedit diploma, quo IV. *Idus Junii B. Meinwerco Epiſcopo Paderbornenſi certa prædia largitur.*

An. 1018. *Imperator* (Henricus) *Natalem Chriſti Patherbrunnen, Paſcha Babenberg egit.* Chron. Hildeſienſe inter ſcript. hiſt. Franc. tom. III.

An. 1021. *Heinricus divinâ gratiâ Romanorum Imp. Aug. Meinwerco Epiſcopo & Eccleſiæ Paderborn. Comitatum Dodiconis Comitis, quem dum vixit, tenuit, ſitum in locis Heſſiga, Netga, Nihterga, cum omni legalitate in proprium concedit atque largitur. Data* XIIII. *Kal. Mart.*

Mart. Indictione IIII. *Anno Dominicæ Incarnat.* MXXI. *Anno verò Domni Heinrici ſecundi regnantis* XVIIII. *Imperii autem* VIII. *Actum Padebrun. feliciter. Amen.*

An. 1023. *Heinricus divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator Auguſtus, ad interventum dilectiſſimæ conjugis ſuæ Cunigundæ Imperatricis Auguſtæ, Paderbrunnenſi Eccleſiæ quoddam ſuum prædium Hohunſeli dictum, ſitum in pago Weſtfalon, in Comitatu verò Bernardi Comitis, cum omnibus ejuſdem prædii pertinentiis concedit & largitur. Signum Domni Heinrici Romanorum invictiſſimi Imperatoris Auguſti. Gunterius Cancellarius vice Aribonis Archicappellani recognovit. Datum* XVI. *Kal. Febr. Indict.* VI. *Anno Dominicæ Incar.* MXXIII. *Anno verò Domni Heinrici ſecundi regnantis* XXI. *Imperii autem ejus* VIIII. *Actum Paderbrunnon feliciter. Amen. Idem eodem loco & anno,* XVIIII. *Kal. Februarii, Paderbrunnenſi Eccleſiæ quoddam prædium ſuum Steini dictum, ſitum in pago Weſtfalon, in Comitatu verò Bernardi Comitis concedit & largitur. Idem eodem anno, die, & loco, Monaſterio Coſungenſi donat juris ſui prædium Hardinghuſon.*

An. 1025. *Conradus Rex primum ſuæ felicitatis annum in Natali Domini Mindæ initiavit, & Epiphaniam Patherbrunnenſi civitate more regio peregit. Indè poſt Epiphaniam Hildenesheim venit.* Chron. MS. apud Chriſtoph. Browerum, vid. ejuſdem ſcholia in vitam B. Meinwerci num. 93.

An. 1030. *Imperator Natalem Chriſti Patherbronnæ egit, ubi Aribo Metropolitanus, in ſancto die inter Miſſarum ſolemnia publico ſermone habito, licentiam ab Imperatore, & confratribus Romam pergendi rogavit, ſimulque à Clero & populo indulgentiam ſibi à Deo impetrari poſtulavit. Sicque poſt Purificationem S. Mariæ iter aſſumens Romam adiit.* Vita S. Godehardi apud Browerum cap. 10. Eadem habet Chron. MS. apud Chriſtoph. Browerum, vid. ejuſdem ſcholia in vitam B. Meinwerci num. 500.

An. 1031. *Indict.* XIV. *Cuonradus Imperator Natalem Domini Patherbrunnen, & Paſcha Nuvimago feriavit.* Chron. Hildeſ. inter ſcript. hiſt. Franc. tom. III.

An. 1032. *Chonradus divinâ favente clementiâ Rom. Imp. Aug. confirmat donationes à venerabili Meinwerco factas Abdinghoſſenſi Monaſte-*

naſterio. Data XIII. *Kal. Febr. Indict.* XV. *An. Dom. Incarn.* MXXXII. *An. verò Domni Chonradi ſecundi, Regni* VIII. *Imperii autem* V. *actum Paderburn. in Dei nomine feliciter. Amen.*

An. 1033. *Imperator Natalem Domini Patherbrunnæ, Paſcha Niumagen feriavit.* Chron. MS. apud Browerum, vid. ſcholia ejuſdem ad vitam B. Meinwerci num. 121. Chron. Hildeſienſ. cit.

An. 1035. *Imperator Paſcha Patherbronnæ; Aſcenſionem Seliganſtadt; Pentecoſten autem Bavenberg celebravit.* Chron. MS. apud Chriſtoph. Brow. l. c. Chron. Hildeſienſ. l. c.

An. 1036. *Imperator Paſcha Ingelenheimi feriatus eſt; Aſcenſionem verò Domini, Paderbrunne; Pentecoſten, nativitatemque Johannis Baptiſtæ Niumagi.* Cruſius in Annal. Suev. lib. 6. part. 2. cap. 8. Chron. Hildeſ. cit.

An. 1043. *Henricus Imperator Pentecoſten egit Paderbornæ.* Gerhard. Cleinſorgius in Annal. Weſtphaliæ MS.

An. 1051. *Imperator* (Henricus) *Pentecoſten celebravit Podelbrunnen, ubi Bardo Archiepiſcopus* (Moguntinus) *ad Miſſam habito ſermone, obitum ſuum inſtare prædicens, orationi fidelium ſe commendavit, qui eodem menſe diſceſſit.* Lambertus Schaffnaburgenſis.

An. 1056. *Imperator* (Henricus) *regreſſus de Italia ſanctum Paſcha Padelbrunnæ celebravit.* Lambertus Schaffnab.

An. 1152. *Fridericus* I. *Imperator, teſte Bernardo Epiſcopo Paderborn. jura Advocati Eccleſiæ Marnenſis declarat, diplomate Paderbornæ dato. Indict.* XIV. *Anno Domni Regis Friderici primo.* Auberti Miræi notitia Eccleſiarum Belgii cap. 158. pag. 402.

An. 1212. *Otto* IV. *Imp. cum fratre ſuo Henrico Saxoniæ Duce, & Rheni Palatino, in æquas propemodùm partes Saxoniam diviſit Paderbornæ.* Matthæus Paris in hiſt. majore, citatus à Marquardo Frehero in reſponſo ad epiſtol. monitoriam Chriſtophori Gewoldi, in cauſa Palatina, edita Heidelbergæ An. 1614.

A. 1375. *Karolus Imperator volens Wenceſlaum filium ſuum promovere ad regnum, partes Weſtfaliæ pertranſiit, & veniens Paderbornam à Domino Henrico Epiſcopo, ac Clero, ac civibus reverenter ſuſceptus eſt. Et poſtquam unâ nocte moram traxit ibidem, Henricus Epiſcopus ipſum recedentem honorificè proſecutus eſt.* Gob. Perſon. Coſmod.

ætat. 6. cap. 71. pag. 248. vid. etiam Panegyric. Paderborn. lib. 2. cap. 13.

10. VIRGINIS HIC CONJUX VIRGO CUNIGUNDA MARITI.] An. 1002. *Indict.* XV. *novus Rex Henricus S. Laurentii Natalem Paderbrunnen celebravit. Et ibi Domna Cunigundis regalem benedictionem, & coronæ impoſitionem à Willigiſo Metropolitano ſuſcepit. Sed & Sophia ad Gandeshemenſe regimen electa, obtentu Principum, Domni Bernwardi* (Hild. Epiſc.) *licentiam à Palligero benedicendi ibidem obtinuit.* Chron. Hildeſienſe ſæpiùs citatum, vita S. Bernwardi apud Browerum, vita S. Godehardi apud eundem, vita B. Meinwerci apud eundem. Quæ autem in ipſa Reginæ conſecratione, ceu ſereno tempeſtas intervenerit, coortis in arma mutua Bavaris & Saxonibus, ex Adelboldo de rebus geſtis S. Henrici, apud Jacobum Gretſerum in Divis Bambergenſibus, licet cognoſcere: *Interea Regi à Saxonia in regnum Lotharienſe properanti Gruonæ occurrit uxor ſua, Domna Cunigunda nomine jam extans; ſed re citò Regina futura. Indè enim Paderbronam veniens in feſto S. Laurentii acclamatur, benedicitur, coronatur, & fit Kunigunda Kuninga, quod Latinè interpretari poteſt Regia Regina. Sed ut nunquam ſerenitas, quam non ſequatur nubiloſitas, ſic raró jocunditas, quam non ſequatur adverſitas. Nam in benedictione Reginæ cunctis exultantibus Bavarii (quorum mos eſt in aliena terra velle, quod in ſua volunt) circa civitatem fruges colligere, & agricolas ſua defendere volentes irrationabiliter cæperunt tractare. Quæ res indigenas commovit, & ad reſiſtendum etiam fortiter animavit. Domeſtici igitur Regis, & indigenæ, invaleſcente contentione, confluunt, concurrunt, conveniunt. Pugna gravis oritur, ex domeſticis Regis juvenis unus interficitur, frater ſcilicet Domni Eilberti, qui tunc temporis erat Cancellarius, poſtmodum verò Friſienſis factus eſt Epiſcopus. Hujus interfectione omnes Regis fideles commoti graviter, cives cœperunt perſequi, & eos perſequendo inſatiabiliter graſſari. Et niſi regiâ poteſtate retinerentur, omnes uſque ad internecionem proſequerentur. Cum plurima igitur difficultate ſedato tumultu, caſtigatiſque illis quorum ſtultitia cauſa ſeditionis exſtitit: inde Rex Dinsberg properat, & illic Lotharienſium adventum expectat.*

11. No-

II. NOBILIUS NULLUS ME CAPUT AMNIS HABET.] Præter Pontificis Max. Imperatorum & Regum hoſpitium, regalem S. Cunigundæ coronationem, externorum Principum legationes, Francorum & Saxonum conventus, & caſtrorum metationes; *caput Paderæ* nobilitat ſingularis amœnitas, & aquarum copia vix uſquam uberior admirabiliorque, in Panegyrico Paderborn. Joannis Horrionis ad vivum depicta, lib. 2. cap. 7. *Quòd ſi, ut eſt apud Strabonem, Gymnaſio liberalium artium, quod erat Tharſi in Cilicia, Cydnus amnis, cujus ſaluberrima aqua ferebatur, plurimum celebritatis attulit, nihilne habebit ad illuſtrandam Paderbornæ Academiam, hæc ſalubrium fontium copia, quibus ambigere poſſis, pluſne palati & valetudinis, an aſpectus & voluptatis gratiâ delecteris? Neque enim ſentio, quæ poſſit ſpecies eſſe jucundior, quàm trium fontium in media urbe, ex eodem colle, modico intervallo exorientium, tantamque ſubitò vim aquarum erumpentium, ut, non modicis effuſi rivis, antè in unum alveum viſendo ſanè agmine confluant, complureſque molas frumentarias priùs verſent, quàm ſe effundant è mœnibus. Quanta amœnitas ſingulorum cùm ſeorſim fluunt? quanta omnium cùm uno amne labuntur? quàm juvat aquam ipſam omni cryſtallo puriorem intueri, & innaſcentes viridiſſimas herbulas numerare? quale ſpectaculum anaticulas, & cygnos videre in mediis undis pendulos, ſuſpenſâ caudâ, nitentibus contra profluentem pedibus, prono roſtro piſcantes? quæ voluptas, ne ſævæ quidem brumæ inclementiâ unquam eripitur. Quâ enim tempeſtate nive omnia fœda ſunt & gelu, non modò intra urbem, ſed etiam non modico foris ſpatio, ne ſecundùm quidem ripas, ut fert mos cæterorum amnium, vel in tenuiſſimas cruſtas conglaciat. Quid quòd eodem tempore peregrinas aves ad ſe noſter amnis allicit, quæ fluviis aſſuetæ, ubi glacie cæteris prohibentur, ad hunc confugiunt? Æſtate verò, poteſtne quicquam illis viridariis, hortis, pomariis, quibus utraque ejus ripa prætexitur, eſſe formoſius? Non enim nunc vacat aquam commemorare totâ propè urbe per canales ſingulari artificio diſpenſatam, non ſalientes fontes, non piſcinas, non lavatrinas, non ſexcenta commoda. Quòd ſi collibitum erit egredi urbe, quem non delectet curſum ejus proſequi, modò pleno incedentis amne, modò diviſis quaſi copiis inſulas ambientis, modò vario flexu,*

flexu, & grato errore per virentia prata ſerpentis, modò limpidiſſimos rivos amplectentis ſinu, modò celeberrimum Romanis Annalibus flumen Luppiam, vel cum jactura ſui nominis generantis? Sed concludamus has *Paderæ* notas inſigni elogio Gobel. Perſonæ in Coſmodr. ætat. 6. cap. 38. quod ipſe ab antiquo ſcriptore Vitæ S. Liborii eſt mutuatus: *Ad hunc locum Karolus ſæpè divertit, quoniam ut ſcribit quidam, qui poſtea in eodem loco, tempore Arnulphi Regis, vitam duxit religioſam:* HIC LOCUS VIRIS OMNI NOBILITATE GENERIS ANIMIQUE SEMPER INSIGNIBUS ABUNDABAT, UT NON ESSET DUBIUM, QUIN PATRIA CIVIBUS ET CIVES PATRIÆ CONGRUERENT, AC SIBI UTRINQUE ORNAMENTO FORENT.


Iburgum, nunc Driburg.

DRIBURGUM,
OLIM IBURGUM APPELLATUM.

MEMORIÆ. SACRUM

SEU. ME. DRIBURGUM. VETERI. SEU. NOMINE. DICAS
IBURGUM. MERITIS. LAUS. MANET. ÆQUA. MEIS
SAXONIS. UT. PERHIBENT. MUNIMEN. GRANDE. VETUSTAS
IMPOSUIT. NOSTRIS. MOENIA. CELSA. JUGIS
PRÆSENTIS. CAROLUS. PRECIBUS. DONATA. LEONIS
QUÆ. PADERÆ. SACRO. SUBDIDIT. IMPERIO
VENA. ACIDÆ. TANTUM. ME. NUNC. UBERRIMA. LYMPHÆ
NOBILITAT. VARIIS. SÆPE. MEDENDO. MALIS
SI. MIHI. LONGA. DIES. PRIMOS. SUBDUXIT. HONORES
SERVAT. ADHUC. NOSTRUM. QUÆ. FUGIT. UNDA. DECUS

FERDINANDUS. DEI. ET APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO. DE. FURSTENBERG

DRIBURGI. OLIM. IBURGI. ANTIQUI. SAXONUM MUNIMENTI. A. CAROLO. M. EXPUGNATI. S. HATHUMARO. EPISCOPO. PADERBORNENSI. EJUSQUE. SUCCESSORIBUS. CUM. OMNI. AGRO. ET. DITIONE. LEONIS. III. P. M. PRÆSENTIS. ROGATU. DONATI. ET. SALUBRITATE. ACIDULÆ. HODIE. NOBILIS. MEMORIÆ
M. H. P

NOTÆ.

1. SEU ME DRIBURGUM.] *Driburgi* vocabulum *Iburgo* eſſe recentius, & *Driburgum* hodiernum *Iburgum* olim appellatum, teſtimonio ſunt hæ literæ Bernardi Epiſcopi Paderbornenſis An. 1136. & An. 1142. datæ.

IN *nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.* BERNARDUS *Dei gratia Patherbornenſis Epiſcopus. Quoniam tempora quæ ſanctus Apoſtolus ventura prædixit jam veniſſe timemus. cùm dixit. erunt homines ſe ipſos amantes. unde ſæpius accidit. quod hi qui in quiete mentis Deo ſerviunt ab importunis hominibus injuſte turbantur. Officii noſtri cura nos admonet. cunctis Deum diligentibus ſollicitudinem Paſtoris impendere. his tamen præcipue qui noſtro regimini ſpecialiter commiſſi ſunt. non ſolum de præſentibus ſed & de futuris quæ provenire poſſunt incommoditatibus auctore Deo removendis diligentia circumſpectiori invigilare. Eapropter notum eſſe volumus tam præſentis quàm futuri temporis Chriſti fidelibus. qualiter puſillus adhuc Ancillarum Dei grex. qui primitus in monte* IBURG *congregatus fuerat. & ab Eccleſia in Herſſe locum & bona Eccleſiæ in monte Chriſto ibi famulantibus profutura perceperat. Poſtea autem ſaniori conſilio in locum Gerdinenſem tranſmigravit. & juſte privilegium poſſeſſionis loci prioris obtinuit. quamvis habitationem dictante neceſſitatis ratione mutaverit. Nos itaque ſecuritati jam dicti Ancillarum Dei collegii providentes. pro remedio animarum & parentum noſtrorum. & pro cavendo quod ſuccedere poſſet injuſto gravamine. curam Eccleſiæ in prædicto monte ab omni poteſtate cujuſlibet Archidiaconi. conſilio & conniventia totius Eccleſiæ Patherbornenſis abſolvimus. Et ut Deo in Gerdinenſi Monaſterio ſervientibus moleſtiæ occaſio tolleretur. Prælato Cœnobii illius excluſa Clericorum vel laicorum poteſtate. eam aſſignavimus. Ut igitur hæc noſtra ordinatio in omnia poſt futura tempora rata & inconvulſa permaneat. auctoritate Patris & Filii & Spiritus Sancti. & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli eam confirmamus. & præſentem paginam banni noſtri & ſigilli noſtri impreſſione munitam. eorum etiam qui infra nominati ſunt teſtimonio conſcribi fecimus.*

mus. Teſtes. Weno Præpoſitus majoris Eccleſiæ. Rembertus Præpoſitus ſancti Andreæ. Almarus Decanus. Ekbertus. Lentfridus. Bernhardus. Evergiſus. Meinricus. Canonici majoris Eccleſiæ. Hameko Abbas ſancti Pauli. Lambertus Monachus. Laici. Widikindus de Swalenberg. Hermannus de Lippia. Thetmarus de Buiren. Wernerus de Brack. Heinricus Comes. Adelbertus de Rickeſwigk. Luidoldus de Oſdagesheim. Conradus Stapel. Uffo. Anshelmus. Eilbertus. Koto. Burgenſes. Cono dives. Acta ſunt hæc anno Domini milleſimo centeſimo triceſimo ſexto. regnante Lothario Romanorum Imperatore. anno regni ipſius XII. *imperii autem* IIII. *Datum Patherbornis duodecimo Kalendas Aprilis.*

IN *nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.* BERNHARDUS *Dei gratia ſanctæ Patherburnenſis Eccleſiæ Epiſcopus. Quanti apud Deum meriti ſint. quibuſque bonæ vitæ documentis vel operibus claruerint. quos Dominus populi ſui Paſtores eſſe voluit eorum inſtituta ſancta declarant. & ipſorum auctoritate roborata in ſua ſtabilitate Chriſti monſtrat Eccleſia. Quorum dum ego ſucceſſor licet minus idoneus. gratia tamen Dei præventus Pontificalis culminis arcem aſcendiſſem. omni ſtudio veſtigiis eorum inhærendo. pro voto ſemper habui. Eccleſias Dei ampliare. eaſque oportunis locis fundatas noſtra ſollicitudine firmare. atque in cautius poſitas ſaniori conſilio tranſponere pia proviſione elaboravi. His animo pro Paſtoralis curæ debito intentus Ancillarum Dei quas in monte* IBURG *ad Deo ſerviendum conſenſu Beatricis Abbatiſſæ de Herſſen collegimus: laborem cogitare cepi. quem ob loci difficultatem & adjacentis terræ ſterilitatem. ſilvarumque vel ſolitudinis vaſtitatem patiebantur. In hac igitur me proximorum compaſſione occupato. pius Dominus pauperum ſuorum miſeratus anguſtias, igne amoris ſui accenſum nobilem virum quendam Hinricum de Gerdenen ad hujus calamitatis terminum conſolatorem nobis donavit. Nam ipſe conditori ſuo gratias agens. pro ſpe vitæ æternæ eum & beatam ipſius genitricem Mariam & beatum Petrum omnium bonorum ſuorum hæredem elegit. atque in fundo domatis ſui videlicet Gerdenen Cœnobium conſtruxit. quia ipſe locus aptus ſanctæ converſationi videbatur. cujus etiam loci defenſionem ſub meo & ſucceſſorum meorum patrocinio ſanctæ Patherbrunnenſis Eccleſiæ pro perpetua ipſius libertate devotus commiſit. hæredibus ſuis Meregarde. ſorore ſua. & filiis ejus Wernone. Godefrido. & Baſilio. hoc poſtmodum*

bona voluntate collaudantibus. & ut omni ſtabilitate divinæ & humanæ legis ſub Regali & Epiſcopali banno confirmaretur aſſentientibus. Ego igitur ut ipſorum devotionis apud Deum particeps exiſterem. pro majori quiete & pace Deo ibi ſervientium. Eccleſiam ipſius villæ à Samuele Sacerdote cui commiſſa erat. mihi reſignatam cum omni dote ſua. & quinque manſis in Gerdenen & quatuor in Dalleſheim. communicato Eccleſiæ meæ conſilio ab omni juriſdictione & ſubjectione Eccleſiaſticæ ſæculariſve perſonæ exceptam. ſub manu Epiſcopi vel Abbatis & Prioris. regendam ipſi Cœnobio conceſſimus. & libera eis poſſeſſione firmam eſſe ſtatuimus. His ita pro voto noſtro cum multorum fidelium Chriſti gaudio diſpoſitis, prædictas Dei Famulas de loco calamitatis & miſeriæ in Gerdenen tranſduximus. ibique eas uti vere Chriſti ſponſas pro omni Eccleſiæ ac totius Chriſtianiſmi conſervatione ſemper orantes incluſimus. Ut igitur hæc firma & inconvulſa omni in poſterum ævo permaneant. auctoritate Patris & Filii & Spiritus Sancti. & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli. & Domni Papæ. ac noſtræ humilitatis banno firmantes ſancimus. nequa Eccleſiaſtica ſæculariſve perſona contra hæc agere præſumat. Quod ſi præſumpſerit. fiat ei ſicut Dathan & Abiron. & cum Juda proditore perpetuo anathemate niſi reſipuerit feriatur. eaque præſentis paginæ ſcripto & ſigilli noſtri impreſſione roboramus. Acta ſunt hæc me mediante. multis etiam Chriſti fidelibus tam Eccleſiaſticis quam ſæcularibus. quorum nomina ſubſcripta ſunt aſtantibus & gratias Deo agentibus. Anno Domini milleſimo centeſimo quadrageſimo ſecundo. regni verò Domni Conradi quarto. Pontificatus vero mei anno XV. *Indictione quinta. Teſtes Weno majoris Eccleſiæ Præpoſitus. Odelricus Decanus. Conradus Abbas de ſancto Paulo. Conradus Abbas de Helmwardeshuſen. Boldewinus Abbas de Lesborne. Daniel Abbas de Herſethehuſen. Rembertus Præpoſitus. Almarus. Thietmarus. Leuthfridus. Ecbertus. Heribertus. Sifridus. Godeſcalcus. Hugo. Laici nobiles. Volcquinus de Swalenberg. Otto Comes de Ravensberg. Thietmarus de Buiren. Liudolphus de Bſethe. Bertholdus de Everſchut. Miniſteriales. Heinricus. Adelbertus de Ricketſwic. Conradus. Liudolphus. Bertholdus. Andreas. Eilbertus. Nanzo. Heredagus.*

Cujus antiqui monaſterii Gerdenam tranſlati veſtigia, in montis vertice adhuc conſpiciuntur. Rationem deinde nominis

nis duabus primis literulis aucti, innuit Gobel. Perſona. Coſmod. ætat. 6. c. 38.

2. SAXONIS UT PERHIBENT MUNIMEN GRANDE.] De *Iburgo* ſilent veteres Francorum Annales. Inter recentiores hiſtoricos Ertwinus Ertmannus conſul Oſnabrugenſis in Chron. Oſnabrug. MS. hæc memorat: *Tria præcipua & eminentiora caſtella concordi relatione antiquorum ſcribuntur, videlicet in Heriſburch in Saxonia Haſſionumque ſitum confinio, Sigeburch quoque ſuper Ruram fluvium poſitum, & noſtrum Iborch, quod ex jucundo ſitu terrarum egregium fuiſſe nemo eſt qui dubitet.* Contrà Gobelinus Perſona Ertwino antiquior in Coſmod. ætat. 6. cap. 38. pag. 188. de *Iburgo* Paderbornenſi ſic narrat: *Carolus anno regni ſui* VII. *ingreſſus Saxoniam cuncta devaſtavit, & caſtrum Iborg, quod nos dicimus corrupto nomine Driborg, capit.* Gobelino Theodoricus Engelhuſius, qui An. 1426. Chronicon ſcripſit, Helmeſtadii hoc anno editum, pag. 153. & Crantzius lib. 1. Metrop. cap. 11. pag. 24. conſonant: *Dedit Rex* (Carolus Hathumaro) *cum attinentiis arcem Iborg, vetuſtum Saxonum receptaculum: nunc pauliſper detorto vocabulo Driborg vocant.* Et Hermannus Hamelmannus de antiqua Weſtphalia ex Peucero refert: *Ut Angrivarii à Viſurgi ad Luppiæ uſque ripam ſederunt, ita Iburgum, quod nunc Driburgum dicitur, fuit præcipuum propugnaculum ultra Luppiam, quod dedit Carolus M. Paderbornenſibus.* His ſubſcribit Gerhardus Cleinſorgius in Annal. MS. Weſtphal. ad annum 776. *Carolus M. ex Italia redux, exercitu in Saxoniam rebellem ducto, Iburgum ſeu Driburgum, aliaque Saxonum munimenta & caſtella expugnavit, & prope Luppiæ fontes caſtra habuit.* Etſi igitur Paderbornenſis Diœceſis tot monumentis abundans, *Iburgum* ſuum Oſnabrugenſibus haud invideat; nihil tamen cauſæ apparet, cur antiquis literis, & vetuſtiorum ſcriptorum teſtimoniis celebratam *Iburgi* ſui, præcipitis loci ſitu, montis altitudine, & murorum turriumque, quam ruinæ indicant, firmitate olim munitiſſimi, & ad omnes belli à Carolo M. geſti rationes accommodati, gloriam Oſnabrugenſibus cedere debeat, cùm illud Eccleſia Paderbornenſis à Carolo M. in dotem fundationis acceperit, non exiguum utique

munus,

munus, ſed Epiſcopatûs dignitati, & Leonis III. Pontif. præſentis commendationi, & regiæ pietati par beneficentiæ monumentum.

3. PRÆSENTIS CAROLI PRECIBUS DONATA LEONIS.] Gobel. Perſona in Coſmodrom. ætat. 6. cap. 38. pag. 190. *Anno Domini 799. Leo Papa* III. *venit ad Carolum in Paderborne, querens de injuſta Romanorum perſecutione, quem Carolus honorificè ſuſcepit, & rogavit ut Capellam quandam ibi noviter conſtructam, cùm jam Eccleſiam, quam præſens ibidem erexerat, ipſi rebelles vaſtaverant igne, dignaretur conſecrare. Qui precibus Regis gratanter ſuſceptis, in eadem Capella altare in honorem S. Stephani Protomartyris devotè conſecravit, ac reliquiis ejuſdem Martyris, quas ſecum Româ detulerat, in eodem altari reconditis, viſitantibus eandem Capellam in anniverſario dedicationis ipſius, qui eſt* VIII. *Decemb. de benignitate Sedis Apoſtolicæ magnas indulgentias conceſſit, & ſedem ibidem Epiſcopalem auctoritate Apoſtolicâ confirmavit. Et tunc ad petitionem Papæ, Carolus dedit Eccleſiæ Paderbornenſi caſtrum Iborg, de quo ſuprà dictum eſt.* Albertus Crantzius, & Hermannus Hamelmannus §. 2. ſuprà citati, Gaſp. Bruſchius, Kerſſenbrochius, & Hovelius in catalogis Epiſcoporum Paderbornenſium. & Bruſchius quidem ita: *Donavit hunc Epiſcopum* (Hathumarum) *Carolus M. præſente Leone* III. *arce Triburgenſi cum adjacente territorio omni.* Cæterùm, teſte Gobel. Perſona in Coſmod. cap. 60. pag. 228. *Bernardus* II. *Epiſcopus Paderbornenſis anno* 1189. *montem Iburg occupavit, & munire cœpit.*

Caſtrum autem DRIBORG adhuc anno 1309. ſtetiſſe, oſtendunt literæ Capituli Paderbornenſis, quibus fatentur: *quòd cum conſenſu Guntheri Epiſcopi Paderbornenſis, elegerint Bernardum Præpoſitum in tutorem Eccleſiæ, cum obligatione, ut redimi ſinat caſtra Dryburg, & Nyggenhuſen, pro* 1400. *marcis denariorum oppignorata.* Licet autem Gobelinus Perſona loco citato ſubjungat, *ſuo adhuc tempore*, id eſt anno 1418. quo Coſmodromium ſuum abſolvit, *caſtrum Driburgum perſeveraſſe*, hoc de parietinis ejus accipio: ex quo enim Bernardus V. Epiſcopus Paderbornenſis, ipſo Gobelino Perſona in Coſmodromio cap. 68. pag. 240. referente, intra

tra annum 1320. quo cœpit, & annum 1340. quo defunctus, *fundavit caſtrum Dringenberg, & reditus caſtri Driborg illò tranſtulit*; veriſimillimum nobis videtur, *Driburgum* caſtrum habitari deſiiſſe, & veteres ejus incolas, ob incommodum montis aſcenſum, ad illius pedem demigraſſe. Tantum de DRIBURGO ſeu *Iburgo* noſtro, ubi Tilemannum Friſium, in ſpeculo de monetis lib. 3. cap. 1. & 8. ſedem ſeu templum Irmenſulæ falsò poſuiſſe, ſuperiùs in Eresburgi notis demonſtravimus.

4. VENA ACIDÆ TANTUM.] De ea agemus poſteà, nunc hîc elegantem de Driburgi deliciis Oden Nobiliſſimi Viri JOANNIS ROTGERI TORCKII, Præpoſiti Mindenſis, Canonici Paderbornenſis ac Monaſterienſis, hydropotæ Driburgenſis, hoc anno 1671. nobis dicatam, publicamus.

Teutonum ſaltus, acidaſque noſtræ
Fontium venas repetunt Camœnæ,
Et per umbroſos nemorum receſſus
Frigora captant.

Tinnulis blandè fidibus canentes
Inter argutas volucrum querelas,
Calle ſaxoſo fugientis inter
Murmura rivi.

Adſtrepunt lenes Zephyri ſuſurri,
Fluctuans denſis ſeges alta ſpicis
Annuit, picto variata rident
Gramina flore.

Mille dum laudes Tibi FERDINANDE,
Lesbiæ concors modulis Puellæ
Grata teſtudo canit icta noſtræ
Pollice Muſæ.

Ut Driburgenſi decori eſt popello

Pinguibus naſcens faba multa campis,
Et ſacri fontis liquor, & vetuſti
Rudus Iburgi.

TE *Tuis ſummum decus eſſe terris,*
Omnis hic cantat chorus, omnis ætas,
Et cavæ rupes, & amicta flavis
Meſſibus arva.

Nempe TE *crebras vigilante noctes,*
Et Tuis pacem redimente curis,
Tutus & pagos ſopor & quietas
Occupat urbes.

Otium gaudens agitat juventus,
Otio felix fruitur ſenectus,
Carpit immunes pecus otioſum
Suaviter herbas:

Quæque fallaces alibi per artes
Sanguinem plebi Patribuſque paſſim
Ebibunt, vafræ bene TE *ſecantur*
Judice lites.


Quæque veſanis animos potentum
Semper irritat ſtimulis voluptas,
Omnibus ventri placitura quærens
Pabula terris:

Nec peregrino ſatiata Baccho,
Nec mari vaſto, aut ſtabulis ferarum,
Blanda TE *peſtis fugitat, Tuáque*
Exulat aulâ.

TE *juvant cantus, citharæque Phœbi,*

Et ſuſurrantes Heliconis umbræ,
Et coronatæ TIBI *feſta præbent*
Gaudia Muſæ.

O Sacrum Regni decus! O Deorum
Vita, quæ ſævis potior triumphis,
Orbe terrarum feret ac Olympo
Judice palmam!



1 Ecclesia Parochialis 2 Emmer fluvius. 3 Pyrmont 4 Castrum Arminii 5 Ecclesia S. Kiliani extra oppidum

LUDA AD AMBRAM.

MEMORIÆ. SACRUM

HIC. UBI. LUDA. VETUS. JUCUNDÆ. MARGINE. RIPÆ
URBS. SEDET. ET. CULTOS. AMBRA. PERERRAT. AGROS
AMBRONES. HABITASSE. FERUNT. QUOS. CIMBRICUS. OLIM
MILITIÆ. SOCIOS. TRAXIT. IN. ARMA. FUROR
ILLIS. ARMINII. SUCCEDENS. ARCE. PROPINQUA
GENS. TENUIT. VALIDA. SCEPTRA. CHERUSCA. MANU
ANNUA. DEINDE. PIO. CAROLUS. SACRA. MORE. FREQUENTANS
NASCENTEM. COLUIT. SUPPLICE. VOCE. DEUM
ET. SCHIDROBURGUM. PROPIUS. DUM. SAXONA. BELLO
FULMINAT. HOC. POSUIT. FRANCICA. CASTRA. LOCO
HÆC. OLIM. DECORI. FUERINT. NUNC. PROXIMA. LUDAM
CONCELEBRAT. NOTÆ. VENA. SALUBRIS. AQUÆ

FERDINANDUS. DEI. ET
APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCO-
PUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR
MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS
COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BA-
RO. DE. FURSTENBERG

LUDÆ. AD. AMBRAM. PERANTIQUÆ. AMBRO-
NUM. ET. CHERUSCORUM. SEDI. CAROLI. M. CA-
STRIS. IN. QUIBUS. AN. DCCLXXXIV. CHRISTI. NA-
TALEM. EGIT. ET. PYRMONTANÆ. ACIDULÆ
VICINITATE. CELEBRATÆ
M. H. P

NOTÆ.

1. HIC UBI LUDA VETUS.] *Ludam* ſeu *Lugdam* à Carolo M. illic caſtra metato, ad ſimilitudinem *Lugduni* Galliarum, *Lugidunum* Saxoniæ appellatum eſſe, fingit Joannes Pideritius in Chron. Lippienſi pag. 205. Huic fabulæ aliam æquè incertam nominis originem attexit Joannes Seilerus in Chron. Pyrmontano MS. cap. 20. Verum nomen exhibet nobis vita Caroli M. apud Pithæum, ubi *villa Luidi* nuncupatur; quod in Annal. Caniſii *Lutundi*, & apud Reginonem ad An. 784. *Linhidi* pro *Liuhidi* corruptum legitur. Vetus nomen tempore Immadi Epiſcopi Paderbornenſis, qui An. 1052. cœpit, & An. 1076. deſiit, adhuc obtinuit. teſtes ſunt literæ antiquæ, quæ ſic habent. *Notum ſit omnibus tam futuris quam præſentibus. qualiter Wirinbertus cum conſenſu & laude filii juſtiſſimi heredis ſui Bovonis. duo curtilia in pago Thietmelli & in villa Aldenthorpe. & XL. jugera & X. jugera in Remikenhuſun. & inſuper medietatem cujuſdam ſylvulæ in Bennenberge ſanctæ Patherbrunnenſi Eccleſiæ. & domino ac venerabili Immado ejuſdem ſedis Epiſcopo in proprium tradidit. legavit. conceſſit. ea videlicet ratione. ut præfatus Epiſcopus Immadus tres villas Odiſthorp. Lavenhuſun. Theſperi. ad Eccleſiam quæ in Odiſthorpe ſita & conſecrata eſt terminaret. & in terminationem Epiſcopali banno terminaret. Quod ut firmius ac magis ratum inconvulſumque permaneat. idem Wirinbertus Eccleſiæ quæ eſt in* LIUITHI. *& Widikindo presbytero de cujus parochia tres præfatæ villæ ſumptæ ſunt. ipſo annuente & collaudante unum manſum in Ubbenbrocke in proprium tradidit. condonavit. Quod ſi præfatus Epiſcopus. vel aliquis ſucceſſorum ejus terminationem hanc infringere. & prædictas villas auferre voluerit. liberam habeat poteſtatem Wirinbertus vel heres ejus ſua recipiendi. vel quod voluerit inde faciendi. Hi ſunt teſtes. Bernhard. Ibo. Benno. Bernhard. Wiribrath. Thiammo & Wirinzo. Beſcelin. Acelin. Bennig. Hocil. Ermindag. Ekbraht.* Poſtea in diviſione Sedium Archidiaconalium, Bernardo IV. Epiſcopo Paderbornenſi

bornenſi per diœceſin Paderbornenſem facta, LUGETHE appellatur.

Quantum ex vetuſtis literarum monumentis licet colligere, primi hujus urbis domini fuere Comites de Hallermundt, & deinde nobiles Domini de Homburg; ex quibus Wernerus nobilis Dominus de Homburg An. 1003. filiam ſuam Adelheidam Sigefrido Comiti de Eberſtein in matrimonium dedit, *Ludamque* dotem deſpondit. Quam longo poſt tempore Eberſtenii poſſederunt, & Albertus Comes de Eberſtein ære alieno oppreſſus, An. 1212. Abbati Corbeienſi primò oblatam, ſed per ſomnolentiam, ut ferunt, neglectam, Paderbornenſi Epiſcopo vendidit. Joannes Seilerus in Chron. Pyrmontano MS. cap. 21. & 22. Cæterùm graves ac diuturnæ, de Comitatu Pyrmontano & Ludenſi præfectura, cum Spiegelbergiis, Lippienſibus, Gleichiis, & Waldecenſibus Comitibus ſubinde exortæ lites, quæ multo utrimque ſanguine, ac damnis impenſiſque maximis ſteterant, fauſtis denique auſpiciis An. 1668. compoſitæ, conſtabilitâ in Pyrmontanum Comitatum ſucceſſione Paderbornenſis Eccleſiæ, & omni Ludenſis agri juriſdictione eidem tranſcriptâ, nunc tandem conquieſcunt.

2. AMBRA PERERRAT AGROS.] *Emmera* major, ut diſtinguatur ab Emmera minore, qui in *Werſam* haud procul urbe Monaſterienſi illabitur, ſic ad An. 784. appellatur Aſtronomo apud Reuberum, Auctori vitæ Caroli M. apud Pithæum, Adelmo, Auctori Annal. Francicorum apud Caniſium, Reginoni, & Poëtæ Anonymo. Accolis eſt *Emmer*, qui ſub radicibus ſilvæ Teutoburgienſis ad *Langelandam* vicum in Paderbornenſi diœceſi oritur, & Steinhemium, Schidram, Ludam & arcem Pyrmontanam prætervectus, in Viſurgim effunditur.

3. AMBRONES HABITASSE FERUNT.] Alii aliis terrarum oris *Ambrones* collocent; Nos cum Reinero Reineccio in commentario de origine Myſorum, & cum Joanne Pideritio in Chron. Lippienſi part. 1. cap. 6. ad *Ambram* noſtratem illorum ſedem ponimus, & ab *Ambra* denominatos cenſemus.

4. QUOS

4. QUOS CIMBRICUS OLIM.] Florus lib. 3. cap. 3. & quotquot *Cimbrici* belli meminerunt, *Cimbrorum* in Italiam irruentium ſocios faciunt Teutonos, qui *Ambronibus Ambræ* accolis vicini, ſiquidem in diœceſi Paderbornenſi & Lippienſi Comitatu, *Teutoburgium*, & *Teutoburgienſem ſaltum* tenuerunt, & nomine ſuo donarunt, facilè in ſocietatem hujus belli *Ambronas* pertraxerint, junctis copiis Italiam invaſuri. Hi igitur *Ambrones*, *Cimbris* per Noricum Italiam aggredientibus, in Gallias deflexerunt, unà cum Teutonis ſociis ſuis aliâ viâ irrupturi. Sed, teſte Plutarcho in Mario, ad Druentiam flumen, haud procul Aquis Sextiis, quas Teutoni tenebant, à Mario ſunt deleti, cùm ipſi ſoli Cæpionem, ac deinde Manlium Coſſ. unà cum exercitu Romano jam antè profligaſſent.

5. ILLIS ARMINII SUCCEDENS ARCE PROPINQUA.] De Germanorum veterum conſuetudine ſolum facilè crebroque mutandi, & de cauſis cur id facerent, ita Strabo l. 7. *Commune omnium eſt qui iſtis in locis degunt, facilis & expedita ſoli mutatio, ob tenuitatem victus, & quod neque colunt agros, neque fructus recondunt: ſed in caſis habitant ſtructurâ in unum diem conſtantibus; cibus eis à pecore plurimus, ut & Nomadibus: quorum etiam imitatione rebus ſuis in currus impoſitis facilè cum pecore ſuo abeunt quò viſum fuerit.* Unde, *vix invenies*, ait Seneca de Conſol. ad Helviam, *ullam terram, quam etiam nunc indigenæ colant; permixta omnia & inſititia ſunt. Alius alii ſucceſſit. Hic concupivit, quod alii faſtidio fuit; unde ille expulerat, ejectus eſt.* Sic in *Ambronum* ad *Ambram* ſedes Cheruſci immigrarunt, quos etiam cis Viſurgim habitaſſe, ſuprà in notis ad cladem Varianam §. 15. ex Dione lib. 54. oſtenſum eſt, & ex ejuſdem hiſt. l. 55. patet: *Druſum Chattorum fines ingreſſum, ad Sueviam uſque proceſſiſſe. Indè in Cheruſcorum agros converſum Viſurgimque tranſgreſſum, Albim uſque penetraſſe, cuncta depopulando.* Winkelmannus etiam in notitia veteris Weſtphaliæ lib. 1. cap. 8. num. 105. *Nec dubium eſt,* inquit, *Arminium hîc ſedem habuiſſe: extant enim adhuc reliquiæ arcis dictæ*, die Harmesborg / *ab Harminio propè* Schier / *verſus Luidam oppidum.* vid. Annal. Stangevolii lib. 1. Pideritium in Chron.

Chron. Lippienſi. Certè arx ipſa, quæ vulgò Hermingsburg nominatur, etiamſi diruta, in altiſſimo monte, ſitu ad bellum opportuno, veteris munitionis veſtigia adhuc oſtentat, & Arminii nomine gloriatur: qui illam, *abſcedentibus Romanis, & pulſo Maroboduo*, teſte Tacito lib. 2. Annalium, *regnum adfectans*, libertati popularium ſibi adverſæ, tanquam frænum impoſuiſſe perhibetur. Hanc à Carolo M. everſam memorat Joan. Seilerus in Chron. Pyrm. MS. cap. 19. Pideritius autem in Chron. Lippienſi part. 2. pag. 206. falsò putat hoc in loco Irmenſulam Saxonicam, & Heresburgum ſtetiſſe, quæ ad Dimolam erant indaganda.

6. ANNUA DEINDE PIO.] Id quod memoriæ prodidit vita Caroli M. apud Pithæum pag. 31. *Rex Carolus iniit conſilium ut hiemis tempore ageret in Saxonia, & celebravit Natale in Cidrioburgi (aliàs Sknidnosburg in pago Vaizawaga in villa* LUIDI*) ſuper fluvium Ambra. Inde abiens in Saxoniam pervenit uſque ad Rimia.* Annal. Francor. apud Caniſium: *Ibi inito conſilio cum Francis, ut iterum tempore hiemis iter faceret Domnus Rex in Saxoniam, quod & ita factum eſt, & celebravit Natalem Domini juxta Kidrioburg in pago Wazzaganni ſupra fluvium Ambram in villa* LUTUNDI. Regino in Chron. An. 784. *Rex itaque conſultis fidelibus, iteratò hiemis tempore Saxoniam intravit, & celebravit Natalem Domini juxta Kichrisburg Wizzagani, ſuper fluvium Ambra, in villa quæ dicitur* LINHIDI.


7. ET SCHIDROBURGUM.] Ita olim *Schira*, ſeu *Schidra vetus*, locus in Comitatu Swalenbergenſi, nunc Lippienſi, inter Steinhemium & *Ludam* ſitus, vocabatur. Adelmus Benedictinus ad An. 784. *Rex autem congregato iterum exercitu, in Saxoniam profectus: celebratoque in caſtris Natalitio Domini die, ſupra Ambram fluvium in pago Huthagoe, juxta caſtrum Saxonum, quod dicitur* SKIDROBURG, *ad locum vocabulo Rimi, quo Wiſura & Waharna confluunt, populabundus acceſſit.* Eadem verbis iiſdem commemorat Aſtron. apud Reuberum; Poëta Anonym. ad An. 784.

Arva petens, juxta fluvium conſederat Ambram,
Eſt ubi caſtellum, quod Skideronburg vocitatur.

Porrò hîc Carolum M. fundaſſe Eccleſiam Cathedralem, *quæ tamen pòſt per Brunonem & Tanquardum Saxones in Vallerſleve ſuper Ericam, & indè per Henricum primum in Vroſe oppidum Northuringiæ, & tandem per Ottonem Magnum An. 967. Magdeburgum ſit tranſlata*, teſtatur Chron. Mindenſe à Meibomio editum, Henricus de Hervordia, Joannes de Eſſendia, Rolevingius in lib. de laudibus antiquæ Saxoniæ, Hartmannus Scheidelius in Chron. & deſcriptione Magdeburgi, Pideritius in Chron. Lippienſi part. 2. pag. 206. Cleinſorgius in MS. Annal. Eccleſiaſt. Weſtphaliæ. Quemadmodum igitur Epiſcopatus hîc inſtitutus, ex alio loco in alium migravit, & prorſus hodie evanuit, ut de eo, & ſimilibus Germaniæ Eccleſiis illud Severi Imp. pro dolor! uſurpare jam liceat, *Omnia fui & nihil.* ita etiam *Schiram novam, veteri Schiræ* proximam, opulentum Blombergenſis Monaſterii Canonicorum Regularium S. Auguſtini prædium, Lippienſes Comites in rem ſuam, hoc eſt, uſum profanum converterunt. Piderit. in Chron. Lippienſ. pag. 626. Heu pietas! heu priſca fides!

8. CONCELEBRAT NOTÆ VENA SALUBRIS AQUÆ.] Fontes Pyrmontanos deſcribit Henricus de Hervordia in Cod. MS. de tempor. memor. ætat. 2. cap. 112. *In Weſtphalia quoque juxta oppidum*, inquit, LUDE *diœceſis Paderbornenſis fons eſt, qui dicitur* SACER FONS, *de quo ſiquis pronus biberit, in faciem ejus exilit, & quaſi expergi videtur. Ibidem eſt & alius fons, qui dicitur* FONS BULLIENS. *Iſte quaſi quadratus eſt de quatuor lateribus æqualibus; quolibet latere forte* 12. *pedum exiſtente, & fundus ſubter rubeus ad pallorem declinans. Nil in ipſum influit nec effluit, ſed continue bullit & ſonorè, ſic quòd ad jactum baliſtæ poteſt audiri. Propter ampullas magnas & viſcoſas in ipſo jugiter elevatas & diſruptas, perpetuæ eſt bullitionis.* Ita Henricus de Hervordia, qui An. 1370. defunctus, & An. 1377. juſſu Caroli IV. Imperatoris Mindæ præſentis exhumatus, & honeſtiori loco denuò ſepultus, Mindæ in templo Patrum Dominicanorum quieſcit. Chron. Mindenſe à Meibomio editum, pag 119. Poſtea An. 1556. *ſacrum* hunc *fontem* mirà vi multis gravibuſque morbis me-

medendi inclaruiſſe, & magno externorum concurſu celebratum narrat Joan. Seilerus in Chron. Pyrmont. MS. cap. 3. & Joannes Gigas medicus & Mathematicus inſignis, ortu Ludenſis, & Henricus Harius J. C. in deſcript. diœceſis Paderbornenſis ſingulariter jam olim commendarunt. Quem etiam nunc ſalubritate nobilem, viri Principes ac Dynaſtæ complures, quotannis certatim frequentant, non exiguo accolarum, & Ludenſium præcipuo emolumento.


Campus Caroli Magni Victoriâ
de Saxonibus nobilitatus.
Pagus

TROPÆA CAROLI M.

FRANCORUM REGIS,

IN CAMPO SINTFELD.

MEMORIÆ. SACRUM

NUNC. UBI. FERTILIBUS. LATE. FLAVESCIT. ARISTIS
TAM. CERERI. GRATUS. QUAM. SPATIOSUS. AGER
OLIM. CAMPUS. ERAT. QUO. PRÆLIA. SAXO. MINATUS
FRANCORUM. SIGNIS. OBVIA. SIGNA. TULIT
SED. VICTUS. CESSIT. TITULO. VICTORIA. DONAT
MOENIA. VICINO. CONSPICIENDA. JUGO
SI. MARATHON. PERSIS. NOMEN. FATALE. PEREMPTIS
MILTIADÆ. JACTAT. CLARA. TROPÆA. DUCIS
GLORIA. MAJOR. ERIT. CAROLI. QUI. PARCERE. VICTIS
MALUIT. HOSTILI. QUAM. JUGULARE. MANU

FERDINANDUS. DEI. ET APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO. DE. FURSTENBERG

CAROLO. M. FRANCORUM. REGI. SAXONIBUS. IN CAMPO. SINTFELD. AN. DCCXCIV. SUBACTIS. ET TERTIA. EORUM. PARTE. ALIO. TRADUCTA. DE RELIGIONE. CHRISTIANA. ET. PUBLICA. TRANQUILLITATE. OPTIME. MERITO
M. H. P

NOTÆ.

1. TAM CERERI GRATUS, QUAM SPATIOSUS AGER.] Quamvis hic ager longè latèque patens frumentis hodie abundet, fertiliores tamen ſegetes illic olim proveniſſe credibile eſt, quando frequentibus pagis habitatus diligentiùs colebatur; qui plerique omnes unà cum oppido *Blankenroda* Suſatenſi bello vaſtati, Theodorico Colonienſi Archiepiſcopo & Adminiſtratori Paderbornenſi, ſuum debent excidium. Tanti Eccleſiæ Paderbornenſi, cujus Suſatum nihil intererat, primum ſtetit conſilium, potentiorem è vicinia Principem cooptandi; qui hanc inſuper gratiam Paderbornenſibus retulit, ut à Martino V. Pont. Max. An. 1429. VIII. Kal. Decemb. Pontif. ejus An. 13. clam impetratis UNIONIS literis, diœceſin Paderanam Colonienſi conjungere & ſubjicere ſtuduerit. Sed hæc illius molitio fruſtra fuit, ſiquidem Eugenius IV. Pont. Max. ab univerſis Paderbornenſis diœceſis ordinibus de vero Eccleſiæ ſtatu certior factus, hanc *Martini unionem* malâ fide quæſitam, diplomate ſuo An. 1431. VI. Kal. Julii, Pontif. An. 1. reſcidit, & Eccleſiam Paderbornenſem Antiſtitis ſui fraude circumventam in integrum reſtituit.

2. OLIM CAMPUS ERAT.] Quem vita Caroli M. apud Pithæum *Sinitfelt*, Annal. Franc. incerti Auct. apud eundem *Sinifelde*, Annal. Fuldenſ. *Sinitfeldt*, Aſtron. apud Reuberum *Sintfelt*, Adelmus *Smetfeldum* pro *Sinetfeldun*, Regino *Finisfelt* pro *Sinitfelt*, Poëta Anonym. *Sinothfeld*, diplomata Ottonis III. Imp. & S. Henrici Regis, infra ad monument. Sendæ, *Soretfelt* & *Sorehtfeld*, quaſi infœcundum & ſterilem campum dicas, & ejuſdem Henrici literæ in monument. Saltus Teutoburgienſis editæ, *Sinatfeld* nuncupant. Item literæ Theodori de Herſe An. 1445. *de donatione bonorum in devaſtatis pagis, & marcis in* SENTFELDE, *in Haren*, *Knickenhagen*, *Wulfeſen*. Et literæ Stephani, Gerlaci, & Theodori de Malsborch, *de decima*

cima vaſtati pagi Oſtelrein in SENTFELDE *An.* 1481. *datæ*, SENTFELDE appellant. Unde, cum hodiernum nomen *Sentfelt* ab antiquo parum diſcrepet, miror Reinerum Reineccium, eruditiſſimum cæteroquin ſcriptorem, & Paderbornenſium locorum, utpote qui Steinhemii ad Ambram natus fuit, haud dubiè gnarum, in notis ad Poëtam Anonym. *Sendam*, Paderbornenſis & Lippienſis ditionis vaſtum deſertum, pro *Sintfelt*, interpretatum. Pari errore labitur Letznerus, qui pro *Sentfeld* hìc nobis *Wintfeld* obtrudit; & Henricus Hovelius in ſpeculo Weſtphaliæ veteris MS. qui *Sintfelt* in Delbrugia collocat. Vocabulo *Felt*, campum jam olim appellatum eſſe, liquet ex Aimoino lib. 2. c. 13. *Quo tempore Longobardi relictâ Rugorum patriâ venerunt in campos patentes, qui ſermone barbarico Felth appellantur.* Quid verò illud *Sinit, Sini, Sinet, Sinot, Sinat*, denotet, equidem neſcio. Bernardus Mollerus lib. 5. de Rheno, à ſynodo, quæ noſtratibus hodiedum *Sent* dicitur, unde *Sentgericht*, hoc eſt, judicium ſynodicum, hoc nomen deducit; quaſi Quinctilius Varus, qui *jurisdictionibus, agendoque pro tribunali ordine trahebat æſtiva*, jus ibi dixerit, ſive antiqui noſtri Saxones conventus egerint: quibus ſi æquè notum, uſitatumque Centenarum judicium fuiſſet, atque Alemannis & Francis fuit (de quo lex Alemannorum, & Beatus Rhenanus lib. 2. rer. German. *Regnum ſiquidem Francorum in Comitatus diviſum erat, hi in Centenas: harum autem Præſes Centenarius & Centgrafius, Aſſeſſores Scabini dicebantur*) ſuſpicari forſan liceret campum *Sentfeld* ex eo denominatum, quòd hujuſmodi judicia illic exercerentur.

3. QUO PRÆLIA SAXO MINATUS.] Saxones etſi tot præliis, tot cladibus fracti, identidem tamen Francorum jugum excuſſere, quemadmodum *victores victique nunquam ſolidâ*, ut Tacitus ait hiſt. lib. 2. c. 7. *fide coaleſcunt*. Quare teſte Aſtron. apud Reuberum An. 794. *Rex bipartito exercitu Saxoniam petere ſtatuit, eo videlicet modo, ut ipſe cum dimidia parte copiarum ab Auſtrali parte intraret; Carolus verò filius ejus cum alia medietate Rhenum apud Coloniam trajiceret, & in eandem regionem* ab

ab occidente veniret. Quo facto, licet Saxones in campo, qui SINTFELT *vocatur, quaſi prælium cum Rege commiſſuri conſediſſent, ibique adventum ejus opperirentur, amiſſâ victoriæ ſpe, quam ſibi paulò antè falsò pollicebantur, ad deditionem omnes converſi ſunt, victique ſine prælio, victoris poteſtati ſe ſubdiderunt. Dederunt igitur obſides, & jurejurando fidem Regi velle ſervare promiſerunt.* Eadem, ſed breviùs, narrat vita Caroli M. apud Pithæum. *Saxones autem congregati præparaverunt ſe ad bellum in campo* SINITFELT*: ſed cùm audiſſent ſe ex duabus partibus eſſe circumdatos, timore pleni promiſerunt ſe eſſe Chriſtianos, & fideles Domno Regi.*

4. FRANCORUM SIGNIS OBVIA SIGNA TULIT.] Antiquis Germanis noſtris militaria ſigna fuiſſe in uſu teſtatur Tacit. de Morib. Germ. *effigies, & ſigna quædam, detracta lucis, in prælium ferunt*, & lib. 4. hiſt. de Civili Batavo & Germanis hiberna legionum Romanarum in Rheni ripa obſidentibus. *Hinc veteranarum cohortium ſigna, inde depromptæ ſilvis luciſque ferarum imagines, ut cuique genti inire prælium mos eſt, mixta belli civilis externique facie obſtupefecerant obſeſſos.* Quarum autem fuerint ferarum imagines, nec Tacitus, nec alius quiſquam declaravit. Omnis generis animalium fuiſſe, quemadmodum apud Romanos & Ægyptios, maximè credibile eſſe, ait Cluverius Germ. antiq. lib. 1. c. 49. De Saxonum ſignis hæc ſcribit Widekindus Corbeienſis lib. 1. Annal. *Hic arripiens ſignum, quod apud eos habebatur ſacrum, leonis atque draconis, atque deſuper aquilæ volantis inſignitum effigie.* Francis verò tempore Pharamundi Regis uſitatos tres bufones aureos in area nigra, ſeu nigros bufones in area aurea; à Meroveo ex objecto viſo bufones verſos in leones; à Clodoveo leones in lilia, quæ cùm eſſent indefinita, Caroli VI. edicto tria retenta, aſſerit Theodorus Hoppingius Suſatenſis in ſuo de inſignibus opere erudito.

5. SED VICTUS CESSIT. TITULO VICTORIA DONAT MOENIA.] Annal. Fuldenſ. *Saxones in* SINITFELT *congregati à Carolo ſubacti ſunt, & tertius ex eis homo tranſlatus.* In Annal. incerti auctor. apud Pithæum eadem iiſdem pænè verbis referuntur. Ab hac victoria oppidum Wünnenberg in

in agro Sentfelt / edito loco ſitum, nomen accepiſſe creditur, ſicut Wintfelt / id eſt, campus victoriæ, à clade Variana. Lipſius in notis ad lib. 1. Annal. Taciti.

6. SI MARATHON.] Campi Marathonis, *qui abeſt Athenis circiter millia paſſuum decem, ingenti Perſarum clade nobilis*, meminit Cornelius Nepos in Miltiade. Eundem *magnarum & multarum virtutum teſtem* nominat Pomponius Mela lib. 2. vid. Herodotum lib. 6. Pauſaniam lib. 1. Juſtinum lib. 2. Agellium lib. 7. cap. 21.

7. PERSIS NOMEN FATALE PEREMPTIS.] *Pugnâ Marathonia nihil nobilius, nulla enim unquam tam exigua manus tantas opes proſtravit.* Cornelius Nepos l. c. *Ducenta enim millia Perſæ eo prælio, ſive naufragio amiſere.* Juſtin. l. 2. cap. 9. Oroſius. Ex Athenienſibus contrà centum & nonaginta tantùm milites deſideratos refert Herodotus.

8. MILTIADÆ JACTAT CLARA TROPÆA DUCIS.] *Miltiadi, qui Athenas totamque Græciam liberavit, talis honos tributus eſt in porticu, quæ Pœcile vocatur, quùm pugna depingeretur Marathonia; ut in decem Prætorum numero prima ejus imago poneretur, iſque hortaretur milites, præliumque committeret.* Cornelius Nepos l. c. Alterum Miltiadis præmium ſunt, tropæa ex hoſtium manubiis, quibus ſe à ſomno quotidie excitari jactabat Themiſtocles. Cicero 4. Tuſcul. quæſt. & Plutarchus. Porrò de Græcorum tropæa figendi conſuetudine, tum aliunde, tum ex Plutarchi Pelopida, & Cornelii Nepotis Datame liquet. Quinam autem primi inter Romanos tropæa poſuerint, tradit Florus lib. 3. cap. 2. *Domitius*, inquit, *Ahenobarbus, & Fabius Maximus, ipſis quibus dimicaverant locis, ſaxeas erexere turres, & deſuper exornata armis hoſtilibus tropæa fixere, cum hic mos inuſitatus fuerit noſtris. Nunquam enim populus Romanus hoſtibus domitis ſuam victoriam exprobravit.* Quod ſanè Germanicus Cæſar Germanis, Arminii militibus, in *campo Idiſtaviſo*, prope Eiſdorffium, haud procul Mindâ, inter Oldendorpium & pagum Stemmen / ſi Cluverio credimus; ſi verò Lipſio, in notis ad Tacit. Annal. lib. 2. n. 44. infra Bremam, mare verſus, ad pagum Vegeſack /

ſuperatis haud obſervavit: ita enim hac de re ſcribit Tacit. lib. 2. Annal. *Miles in loco prælii Tiberium Imperatorem ſalutavit. ſtruxitque aggerem, & in modum tropæorum arma, ſubſcriptis victarum gentium nominibus, impoſuit. Haud perinde Germanos vulnera, luctus, excidia, quàm ea ſpecies dolore & irâ adfecit.* Chytræus in deliciis itinerum, tradit hæc tropæa ſtetiſſe erecta cis Viſurgim in Comitatu Diepholtano, prope ſtagnum Dumeram.

9. QUI PARCERE VICTIS MALUIT.] Sic Carolus tertio quôque Saxonum, quos in *Sintfelt* ſubegerat, ut ſuprà meminimus, in alias oras traducto, reliquis ſupplicibus, more ſuo ignovit: *Præclaram victoriam ratus, in qua plus eſſet clementiæ, quàm crudelitatis.* Cornelius Nepos in Timoleonte. Probè etiam gnarus, *novum imperium inchoanti utilem eſſe clementiæ famam.* Tacit. hiſt. lib. 4. c. 63. &, *ſi egregium eſt hoſtem dejicere, non minùs eſſe laudabile infelicis ſcire miſereri.* Valerius Max. lib. v. Cæterùm de Saxonibus utriuſque Albis ripæ accolis in Galliam & Germaniam deportatis, ſuprà diximus in monumento Bocæ §. 7. Bonfinius etiam in remotiores provincias trajectos memorat, Decad. 1. lib. 9. *Non ſolùm*, inquit, *è Saxonibus abducti obſides Principum filii, ſed ut eorum vires honeſtiùs extenuarentur, multæ quoque ex his in Daciam, Pannoniam, diverſaſque regiones deductæ coloniæ, quarum adhuc innumeræ Sarmatiam, ulterioremque Daciam incolunt.* Secutus nimirum hac in re Carolus exemplum veterum Romanorum: Tiberius namque ex his ipſis locis, ubi Druſus adverſus Sicambros caſtellum Aliſonem poſuerat, *Sicambros traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit.* Sueton. in Aug. cap. 23. Quantus autem eorum, quos in Gallias Tiberius trajecit, numerus fuerit, Eutropius, quem ſequitur Lipſius libro 1. de magnitud. Rom. & Cluverius, memoriæ prodidit lib. 7. *Tiberius quadringenta millia captivorum ex Germania tranſtulit, & ſupra ripam Rheni in Gallia collocavit.* Eodem uſus conſilio Probus Imp. teſte Vopiſco, *accepit ſedecim millia tyronum*, (è Germanis noſtris) *quos omnes per diverſas provincias ſparſit, ita ut numeris vel limitaneis militibus, quinquagenos vel ſexagenos*

genos

genos interſereret, dicens: ſentiendum eſſe, non videndum, cùm auxiliaribus barbaris Romanus juvatur. De Vandalis & Burgundionibus à Probo devictis, & in Britanniam deportatis, Zoſimus lib. I. De Francis *à propriis ex origine ſedibus avulſis, ut in deſertis Galliæ regionibus collocati, etiam pacem Rom. Imperii cultu juvarent, & arma delectu*, Panegyrici, Conſtantino Imp. & Maximiniano Aug. dicti, meminerunt.


Heriſtallum, hodie Herſtell.

HERISTALLUM SAXONICUM, IN RIPA VISURGIS.

MEMORIÆ. SACRUM

SEU. TE. CÆRULEUS. PLACIDO. VEHIT. AMNE. VISURGIS
SIVE. FACIS. TERRA. CARE. VIATOR. ITER
PARVA. MORA. EST. FAMÆ. RELEGAS. MONUMENTA. VETUSTÆ
ET. PRECOR. HÆC. PAUCIS. CARMINA. SCRIPTA. NOTIS
MAGNUS. HERISTALLO. CAROLUS. DUM. SAXONAS. URGET
HIC. POSITIS. CASTRIS. NOMEN. HABERE. DEDIT
LEGATOS. HIEMANS. HIC. REGIA. DONA. FERENTES
AUDIIT. ET. NATOS. JUSSIT. ADESSE. SUOS
HIC. COEPTAM. RETULIT. FATO. MELIORE. CATHEDRAM
AD. VITREAS. PADERÆ. LENE. FLUENTIS. AQUAS
NON. TAMEN. OMNIS. HONOS. ABIIT. QUIN. ÆMULA. FRANCO
CERTAT. HERISTALLI. GLORIA. SAXONICI

FERDINANDUS. DEI. ET APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO. DE. FURSTENBERG

HERISTALLI. SUI. IN. RIPA. VISURGIS. CAROLI. M HIBERNIS. PIPINI. ET. LUDOVICI. FILIORUM. EJUS. CONVENTU. HUNNORUM. ET. ASTURIÆ GALLECIÆQUE. REGUM. LEGATIONIBUS. AN DCCXCVII. CELEBRATI. MEMORIÆ. POSUIT

NOTÆ.

1. HIC POSITIS CASTRIS NOMEN HABERE DEDIT.] Ita Aſtronom. apud Reuber. ad An. 797. *Conſilium iniit, ut ad conficiendum Saxonicum bellum in ipſa regione hyemaret. Sumpto igitur comitatu ſuo, Saxoniam petiit, caſtriſque ſuper Wiſuram poſitis conſedit, & locum caſtrorum* HERISTELLI *vocari juſſit.* Eadem fermè habet vita Caroli M. apud Pithæum: *Et Novembrio menſe mediante, ad hibernandum cum exercitu Saxoniam intravit, poſitiſque caſtris apud Wiſoram fluvium, locum caſtrorum* HERISTELLI *vocari juſſit.* Adelmus ad An. 797. *Sumpto igitur comitatu ſuo, Saxoniam petiit, caſtriſque ſuper Wiſuram poſitis conſedit, & locum caſtrorum* HERISTALLUM *vocari juſſit: Qui locus ab incolis uſque in præſens ita nominatur.* Poët. Anonymus:

—— Wiſuræ poſitis in littore caſtris
Sedit, Heriſtellique locum juſſit vocitari.
Hactenus hoc & habet nomen.

Item Gobelinus Perſona in Coſmodr. ætat. 6. cap. 38. Crantzius Metrop. lib. 1. cap. 12. Georgii Fabricii Origin. Saxon. lib. 4. hæc ſunt verba: *In eo loco, qui à ſtabulis Principum Herenſtelle appellatus fuit.* Henricus de Hervordia nominat *Ereſtal*, alibi tamen *Hereſtelle.* Contrà Henricus Meibomius, non tam à caſtris eo loco poſitis, quàm à palatio Francico in Annal. Francorum percelebri, cui ſitu loci & amœnitate ſimile fuerit, denominatum *Heriſtallum* putat.

2. LEGATOS HIEMANS HIC REGIA DONA FERENTES] Annal. Francici incerti auctoris apud Pithæum: *An. 798. Carlus cum exercitu hiemavit in Heriſtallio Saxonico. Hadofuns Rex Gallitiæ & Haſturiæ, per Floram legatum ſuum, papilionem miræ pulchritudinis Regi tranſmiſit.* Vita Caroli M. apud Pithæum: *Venit autem ad eum legatus Adefonſi Regis Gallitiæ & Aſturiæ nomine Froia, præſentans papilionem miræ pulchritudinis.* Adelm. Poëta Anonym. Regino.

3. AU-

3. AUDIIT, ET NATOS JUSSIT ADESSE SUOS.] Aſtronom. apud Reuber. *Exercitum verò quem ſecum abduxit, per totam Saxoniam in hyberna diviſit. Illuc Pipinum de Italica, & Ludovicum de Hiſpanica expeditione regreſſos ad ſe venire juſſit. Ibi legatos Hunorum cum magnis muneribus ad ſe miſſos audivit & abſolvit. Ibi legatum Adelphonſi Regis Aſturicæ atque Galetiæ ſibi dona deferentem ſuſcepit. Indè Pipinum ad Italiam, Ludovicum ad Aquitaniam remiſit: cum quo & Abdellam Saracenum ire juſſit, &c. Rex autem in Saxonia reſidens, ibi & Natalem Domini & Paſcha celebravit.* Item vita Caroli M. apud Pythæum: *Illuc venerunt legati Avarorum cum muneribus multis. Indè Abdellam Saracenum cum filio ſuo Ludovico in Hiſpaniam reverti fecit, & filium ſuum Pipinum ad Italiam miſit: ipſe ad diſponendam Saxoniam totum hyemis tempus impendit, & ibi Natale Domini, & Paſcha celebravit. Venit autem ad eum legatus Adefonſi Regis Gallicia & Aſturiæ nomine Froia, præſentans papilionem miræ pulchritudinis. In ipſo quoque Paſchæ tempore Nortluidi trans Albiam ſedentes, ſeditione commotâ, legatos ejus, qui ad juſtitias faciendas apud eos converſabantur, quoſdam occiderunt, quoſdam ad redimendum reſervarunt: ex quibus aliqui fugerunt, cæteri redempti ſunt. Rex Carolus collecto exercitu de* HERISTELLI *ad locum, qui dicitur Minda, perrexit, & contra deſertores inter Albim & Wiſoram peragravit totam Saxoniam. Nortluidi, cum Traſcione Duce Abodritorum, & Eburiſo legato Domni Regis commiſſo prælio, victi ſunt, & cæſi ex eis quatuor millia, cæteri qui evaſerunt, de pacis conditione tractaverunt.* Vide Adelmum ad An. 797. Poëtam Anonymum, Reginonem, alioſque.

4. HIC COEPTAM RETULIT FATO MELIORE CATHEDRAM.] Deſignatæ hîc ſedis Epiſcopalis nullum antiquiorem teſtem habemus Henrico de Hervordia, & auctore Chronici Mindenſis ab Henrico Meibomio editi, qui unde hoc acceperint, ignoramus. Quòd ſi autem vera eſt ipſorum ſententia, neceſſariò hanc fundationem, poſt Eccleſiam primò Paderbornæ conditam, & *ob incolarum loci perfidiam, & odium in religionem Chriſtianam*, ut ſcriptor vitæ Liborianæ apud Bollandum cap. 2. refert, *aliquoties igni traditam*, contigiſſe crediderim. Certè exiguo hîc tempore Cathedralis Eccleſia hæſit, ad primum locum antè reverſa, quàm An. 799. *Leo* III. *Pontif. Max. religioſum Caro-*

li

li ac ſalutare Chriſtianitatis dilatandæ ſtudium nobiliter inchoatum, Apoſtolicâ auctoritate firmavit, atque in Eccleſia tunc Paderbornæ noviter conſtructa quoddam altare conſecrans, adorandas in eo reliquias Protomartyris Stephani, quas ſecum Româ detulerat, collocavit. Vita S.Liborii l. c. Hermannus Kerſſenbrochius in catalogo Epiſcop. Paderborn. Verùm enim verò *Heriſtalli* ingentia murorum rudera, Patribus Franciſcanis in monte domicilii ſui fundamenta, hortique planitiem molientibus, ſub terra deprehenſa, amplum ſanè ædificium hîc deſignatum fuiſſe commonſtrant.

5. QUIN ÆMULA FRANCO.] *Heriſtallum Francicum*, palatium olim regium, (à quo Pipinus Heriſtallius, Caroli Martelli pater, Major domûs Regiæ, cognomentum induit) nunc vicus, *Herſtal*, Baroniæ titulo clarus, ad Moſam, haud procul à Leodico. Cenſetur juris Brabantini, ſpectatque ad gentem Naſſaviam. Diplom. Belgica Miræi, pag. 141. & 272. Crebra ejus mentio, in vita Caroli M. & Ludovici Pii Impp. in Poëta Anonym. Reginone, aliiſque Franciciæ hiſt. ſcriptoribus, occurrit; quod Reineccius in notis ad Poëtam Anonym. cum *Saxonico* noſtro malè confundit.

6. CERTAT HERISTALLI GLORIA SAXONICI.] Complura rerum geſtarum monumenta *Heriſtallum Saxonicum* præ *Francico* illuſtrant: Caroli M. caſtra & hiberna, Pipini & Ludovici filiorum ejus congreſſus, Hunnorum & Aſturiæ Galleciæque Regum legationes & munera, Cathedralis Eccleſiæ dignitas, atque hinc ſuſcepta in Saxones Tranſalbianos fauſta expeditio. Noſtrâ memoriâ An. 1632. menſe Octob. *Heriſtalli* arcem finibus ſuis imminentem, Haſſi vaſtarunt, ac demum An. 1637. menſe Martio incenderunt. Pari in hunc locum clementiâ jam olim uſi, An. 1465. D. Chriſtinæ ſacro die, ut vetus habet inſcriptio: HASSONES. URBEM. HERSTELLE. CUM. VILLA. DEVASTARUNT. ATQUE. CREMARUNT. Nobilis porrò *Falckenbergiorum* familia *Heriſtallum* diu poſſedit, & Henricus Dux Saxoniæ repigneravit quidem, ſed litibus indè exortis, ac demum compoſitis, Theodorus Furſtenbergius Epiſcopus & Princeps Paderbornenſis, à *Falckenbergiis* aliiſque creditoribus, præſenti pecuniâ 17666. aureorum redemptam,

An.

An. 1608. 13. Novemb. Eccleſiæ ſuæ recuperavit. Inter alia tum etiam conventum fuit, ut prope *Heriſtallum* certus *Falckenbergiis* concederetur locus novæ arci exſtruendæ opportunus. Hoc loco & genere *Falckenbergiorum*, ortus eſt *Theodorus Falckenbergius*, Guſtavi Adolphi Sueciæ Regis aulæ Mareſcallus, pedeſtris & equeſtris legionis ductor, & qui Regis ſui nomine Magdeburgum adverſus Tillium Catholici exercitus ducem propugnavit, atque urbe à Cæſareo milite captâ, direptâque, in ipſo ejus vallo occubuit. *Mauritius* contrà *Falckenbergius* equeſtris legionis Götzianæ legatus, Cæſari militavit; pòſt captus à Suecis, & paucis diebus antè dimiſſus, quàm ad Lutzam fuit dimicatum, eidem prælio interfuit, Regemque Sueciæ, quem paulò antè captivus, & propter merita *Theodori Falckenbergii* familiariter habitus, optimè de facie norat, plumbeâ glande ſauciatum equo primus dejecit, pariterque hoſtili telo transfixus concidit proximè Regem; cui humi proſtrato, fatali ictu ſuperveniens Georgii ab Oynhauſen Götzianæ legionis equitum magiſtri legatus, *Joannes* Schneberg / ex Bokendorp / diœceſis Paderbornenſis vico oriundus, ilia enſe confodit, peremit, ſpoliavitque exanimem.

Placuit hoc recens Paderbornenſium militum facinus, dum vetera monumenta percenſemus, hîc ſubnectere, & verbo ad poſteritatis memoriam conſignare: Ne qui alii, ut poſt victoriam ignavi etiam gloriantur, hanc ſibi laudem præcerpant. Nobis cùm certa fides ex iis, qui prælio interfuere, tum torques aureus Regi inter opima ſpolia à *Schnebergio* detractus, relatuſque teſtis eſt. Neque aliud nobis propoſitum, quàm partam Paderbornenſium nomini gloriam candidæ veritati aſſerere.


WEVELSZBURG
Arx à Reverendiſsimo et Illuſtriſsimo Principe
THEODORO Episcopo Paderbornensi ædificata, ubi olim
Hunnorum temporibus, et postea à Friderico
Arnsbergæ Comite castellum ſitum fuit.

WEVELSBURGUM

PROPE BODECAM, MONASTERIUM S. MENOLPHI.

MEMORIÆ. SACRUM

ECCE. WEVELSBURGI. SAXO. FUNDATA. VETUSTO
ARX. QUÆ. TURRITUM. TOLLIT. AD. ASTRA. CAPUT
INDOMITIS. OLIM. PATRIAM. DEFENDIT. AB. HUNNIS
DAMNA. DEDIT. PATRIÆ. NEC. SEMEL. ILLA. SUÆ
QUANDO. FEROX. ARMIS. FRIDERICUS. SÆVIIT. HOSTIS
NON. IMPUNE. TAMEN. QUÆ. TULIT. ARMA. NEPOS
SIC. VARIAS. EXPERTA. VICES. DOMINOSQUE. FREQUENTES
SUBDIDIT. IMPERIO. SE. THEODORE. TUO
FORTUNATA. NIMIS. SI. QUAS. NON. LÆSERAT. HUNNUS
INTACTAS. SINERET. GOTTHICUS. IGNIS. OPES

FERDINANDUS. DEI. ET APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO. DE. FURSTENBERG

WEVELSBURGUM. VETUSTISSIMUM. AB. HUNNORUM. GERMANIAM. DEVASTANTIUM. MEMORIA. CASTELLUM. A. FRIDERICO. ARNSBERGÆ COMITE. INSTAURATUM. ET. MUNITUM. A. COMITIBUS. WALDECENSIBUS. AD. ECCLESIAM PADERBORNENSEM. TRANSLATUM. A. BURANIS. DYNASTIS. TUM. BENEFICII. TUM. PIGNORIS LOCO. DIU. POSSESSUM. A. THEODORO. EPISCOPO. ET. PRINCIPE. PADERBORNENSI. RECUPERATUM. ET. A. FUNDAMENTIS. EXSTRUCTUM. A SUECIS. INCENSUM. A. THEODORO. ADOLPHO EPISCOPO. ET. PRINCIPE. PADERBORNENSI MAJORI. EX. PARTE. RESTITUTUM. POSITO. HOC. MONUMENTO. EXORNAVIT

NOTÆ.

1. WEVELSBURGUM] Etymon *Wevelsburgi* obſcurum atque incertum eſt. Bodecenſes quidem in literis ſuis memorant, ſenum traditione quendam Wevelonem Buranum, permiſſu Abbatiſſæ Bodecenſis, primum hoc loco poſuiſſe domicilium, & *Wevelsburgo* nomen dediſſe. Verùm in genealogia Burana Gaſparis Schioppii, atque antiquis literarum monumentis, neminem è Buranis hoc nomine uſum lego. Huic cognominis locus eſt in Helvetiis, dictus *Wevelsburg*, qui viris doctis eſt Aventicum Taciti, & Avanticum Ptolemæi.

2. PROPE BODECAM, MONASTERIUM S. MENOLPHI.] Gobelinus Perſona in Coſmodromio ætat. 6. cap. 40. de auctore Bodecenſis Monaſterii, ſancto Menolpho, ita narrat: *Carolus poſtquam Weſtphalos ſubegit, S. Meinulphum de fonte levavit, & matrem ejus Wichtrud dictam, patre ejus defuncto, in ſuam protectionem recepit: quoniam frater mariti defuncti vim ſtupri ſibi conabatur inferre. Hic Meinulphus nobilibus parentibus exortus, Archidiaconus in Eccleſia Paderbornenſi, de bonis paternis Monaſterium Monialium ſeu Canonicarum regularium, in villa Bodicken Paderbornenſis diœceſis, fundavit & dotavit.* Etſi verò idem Gobelinus Perſona cap. 41. hæc ſubjungat: *Quòd Meinulphus* (qui erat unus è legatis, quos An. 836. B. Baduradus Epiſcopus Paderbornenſis, ad reliquias S. Liborii impetrandas, ad Cenomanos miſerat) *in Eccleſia S. Vincentii Cenomanenſi vovit Monaſterium Sanctimonialium fundare, in honorem B. Mariæ & S. Liborii, in loco, qui dicitur Bodicon*; & Crantzius Metrop. lib. 1. cap. 28. aſſerat, ideò *S. Meinulphum fundandi Monaſterii* votum nuncupaſſe, *ut proſperare dignaretur Deus legationem eorum.* Nulla tamen hujus voti apud Cenomanos nuncupati fit mentio in vita S. Menolphi, quæ extat, & quam ipſe Gobelinus conſcripſit. Imò huic narrationi adverſari videtur, quòd S. Menolphus jam antè, quàm ad Cenomanos legatus iret, Ludovicum Pium Imperatorem, ſua-

ſuaſu Baduradi Epiſcopi, An. 816. Aquiſgrani in Concilio provinciali acceſſerit, facultatem ædificandi Monaſterium ab eo impetraturus, & quòd Ludovicus *grato animo petitionem ejus acceptans, litteras ſuo ſignatas ſigillo ſuper ſuo conſenſu gratioſè conceſſerit.* Vita S. Menolphi, & ex ea Baronius ad An. 816.

De fundatione aliquantò accuratiùs agunt veteres Bodecenſis Monaſterii literæ, his verbis. *Beatus Maynulfus divina revelationis inſtinctu cæleſtique viſione inſtructus, quoddam Monaſterium, quod Weſtfalica lingua Bodeken, quaſi parvum dolium appellavit, in terra patrimonii ſui, approbante Imperatore, qui tunc Aquiſgrani fuerat, ſolemniter conſtruxit, & ipſum Monaſterium de bonis ſuis temporalibus, quæ multa erant, largiter dotavit; & inibi nobiles feminas & devotas, quæ vulgariter Doemvrouwen nuncupantur, inſtituit, quibus ſanctus vir omnem foris evagandi occaſionem in vim majoris ſtabilitatis præcludere volens, provida diſpenſatione conſtituit ſex Armigeros circumjacentes, tanquam procuratores Monaſterii prædicti, quibus bona ſua abundanter diſtribuit, tam in villis, quàm in grangiis, ut de his bonis Monaſterio prædicto certis temporibus anni omnia neceſſaria pro victu & veſtitu miniſtrarent. Sed & aliis Vaſallis Armigeris bona pheodalia contulit, ut & ipſi eſſent fideles defenſores Monaſterii prætacti, & ſubjecti eidem. Propter hoc omne jus infeodandi, & conferendi ipſa bona pheodalia tranſtulit in ipſas Dominas, & earum Monaſterium. Porrò his munitionibus feminarum non contentus ſanctus Pater Maynulphus, potentiorem nobilem de vicinis conſtituit in præfectum, & ſuperiorem defenſorem omnium bonorum Monaſterii, ac cauſarum emergentium, quantumcunque certis ſibi bonis, ac penſionibus de ſingulis officiis, ut commodiùs onus hujuſmodi portare poſſet, deputatis, ut his vallatæ circumquaque tutoribus prædictæ feminæ Deo devotis famularentur obſequiis. Cujus quidem ordinationis & inſtitutionis diſpoſitio literis ſigillatis expreſſiùs habetur in prædicto Monaſterio, & ſtetit hæc ordinatio per plures annos poſt mortem beati viri Maynulphi. Sed heu convenerunt inimici omnis religionis, dignitas generis, ocium, & voluptas, & caſtra Dei ac patrimonium Chriſti funditus devaſtantes nihil reliquerunt, proinde dicti officiati, & vaſalli bona ſibi deputata pro miniſtratione neceſſariorum Monaſterii ſibi appropriarunt, vendiderunt, & he-*

 redi-

redibus ſuis tanquam propria, nemine contradicente, reliquerunt. Ita Bodecenſis Monaſterii virgines multis domeſticis difficultatibus conflictatas, haud minoribus damnis atque injuriis externi affecerunt, quando *Nobiles de Furſtenberg ex Waterlappe, propter Nobiles de Brencken, Eccleſiam Bodecenſem unà cum Monaſterio incenderunt, id damnum ipſos quidem Furſtenbergios reſarſiſſe, ſed dono ab aliis interverſo, nihil indè commodi Bodecenſes eſſe conſecutos,* in literis ſuis Bodecenſes ipſi jure conqueruntur. Verumtamen ne ſimiles in Paderbornenſem ditionem incurſiones deinceps fierent, Henricus Spiegelius Epiſcopus Paderb. cavere videtur voluiſſe his literis, quas Latinè vertimus, & Arnoldus de Brencken, nobili genere, virtute ac doctrinâ vir æquè conſpicuus, in ſchedis ſuis repertas, & ab Henrico Epiſcopo Paderbornenſi, ſecuritatis utique causâ, ipſius majoribus relictas, nobiſcum antehac communicavit. *Nos Wenemarus de Forſtenberg, & Fridericus ejus filius præſentibus literis profitemur, & teſtatum facimus, nos cum venerabili D. Henrico Epiſcopo Paderbornenſi in hæc pacta amicè conveniſſe, quòd omnibus actionibus, quæ nobis in illum, & illius ſubditos poſſent competere, ſuperſedebimus, quoad prædictus Dominus vixerit. Quòd ſi autem inter ipſum, aut ejus ſubditos, & nos nova deinceps oriretur controverſia, eam intra quatuor hebdomadas, coram Epiſcopo prædicto, jure proſequemur: quo temporis ſpatio ſi jus redditum non fuerit, liberum nobis erit, ſalvâ hâc tranſactione, eum adire, qui jus noſtrum nobis tribuat. Contrà ſi Epiſcopo, aut illius ſubditis nova nobiſcum controverſia poſthac intercedet, eâque ſuper re appellabimur, intra proximas quatuor hebdomadas id, quod juſtum erit, faciemus. Caſu autem quo Epiſcopus officio Mareſcalli Weſtphaliæ abiret, & Colonienſibus bellum inferret, fas erit nobis, ſalvis his pactis, Colonienſi Archiepiſcopo opitulari. Porrò ſi Epiſcopus, aut illius ſubditi nos hoſtiliter aggrederentur, ſalvis item his literis, nobis licebit viciſſim hoſtilia facere. Quæ uti conventa ſunt, nos Wenemarus ac Fridericus ejus filius bonâ fide, quæ juramenti loco valeat, firmiter, ac ſine dolo nos obſervaturos pollicemur. In cujus rei teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus literis appendimus. Datum Anno Domini* MCCCLXX. *feriâ quintâ poſt octavam Apoſtolorum.* Bodecenſis igitur Monaſterii fortunis

tunis unà cum diſciplina, & cultu divino miſerandum in modum ita dilapſis, ut *ex omnibus ipſius ædificiis ſola Eccleſia, plus tamen, fimo & immunditiâ ejus teſtantibus, pro receptaculo beſtiarum, quàm pro divini cultûs exhibitione perduraret, & in Capellis eidem Eccleſiæ quondam annexis, tunc verò dirutis, imò ſuper ipſa altaria Capellarum, ſicut in ſaltu, virgulta ſuccreſcerent, & tam Canonicæ, quàm Rector parochialis curæ, ac etiam Clerici cæteri, ſolâ Abbatiſsâ ibidem in tugurio ruſticano degente, terram fructiferam tanquam eis verſam in ſalſuginem abhorrentes, locum ipſum dudum reliquerint*, Walburgis de Walde, Abbatiſſa Bodecenſis, ipſam Abbatiam cum Monaſterio, reſervato ſibi uſufructu certæ penſionis annuæ, Wilhelmo de Monte Epiſcopo Paderbornenſi, An. 1408. Indict. 1. Kal. Septembr. reſignavit: is verò An. 1409. 17. menſ. Julii, idem Monaſterium à ſe reformatum, *honorabili viro Joanni Wail Priori Monaſterii Canonicorum regularium in Swollis, Trajectenſis diœceſis, tradidit, conceſſit & aſſignavit.* Ex antiquis literarum Bodecenſium monumentis, & Gobelini Perſon. Coſmodromio ætat. 6. cap. 90.

3. INDOMITIS OLIM PATRIAM DEFENDIT AB HUNNIS.] Sicut Carolus M. bello per *octo* annos geſto *Hunnos* egregiè contudit, *quo tota eorum nobilitas, tota gloria decidit; omnis pecunia, & congeſti longo tempore theſauri direpti ſunt, quibus Franci antè pauperes tunc ditati, & opibus aucti:* Eginhardus in vita Caroli M. ita *Hungari*, *Hunnorum* progenies, jam indè à Ludovici III. & Conradi I. imperio, aſſueti flammâ ferroque interiorem Germaniam depopulari, Henricum Aucupem Germaniæ Regem inprimis exercuerunt, qui nuſquam tutus, *in præſidio urbis Werlaon* (quæ nunc *Werla*, ditionis Colonienſis in Weſtphalia oppidum) *Hungarorum* impetum declinavit; donec pactis novem annorum induciis, atque urbibus interea communitis, & legibus Reipublicæ ſalutaribus latis, omnibuſque ad vim propulſandam compoſitis, *Hungaros* tributum exacturos, magnoque cum exercitu iterum in Saxoniam irruentes, ingenti clade hoſtibus illatâ, repulit fugavitque. Luitprandus lib. 2. hiſt. cap. 8. & 9. Widekindus Corbeienſis Annal. lib. 1. Adamus

mus Bremenſis lib. 1. cap. 46. & ex eo Albertus Stadenſis, Gobelinus Perſona in Coſmodromio ætat. 6. cap. 47. *Poſthæc Hungari invadunt Saxoniam, & undique ſævientes omnia vaſtant, & Monaſterium in Hervorde Paderbornenſis diœceſis deſtruunt.* Id quod Henrici ipſius diploma Hervordienſi Parthenoni datum etiam nos docet.

IN *nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.* HEINRICUS *divina favente clementia Rex. Omnium namque fidelium noſtrorum petitionibus Serenitatis noſtræ aurem accommodare oportet. maxime tamen eorum qui de ſacris mentionem faciunt cœnobiis obtemperare decrevimus. Nam noſtris crebreſcentibus peccatis multimodas paganorum caſtigationes quibus Chriſticolas afflixerunt ſentimus. Inter quas etiam Mathildam dilectam conjugem noſtram unà cum Bodarbrunnenſis æccleſiæ Epiſcopo videlicet Unwano. ſeu & cæteris fidelibus noſtris. de ſanctis Herivurdenſis monaſterii monialibus interpellantem cognovimus. quatinus illarum præcepta regia. quæ ab ethnicorum infeſtatione exuſta ſunt. renovari præciperemus. Quapropter noverit omnium fidelium noſtrorum induſtria. quia miſeratione earum repleti. ob amorem Dei Sanctorumque. petitionibus eorum aſſenſum præbentes. prout ea ab anteceſſoribus noſtris habere videbantur. noſtræ auctoritatis renovatione prænotare juſſimus. ea videlicet ratione. ut quicquid in veſtitura ſupradicti loci. ſive de Regum vel cujuſlibet perſonæ traditione appareat. nullo injuſtæ contradictionis impedimento. æternaliter ad ejuſdem congregationis nutrimina perſeveret. quatinus abſque alicujus ſecularis vexationis conflicto. ſub noſtræ tuitionis munimine. dignas ac Deo placitas perſolvere ſtudeant laudes. Noſtraſque noſtrorumque anteceſſorum quam & ſucceſſorum frequentent orationes. Quorundam autem locorum vocabula. quæ quidam falſitatis fraude abſtrahere conantur. huic conſcripto ſubnectere præcepimus. Angereſgawe. Wineſwalde. Overanberh. Liudwideſdorp & Hunbech ſecus fluvium Sigina. Hæc omnia cum reliquis cunctis poſſeſſionibus tam in agris cultis & incultis. quam & in omnibus appendiciis ad præfatum locum reſpicientibus. firma ſtabilique ſtatione in jam dictæ familiæ poteſtate perenni tempore conſiſtant. Et ut hoc noſtræ confirmationis præceptum firmum ſtabileque permaneat. manu noſtra ſubtus illud firmavimus. anuloque noſtro ſigillari præcepimus.*

Si-

Signum Domni HEINRICI *Sereniſſimi Regis.*
Simon notarius ad vicem Herigeri Archiepiſc. Cappellani recognovit.
Data XV. *Kal. Apr. Anno incarnationis Domini* DCCCCXXVII. *Indictionum* XV. *Anno vero regni glorioſiſſimi Heinrici* VII. *Actum Aſtnid. in Dei nomine feliciter. Amen.* Idem nobis innuit auctor vitæ B. Meinwerci apud Browerum §. 49. his verbis: *Meinwercus in Herivordia baſilicam S. Mariæ, quæ vocatur ad Crucem, dedicavit; quam ipſa unica ſpes mortalium ad ſingulare inibi miſerorum refugium ſibi conſtrui mandavit: ſiquidem Eccleſia Herivordenſis, ſicut Eccleſia Corbeienſis, in Epiſcopatu Paderbornenſi ſita, à Ludovico filio Caroli M. conſtructa, & à B. Badurado Paderbornenſi Epiſcopo dedicata, quæ omni priſtini honoris & decoris ornatu, tam Ungarorum devaſtatione, quàm fratris Bernardi Ducis Saxoniæ Thietmari invaſione ſpoliata, propemodùm fuerat deſtituta.* Quæ hîc de Thietmaro, qui teſte Ditmaro lib. 7. ipſum etiam Meinwercum Epiſcopum Paderbornenſem *diſpoliavit*, paucis attinguntur, ea ab auctore vitæ ejuſdem B. Meinwerci, cujus autographum MS. Paderbornæ apud cœnobitas Abdinghoffenſes extat, fuſiùs enarrantur, & hoc loco referre juvat, ut noſtri homines, illibatam illo ſæculo Eccleſiaſtici magiſtratus in caſtigandis improbis vim & auctoritatem, & principum virorum adverſus Epiſcopos reverentiam, obſequium & ſubmiſſionem, vel hoc veteris diſciplinæ exemplo, condiſcant. *Thietmarus*, inquit, *ſenior frater Bernhardi Ducis Saxoniæ, vir in hoc mundo valde idoneus fuit, ſed tam vitiis plenus, quàm rebus, ſuperbiâ tumidus, in acquirendis rebus avaritiæ facibus accenſus. Denique contra jus & fas ubique fidelium res invadens & diripiens, inter cætera tyrannidis ſuæ opera, quodam tempore iter ſuum ad Monaſterium Herivordiæ direxit, facienſque ibi magnam munitatem, Sanctorum ibidem requieſcentium, & ſuæ ſororis Abbatiſſæ nomine Godeſtæ, & congregationis S. Mariæ theſaurum confregit, & indè plus juſto pecuniæ detraxit. Poſtea ad ſynodum ſecundùm canonicam conſtitutionem ab Epiſcopo Meinwerco vocatus, ad corrigendum commiſſa eſt admonitus. Quo ſalubriter compuncto, & utiliter correcto, conſtitutum eſt, eum Epiſcopo dare* XXX. *talenta denariorum. Illo autem pecuniæ pondus tantum non habente, omne prædium, quod habuit in Bruninchtorpe, cum omni-*

omnibus appendiciis, cum conſenſu & voluntate ſui hæredis Bernhardi Ducis atque fratris ſui, ad dominium Patherburnenſis Eccleſiæ, pro reconciliatione illius pecuniæ, in proprium dedit. Hanc traditionem Epiſcopus banni ſui munimine firmavit, Udone, Herimanno, Bernhardo, Liudero Comitibus, & aliis multis aſſiſtentibus. Tantum de Thietmari in Hervordienſes, & *Hunnorum* in Saxoniam incurſione. Quâ etiam tempeſtate *caſtrum Weſelsborg conſtructum* refert Gobelinus Perſona in Coſmodromio ætat. 6. cap. 58. Albertus Crantzius Metrop. lib. 6. cap. 9. Joannes Horrion in Panegyrico Paderbornenſi lib. 2. cap. 3.

4. QUANDO FEROX ARMIS FRIDERICUS SÆVIIT HOSTIS.] De Friderico Arnsbergenſi Comite ita Gobelinus Perſona l. c. *Anno ſequente*, id eſt, An. 1123. *Fridericus Comes Weſtfaliæ de Arnsburg, homo ferociſſimus mortuus eſt, qui caſtrum* Wevelsburg/ *antiquitus tempore Hunnorum conſtructum, vetuſtateque temporis neglectum reſtauraverat, anno uno ante obitum ſuum: à quo totam viciniam multiplicibus angariis vexare non ceſſavit.* Ejuſdem etiam meminit Crantzius l. c. *Erat eâ tempeſtate homo ferox, Comes de Arnsberg Fridericus, qui ſe Weſtphaliæ Dominum prætenderet. Is cùm arcem vetuſtiſſimam ab Hunnorum memoria* Wevelsburg *renovaſſet, multos inde incurſans, præſidio firmavit: ſed ille haud diu pòſt vitam finivit.* Item Ægidius Gelenius lib. 3. hiſt. S. Engelberti cap. 42. *Fridericus Comes de Arnsberg ab inquieto animo dictus bellicoſus, bellum geſſit contra Fridericum Colonienſem An.* 1102. *quo tempore ab Imperatore proſcriptus fuit; Burchardum cepit Monaſterienſem An.* 1105. *Caſtrum Wevelsburgenſe inſtauravit ac munivit An.* 1122. *Tandem cùm improbiùs ptis generi ſui S. Godefridi Cappenbergenſis conatibus obſiſteret, in prædicti caſtri, quo & S. Norbertum tenebat concluſum, obſidione mortuus An.* 1123. Abbas Stadenſis An. 1124. obiiſſe affirmat. Vita MS. B. Godefridi Cappenbergenſis à Chryſoſtomo van der Sterre citata, de mortis genere hæc nominatim: *Dirupto ventris thorace idem Fridericus ſedens in prandio medius crepuit.* Quantus autem Eccleſiaſticorum hoſtis Fridericus, tantus fautor Godefridus ultimus Comes Arnsbergenſis fuit, qui unà cum ſua conjuge Anna

Anna Clivenſi, Comitatum Arnsbergenſem An. 1368. 25. Auguſti, Cunoni Adminiſtratori Colonienſis Eccleſiæ vendidit, *cum juribus, dominiis, juriſdictionibus altis & baſſis, ac mero & mixto imperio, ac ſpecialiter cum caſtris & oppidis in Arnsberg, in Nehem, in Eversberg, in Hirtzberg, item in villis & oppidis, in Huſtene, in Aldendorp, in Sundern, in Langeſcheid, in Hachen, in Frehenolen, in Stegenhagen, in Bodenfelde, in Meſcheide, item cum villis & parochiis in Korbecke, Allagen, Bremen, Voiswinkele, Eggrinhuſen, Balue, Affele, Stocheim, Hielvelde, Kalle, Velmede, Remmelinckhuſen, Bye, Reſte, Weenholthuſen, Haerbocke, Yſſelpe, Oeverenkirchen, Eſſelne, Wurmbecke, Lene, Overſunderne, Oldinge, Berghuſen, cæteriſque villis & parochiis univerſis. Item cum dignitate, officio, ſeu prærogativa juris Primipilariatûs, ſeu Antebellatoris inter Weſeram & Rhenum, nec non cum omnibus & ſingulis Hominibus, Miniſterialibus, Caſtrenſibus, Fidelibus, Vaſallis, Militaribus, oppidanis, villanis, litonibus, ſervis & ancillis, & ſubditis quibuſcunque.* Hæc ad verbum ex literis, quas præter Godefridum & Annam Comites obſignarunt, *Antonius de Reidere, Rutgerus dictus Kettelere Milites, Heidenricus dictus de Wolff, Arnoldus Hacken, Wilhelmus dictus Quaterland, Arnoldus de Berninghuſen, Joannes dictus Schureman, & Conradus dictus Wrede, Armigeri, Caſtrenſes, & Fideles, nec non Proconſules, Conſules ac Univerſitates oppidorum, Arnsberg, Nehem, Grevenſtein, Hirtzberge.* Poſteà *Fridericus Archiepiſcopus Colonienſis*, ut obiter hoc referam, *diœceſi ſuæ Colonienſi, ſummum militiæ gubernatorem & Arnsbergenſi provinciæ primum Satrapam, magno cum imperio præfecit, Wenemarum Furſtenbergium, conſiliarium ſuum intimum; juſſitque inſuper Mareſcallo Weſtphaliæ* (Henrico Epiſcopo Paderbornenſi) *ditionem Colonienſem tuenti adeſſe, omnibuſque Eccleſiæ Colonienſis hoſtibus, tanquam ſuis, adverſari; nec permittere, ut quis ullum Caſtellum aut munimentum in ditione Colònienſi, aut ejus vicinia excitet, citra ſuam voluntatem & veniam; ſi quid autem horum extructum fuerit, dejicere ac vaſtare, & præterea juſſit ſtipendiis publicis eò loci cum copiis ſuis excubare, ubi major provinciæ neceſſitas fuerit hoſtibus reſiſtendi atque incommodandi, &c.* Ex literis An. 1371. die Jovis poſt feſtum S. Luciæ datis.

5. NON IMPUNE TAMEN QUÆ TULIT ARMA NEPOS.] *An. Conradi Cæſaris* 6. id eſt, An. 1143. *Comes de Arnsberg deprædationes, & incendia exercet in diœceſi Paderbornenſi,* teſte Gobelino Perſona in Coſmodrom. ætat. 6. cap. 59. Quem Henricum nominat Gaſpar Bruſchius in catalogo Epiſcoporum Paderbornenſium; Conradum verò vocant, *& multoties Bernardo I. Epiſcopo Paderbornenſi injurium, ingenti prælio ab eo victum* tradunt, Gerhardus Cleinſorgius in hiſt. Eccleſiaſt. Weſtphaliæ MS. Hermannus Kerſſenbrochius, & Henricus Hovelius in catalogo Epiſcoporum Paderbornenſium. Item Ægidius Gelenius lib. 3. hiſt. S. Engelberti: *Conradus Comes in Arnsberg, qui in prælio contra Bernardum Epiſcopum Paderbornenſem ſuſcepto, occubuit circa annum Chriſti* 1143. Hardehuſanus quoque codex membraneus MS. de geſtis Bernhardi primi Epiſcopi Paderborn. fundatoris Hardehuſani teſtatur, *contra potentem Comitem de Arnesberc, qui infeſtabat Eccleſiam Paderbornenſem, multis expenſis eum dimicaſſe.*

6. SIC VARIAS EXPERTA VICES DOMINOSQUE FREQUENTES.] Poſt Comites Arnsbergenſes *Wevelsburgum* in poteſtatem venit Comitum Waldecenſium, à quibus ad Eccleſiam Paderbornenſem tranſiit, mediâ ejus parte Bartholdo nobili de Büren beneficii loco conceſsâ, ut habent literæ antiquæ.

NOS OTTO *Dei gratia Monaſterienſis Eccleſiæ Electus & Confirmatus, ac Simon nobilis Dominus de Lippia, univerſis præſentia viſuris, & audituris cupimus eſſe notum, quòd tranſlato Caſtro de* WEVELSBURG *per noſtrum nobilem Comitem de Waldeck in Eccleſiam Paderbornenſem, de voluntate & conſenſu hæredum ſuorum, cum omni jure, quod idem Comes ſe habere dicebat in eodem, inter venerabilem Patrem D. Ottonem Paderbornenſem Epiſcopum nomine prædictæ Eccleſiæ ſuæ, & Bartholdum nobilem juniorem de Büren, per Nos de conſenſu parentum prædictorum talis eſt ordinatio inſtaurata, videlicet quod præfatus Bartholdus & ſui hæredes medietatem dicti Caſtri ab Epiſcopo Paderbornenſi qui nunc eſt, & pro tempore fuerit, nomine jam dictæ Eccleſiæ jure homagii recipient & perpetuo* poſſi-

poſſidebunt; Præfatus etiam Bartholdus & ſui hæredes dictum Caſtrum expenſis vigilum & cuſtodum portarum, unà cum Epiſcopo & Eccleſia cuſtodient, & cuſtodiri æqualiter procurabunt, æquali jure portarum clavibus utendo; Epiſcopus quoque prælibata Eccleſiæ ipſum Bartholdum, & ſuos hæredes in omni jure eorum conſervabit, & permittet eoſdem in jure ſuo liberè permanere; è converſo Bartholdus & ſui hæredes facient fidelitatem, & debita ſervitia Epiſcopo & Eccleſiæ ſupradictæ, prout de jure tenentur. In præmiſſorum teſtimonium, fidem & firmitatem ſigilla noſtra cum ſigillo ſæpedicti Bartholdi præſentibus duximus apponenda, & ego Bartholdus nobilis ſupradictus ſigillum meum præſentibus appoſui in teſtimonium præmiſſorum. Datum Anno Domini MCCCI. *Feriâ quartâ poſt aſſumptionem Beatæ Mariæ.* Hanc dimidiam partem dynaſtiæ Wevelsburgenſis, *cum dominio, frigraviatu, advocatia, mero & mixto imperio, juriſdictionibus & juribus, cum villis & parochiis in Erlen, Borne, Haren, Helmeren, Attelen, Hengelern, Huſen, Dalem, Verſte, Bocken, Nuttelen, Hattope, Sinkeſſen, Snevelde, Schwafern, & reliquis omnibus villis in iiſdem parochiis ſitis*, Simon Nobilis de Büren, conſentientibus Bartholdo Præpoſito Abbatiæ Werdinenſis, Bernardo & Joanne fratribus ſuis, vendidit Ruperto Epiſcopo Paderbornenſi An. 1391. in Octava omnium Sanctorum. Ab iiſdem tamen fratribus jam antè Simoni Epiſcopo Paderbornenſi venditam fuiſſe, indicant literæ antiquæ An. 1384. craſtino decollationis S. Joannis Baptiſtæ datæ, in quibus fatetur Simon Epiſcopus ſe Wevelsburgi arcem & dynaſtiam *cum parochiis Bodeken, Kerchberge, utriuſque Tudorpe, villis Haren, Ettelen, cum omnibus proventibus & hominibus, in Graffem, Borchler, Holthus prope Wevelsborg, Adene, Tedekenlo, Hoyerinchus, Alberinchus, Aldenbodeken, Wulferdeſſen, Tyndelo, Knyckenhagen, Swafern, Eldyachuſen, Meyngerinchus, item parochia Elren, Dalhem, Nuttelen, cum pagis eò pertinentibus, Elren, Hattope, Syrekeſſen, Snevelde, Verſte, & Bokelen, excepto Bodene*, à Simone Burano, ejuſque fratribus coëmptam, Friderico de Brencken Militi, pro quadringentis & viginti quatuor marcis argenti puri, obligaſſe pignori; quod poſtea Ericus Epiſcopus Paderbornenſis An. 1513. die Lunæ poſt S. Kiliani exſtinxit, & *Wevelsburgum*, Bernardo

& Joanni nobilibus de Büren pro 2936. aureis Rhenanis, iterum oppigneravit.

7. SUBDIDIT IMPERIO SE THEODORE TUO.] Theodorus Furſtenbergius Epiſcopus ac Princeps Paderbornenſis An. 1589. 9. Aug. Joanni ſeniori & Joanni juniori Dynaſtis Buranis, 3536. aureis Rhenanis numeratis, *Wevelsburgum* Eccleſiæ ſuæ demum recuperavit, atque arce inchoatâ An. 1604. & An. 1607. abſolutâ, proprio ſumptu 36000. nummorum imperialium, haud computatis eorum operis ac vecturis, qui jure angariarum illas præſtiterunt, formâ triangulari, ſpecie ſanè viſendâ atque magnificâ exornavit, additâ hâc inſcriptione, quæ in atrio conſpicitur.

ARX. CUM. DISTRICTU. PATULIS. INHONORA. RUINIS
IN. THEODORI. USUM. PRÆSULIS. ILLA. VENIT
ÆRE. SUO. PRIMUS. TITULUM. QUI. INFORMAT. INANEM
ET. VALIDA. MUROS. EXHIBET. ARTE. NOVOS
FURSTENBERGIACÆ. PRINCEPS. DECUS. INCLYTE. STIRPIS
SEDI. HOC. QUO. CARUIT. TRADERE. PERGE. TUÆ

Joannes Horrion elegis Panegyrico Paderbornenſi ſubjectis *Wevelsburgum* inſtauratum ita celebrat.

Indè WEVELSBURGI *ſolido domus ardua ſaxo*
Nubila ſublimi culmine celſa ferit:
Hæc olim à priſcis (famæ ſi credimus) Hunnis
Poſt varios Dominum Te ſibi legit heros.
Nunc Te digna domus, ſed erant magalia nuper,
Pænè ruinoſo ſemiſepulta ſitu.
Circùm Chaoniæ texunt umbracula quercus,
Sylvaque vicinas occulit alta feras.
Quaſque ſub hoſpitiis celat frondentibus arbos,
Plurima laſcivo gutture vernat avis.

8. INTACTAS SINERET GOTTHICUS IGNIS OPES.] Anno 1646. hoſtilis Suecorum exercitus, dum Paderbornam obſidione cinctam Idibus Maii expugnat, *Wevelsburgi* arcem

arcem præſidio Cæſareo firmatam eodem impetu capit, vaſtat, exurit. Quam deinde Theodorus Adolphus de Reck, Epiſcopus ac Princeps Paderbornenſis laudatiſſimus, majorem partem reſtituit, ſed morte præreptus, non abſolvit. Ejus rei memoriam conſervat arcis veſtibulum hâc epigraphe ornatum.

THEODORUS. ADOLPHUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. S. R. I. PRINCEPS ET. COMES. PYRMONTANUS. HANC. ARCEM. A. SUECIS PADERBORNAM. AN. MDCXLVI. EXPUGNANTIBUS. VASTATAM. ET. INCENSAM. REPARAVIT
AN. MDCLVIII

Foribus autem inſtaurati ſacelli in atrio arcis hic titulus inſcriptus legitur.

THEODORUS. ADOLPHUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. S.R.I. PRINCEPS ET. COMES. PYRMONTANUS. ARCE. MAGNIS. IMPENSIS. INSTAURATA. SACELLUM. IN. HANC. FORMAM. RESTITUIT
AN. MDCLX

DE-


SENDÆ Deſertum, olim Sinedi.
+ Nieudorp

DESERTUM SENDÆ,

OLIM SINEDI APPELLATUM.

MEMORIÆ. SACRUM

DESERTOS. SINEDI. TRACTUS. HUMILESQUE. MYRICAS
QUI. PERAGRAS. TUTUM. CARPE. VIATOR. ITER
NON. HIC. INSIDIAS. NON. MILITIS. ARMA. TIMEBIS
QUÆ. SECURA. QUIES. ARCET. ET. ALMA. THEMIS
APTA. QUIDEM. PECORI. DEEST. ET. PASTORIBUS. UMBRA
RARAQUE. POPULEAS. VENTILAT. AURA. COMAS
ATTAMEN. HIC. APIBUS. DULCEM. GREGIBUSQUE. MINISTRAT
UNDA. FREQUENS. POTUM. PABULA. GRATA. SOLUM
ET. CAPUT. AMISII. MEDIIS. HINC. EXIT. ARENIS
ILLINC. UBERIBUS. LUPPIA. SURGIT. AQUIS
NUNC. ETIAM. VIDEN? UT. CELEBRET. LOCA. VASTA. COLONUS
SOLLICITARE. RUDEM. VOMERE. DOCTUS. HUMUM
OMNIA. SIC. VINCIT. LABOR. IMPROBUS. OMNIA. CONTRA
AGRICOLIS. PESSUM. SEGNIBUS. IRE. SOLENT

FERDINANDUS. DEI. ET
APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCO-
PUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR
MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS
COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BA-
RO. DE. FURSTENBERG

IN. DESERTUM. SENDÆ. OLIM. SINEDI. APPEL-
LATUM. NOVIS. COLONIS. CUM. PUBLI-
CO. COMMODO. DEDUCTIS
M. H. P

NOTÆ.

I. DESERTOS SINEDI TRACTUS.] Hos nonnulli cum Wintfelt & Sintfelt malè confundunt; quandoquidem *Sendâ* deſertum vaſtumque ericetum eſt, quod ſub radicibus montis *Teutoburgienſis* longo porrectum ſpacio, per ditionem Paderbornenſem, Lippienſem, Ravenbergenſem & Ritbergenſem, uſque in diœceſin Monaſterienſem & Oſnabrugenſem excurrit, variis amnibus piſcoſis, ac præcipuè Amiſiæ Luppiæque fontibus irriguum. Wintfelt contrà, planities in ipſo ſaltu *Teutoburgienſi* eminet, & *Sendam* deſpicit. Locus, ut diximus, haud procul Hornâ, Lippienſis ditionis oppido, inclytus Romanâ clade, & victoriæ cognomine inſignis. Quod & Lipſius in notis ad lib. I. Annal. Tacit. num. 174. Philippus Cluverius, & alii complures agnoſcunt, ut certa id nobis perpetuaque majorum fides tradidit. Sintfelt autem ager eſt frumentarius diœceſis Paderbornenſis, inter Burenam oppidum & Cœnobium Dalheim longè latèque inter Wunnenbergam oppidum & arcem Wevelsburgum extentus, magnamque partem Baronatûs Burani, dynaſtiæ Wevelsburgenſis, & totam præfecturam Wunnenbergenſem complexus, ad Eresburgum, ſeu montem Martis, ut nunc vocamus, planis atque amplis ſeſe fundis explicat, frumentorum quidem copiâ abundans, ſed aquæ perennis pauperrimus. Cæterùm uti proximè *Sendam* clades Variana contigit, ita in ipſa *Senda* An. 1640. 16. Octobris, inſigni Suecorum ſtrage, Slangius eorum ductor, ab Hatzveldio Cæſariani exercitûs duce prope Luppiæ fontes eſt cæſus. Et An. 1353. cùm Dux Lancaſtriæ ſuſceptâ contra Chriſtiani nominis hoſtes expeditione, copias ſuas ex Anglia per Weſtphaliam ducturus in Boruſſiam, quadringentos egregios milites è ſuis, multo cum auro præmiſiſſet, Joannes de Patberg/ Hunoldus de Plettenberg/ & Comes de Retberg/ præpoſtero ejus ſæculi more, quando latrocinia nullam habebant infamiam, nobiles publicarum via-

viarum prædones, unà cum ſuis commilitonibus, eodem in loco, Anglos hoſtiliter adorti profligarunt, ceperunt, diſpoliaverunt. Ex Henrico de Hervordia Cleinſorgius in MS. hiſtor. Eccleſiaſt. Weſtphaliæ, & Joannes de Berſwordt in MS. Alphabeto Nobilit. Weſtphalicæ. *Sendam* verò antiqua Imperatorum ac Regum Germaniæ diplomata, Caroli M. *Sinedi*, Ottonis III. *Sinede*, S. Henrici, *Sinidi*, *Sinedi*, & *Seneto*; literæ autem Bernardi Epiſcopi Paderb. de decima Hardehuſanis An. 1153. data pro prædio Kiveninchuſen, *Sinethe*; aliæque literæ *Synatha*, appellant. Libet ipſa diplomata Cæſarum in medium afferre, ut antiquum hujus deſerti nomen, ſitus, & Paderbornenſis in eo FORESTI jus, quo tamen maximam partem nunc fruuntur Lippienſes Comites, Eccleſiæ Paderbornenſis beneficiarii, illuſtretur.

IN *nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.* OTTO *ſuperna favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Si locum divino cultui mancipatum igneque ſubitaneo cum ornatu & corroborationum paginis concrematum reſtaurare. ornare & iterum ſublimare videbimur. ſcimus & certi ſumus id non ſolum laude humana prædicandum. verum etiam divina mercede remunerandum. Cunctis igitur Eccleſiæ Dei fidelibus noſtriſque aſtantibus & ſuccedentibus compertum fore volumus. quod de incendio Paterbrunnenſis Eccleſiæ nimium condolentes. præcepta anteceſſorum noſtrorum & ea quæ nos ibidem obtulimus memoratæ ſedi hac præceptali pagina renovamus iterumque confirmamus. de quibus unum eſt de Epiſcopatus ſtatu. dehinc de tuitione atque mundiburdio ejuſdem Eccleſiæ. & de omni proprietate ad eandem Eccleſiam pertinenti. & de electione Epiſcoporum inter clericos ejuſdem Eccleſiæ. & de ejus hominibus tam liberis quam & ſervis nulla judiciaria perſona conſtringendis niſi coram Advocato quem ipſe Epiſcopus elegerit. Inſuper renovamus & confirmamus jam habitæ ſedi Comitatus ſuper pagos Paterga. Aga. Trevereſga. Auga. Soretfelt dictos. pro decimis novæ Corbeiæ ad monaſterium pertinentibus. & de proprietate clericorum ſiquis ſine herede illorum obierit eidem Eccleſiæ conceſſa. & de tribus manſis in Tuiſburg & in Trutmannia. & de Foreſto quod incipit de Delina flumine & tendit per Ardennam &* SINEDE *uſque in viam quæ ducit ad*

Heriſiam. Hæc igitur omnia quæ ſupra ſcripta habentur & quæ illa die tenere & poſſidere videbatur. quando combuſta fuit. ſæpe nominatæ ſedi Paterbrunnenſi in jus proprietarium donamus. & firmiſſima traditione reſtauramus. Ea ſcilicet ſerie ut Domnus Retharius memoratæ ſedis venerabilis Antiſtes omneſque ſui ſucceſſores univerſa quæ ad Epiſcopum aliqua legali datione pertinent ſecuriter obtineant. noſtra omniumque noſtrorum ſucceſſorum & omnium mortalium contradictione remota. & ut hæc renovatio & confirmatio ſtabilior cunctis permaneat temporibus. hanc paginam manu propria corroboravimus & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri præcepimus.

Signum Domni OTTONIS *Cæſaris invictiſſimi.*

Heribertus Cancellarius vice Willigiſi Archiepiſcopi recognovit.

Data Kal. Jan. Anno Dominicæ Incarnationis MI. *Indict.* XIIII. *Anno tertii Ottonis regnantis* XVI. *Imperii* VI. *Actum Romæ feliciter. Amen.*

IN *nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.* HEINRICUS *divina favente clementia Rex. Notum ſit omnibus fidelibus noſtris præſentibus ſcilicet & futuris. qualiter Nos incendio Paderbrunnenſis Eccleſiæ miſerabili condolentes. petitionique noſtri fidelis Retharii venerabilis Epiſcopi. qui eidem ſedi modo præeſſe videtur. ut oportuit annuentes. in ſubplementum jam dictæ Eccleſiæ in jus concedimus. & per hoc regale præceptum corroboramus* FORESTUM. *quod incipit de Luthera flumine. & tendit per Oſnig &* SINIDI *uſque in viam quæ ducit ad Horihuſam. & de hominibus prædicti Epiſcopi tam liberis quam & ſervis nulla judiciaria poteſtate conſtringendis. niſi coram Advocato quem ipſe Epiſcopus elegerit. noſtra omniumque noſtrorum ſucceſſorum & omnium mortalium contradictione remota. & ut hæc confirmatio ſtabilior cunctis permaneat temporibus. hanc paginam manu propria corroboravimus & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri præcepimus.*

Signum Domni HEINRICI *Regis invictiſſimi.*

Egilbertus Cancellarius vice Willigiſi Archicapellani recognovi.

Data XVII. *Kal. Octob. Anno Dominicæ Incarn.* MII. *Indict.* I. *Anno vero Domni Heinrici Reg.* I. *Actum* BOCHBARDON.

IN *nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.* HEINRICUS *ſuperna favente clementia Rex. Si locum divino cultui mancipatum igne-*

que

que ſubitaneo cum ornatu & corroborationum paginis concrematum. reſtaurare. ornare. & iterum ſublimare videbimur. ſcimus & certi ſumus. id non ſolum laude humana prædicandum verum etiam divina mercede remunerandum. Cunctis igitur æccleſiæ Dei fidelibus noſtriſque aſtantibus & ſuccedentibus. compertum fore volumus. quod de incendio Paterbrunnenſis æccleſiæ nimium condolentes. præcepta anteceſſorum noſtrorum & oblationes fidelium. memoratæ ſedi hac præceptali pagina renovamus. iterumque confirmamus. de quibus unum eſt de Epiſcopatus ſtatu. dehinc de tuitione atque mundiburdio ejuſdem æccleſiæ & de omni proprietate ad eandem æccleſiam pertinenti. & de ejus hominibus tam liberis quam & ſervis nulla judiciaria perſona conſtringendis. niſi coram Advocato quem ipſe Epiſcopus elegerit. Inſuper renovamus. & confirmamus. jam habitæ ſedi. Comitatus ſuper pagos Paterga. Aga. Threvereſga. Auga. Sorehtfeld dictos. pro decimis novæ Corbeiæ. ad monaſterium pertinentibus. & de proprietate clericorum. ſi quis ſine herede illorum abierit. eidem æccleſiæ conceſſa. & de tribus manſis in Tuisburcg & in Trutmannia. & de FORESTO *quod incipit de Delhna flumine. & tendit per Ardennam. &* SINEDI. *uſque in viam quæ ducit ad Heriſi. Hæc igitur omnia quæ ſupra ſcripta habentur. & quæ illa die tenere & poſſidere videbatur quando combuſta fuit. ſepe nominatæ ſedi Paterbrunnenſi. in jus proprietarium donamus. & firmiſſima traditione reſtauramus. Ea ſcilicet ſerie. ut Domnus Retharius memoratæ ſedis venerabilis Antiſtes omneſque ſui ſucceſſores univerſa quæ ad Epiſcopum aliqua legali datione pertinent. ſecuriter obtineant noſtra omniumque noſtrorum ſucceſſorum & omnium mortalium contradictione remota. Et ut hæc renovatio. & confirmatio ſtabilior. cunctis permaneat temporibus. hanc paginam manu propria roboravimus & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri præcepimus.*

Signum Domni HEINRICI *Regis invictiſſimi.*

Egilbertus Cancellarius vice Willigiſi Archicapellani recognovi.

Data IIII. *Non. April. Anno Dominicæ Incarn.* MIII. *Indict.* I. *Anno vero Domni Heinrici Reg.* I. *Actum Quidilingaburc.*

Hæc ex autographis Paderbornenſibus damus, quod ſubjicimus, exemplar eſt diplomatis Oſnabrugenſis.

IN *nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.* HEINRICUS *divina*

vina favente clementia Rex. Noverit omnium fidelium noſtrorum induſtria. qualiter Vir venerabilis Wodilulſus Oſnabrugenſis videlicet Eccleſiæ Epiſcopus noſterque fidelis. Serenitatis noſtræ clementiam adiens poſtulavit. ut eidem Eccleſiæ ſuæ inmunitatis & libertatis noſtræ præceptum fieri mandaremus. per quod res & poteſtates quo ſuo Epiſcopio jure debentur. licentius ac plenius habere valuiſſet. Cujus petitioni ob amorem Domini noſtri JESU *Chriſti aſſenſum præbentes inſuper decrevimus. & hoc præceptum pro voto ejus conſcribi juſſimus. per quod firmiter præcipimus. ut ſicut S. Eccleſiæ Clerici per totam Franciam & Saxoniam. & inmunitatis tuitione. & anteceſſorum noſtrorum Regum videlicet & Imperatorum auctoritate confirmantur. ita præfati Præſulis ſedes ſancta perpetuo per hoc noſtrum præceptum Domino opitulante ſtabilita conſiſtat eo pacto. ut nullus judex publicus neque aliqua judiciaria poteſtas. aut Comites vel Vicecomites ſive Miſſi Dominici per tempora diſcurrentes. loca illius Epiſcopalis ad placita habenda. vel freda vel parafreda exigenda. aut paratas faciendas. vel fidejuſſores tollendos. aut ſervos vel liberos ſive Liddones & ceteros. & eos qui cenſum perſolvere debent quod* Mandſchatt *vocatur. ad pontem reſtaurandum aut corrigendum ullo unquam tempore aſtringendos ingredi valeant. Liceat etiam in eodem loco Oſnabrugenſi mercatum habere & monetam publicam inſtituere. & teloneum ſeu vectigal inde accipere omni tempore nemine contradicente. Sit quoque licentia præfato venerabili Epiſcopo ejuſque ſucceſſoribus & ſuo Advocato res prædictæ Eccleſiæ cum omnibus quæ poſſidet vel deinceps acquiſierit quieto ordine poſſidere. ſuaſque Eccleſias juſte corrigere. & ſuas cauſas abſque ulla contrarietate ordinare atque diſponere. Inſuper etiam ad ejuſdem Eccleſiæ quoddam nemus vel foreſtum intra hæc loca ſitum. Farwinckel. Brutauſſen. Angarn. Oſning.* SENETO. *Bergeshovel. Drenunameri & Wesfeldumeri. cum omni integritate. in porcis videlicet ſilvaticis atque cervis omnique venatione. quæ ſub banno uſuali more ad foreſtum deputatur. in perpetuum proprietatis uſum donavimus ea videlicet ratione. ut nullus contumaciæ deditus nemus prælibatum noſtro ſcilicet banno munitum. ſine prædictæ ſedis Epiſcopi vel Paſtoris licentia ſtudio venandi vel aliquod hujuſcemodi negotium peragendi. ſicuti noſtri patres & anteceſſores ſuis prædeceſſoribus ſanxerunt præſumat intrare. Quod ſi quiſpiam parvipendens tentaverit. ſciat ſe*

tam


tam divinæ quam & noſtræ ultionis vindictam incurſurum. nec non debitum pro delicto in regalem fiſcum redditurum. Et ut hoc verius credatur. ac per futura tempora diligentius conſervetur. hoc Regiæ inmunitatis inſigne manu propria firmavimus. & ſigillo noſtro imprimi juſſimus.

Signum Domni HEINRICI *Regis invictiſſimi.*

Egilbertus Cancellarius vice Willigiſi Archicapellani recognovit.

Data V. *Kal. Auguſt. Anno Dominicæ Incarnationis* MII. *Indictione* XV. *Anno vero Domni Heinrici Regis primo. Actum Merſeburc.*

FONS


FONS RESONUS, vulgo Bullerborn
a. Bullerborn.

FONS RESONUS,

VULGO

Bullerborn/

PROPE BECAM VETEREM, PAGUM DIOECESIS PADERBORNENSIS.

MEMORIÆ. SACRUM

TEUTOBURGENSIS. SILVÆ. RADICIBUS. ORTUM
QUÆ. TRAHIT. ET. RESONIS. NOMINA. DEBET. AQUIS
ARTE. SCATENS. MIRA. PELAGI. NUNC. MORE. FREMENTIS
ÆSTUAT. ALTERNA. NUNC. SILET. UNDA. VICE
ET. PEDE. DECURRIT. LIQUIDO. DUM. PROXIMA. SENSIM
PER. CAVA. LABENTEM. SAXA. RESORBET. HUMUS
MOX. EADEM. VIRES. SUBTER. TELLURE. RECENTES
COLLIGIT. ET. LARGAS. AUCTA. REFUNDIT. AQUAS
NE. JACTES. ARETHUSA. TUI. MIRACULA. FONTIS
SOLA. ETIAM. NOSTRAS. FAMA. LOQUETUR. OPES

FERDINANDUS. DEI. ET APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO. DE. FURSTENBERG

AD. FONTEM. BULLERBORN. PROPE. BECAM. VETEREM. MIRA. NATURA. PRÆDITUM. ET. FREQUENTIBUS. PRINCIPUM. ET. NOBILIUM. VIRORUM. CONVIVIIS. EXCUBIIS. ET. EXPERIMENTIS. OLIM. CELEBRATUM

M. H. P

Hh NO-

NOTÆ.

1. TEUTOBURGENSIS SILVÆ RADICIBUS ORTUM] De ſaltu Teutoburgienſi ſatis ſuperque egimus in notis ad ejus monumentum, quibus ex Ortelii Theſauro geographico id, quod ipſe ex Chron. Mansfeldico Cyriaci Spangenbergii hauſit, nunc adjicimus. *Teutoburgienſis*, inquit, *ſaltus, Germaniæ locus inter Amiſiam & Luppiam amnes, apud Tacitum* 1. *Annal. clade Romanorum ſub Quintilio Varo nobilis. Hodie Teute vel Teuteberg ſilva eſt ſic dicta, prope quam locus eſt, qui Wintfeldt, id eſt, campus victoriæ dicitur. Tractus hic patet longitudine* 400. *paſſus, &* 200. *latitudine, non longè ab arce Falckenburg, & oppidulo Horn, in itinere, quo itur Paderbornâ Bylſeldiam & Monaſterium, conſpicuus.* Quare idem Ortelius merito erroris arguit Pancirolum ad Notitiam Imperii, qui homonymiâ quâdam deceptus, hunc ſaltum putavit eſſe in Pannonia.

2. QUÆ TRAHIT, ET RESONIS NOMINA DEBET AQUIS:] Nomen hujus fontis accolis eſt Bullerborn / Bulderborn / Bolderborn / & Bulterborn: bulleren enim, ſive bulderen & bolderen / Teutonicè cum ſtrepitu blaterare aut detonare dicimus. Hunc Bernardus Mollerus l. 5. de Rheno pag. 217. elegis ſuis, & Leonardus Thurneiſſerus de aquis frigidis, calidis, mineralibus & metallicis, lib. 1. cap. 1. deſcribunt. Ejuſdem etiam meminêre, Prodromus geographicus Joannis Gigantis in tabula Epiſcopatûs Paderb. Atlas geographicus Wilhelmi Blaeu, Joannes Horrion l. 2. Panegyr. Paderborn. c. 7. *Ad veterem verò Becam in ſilva fons eſt, quem* TUMULTUARIUM *vocant. Is ſitus eſt ſub clivo montis, è quo magna vis ferri ac æris eruitur. Non jugiter ſed intervallis fluit, ſic ut cùm unam circiter horam curſum tenuerit, mox inhibeat, ac tres aut ampliùs horas quieſcat. Neque tamen ſtata ſemper tempora obſervat aut vices. Eſt enim cùm bis eodem die aquam profundat, eſt cùm ſemel, interdum antè, interdum longè poſt meridiem. Ferunt, quoties ſe ad curſum refert, ſibilum per cacumina*

mina arborum exaudiri, velut exſurgentis venti, & primus prodeuntis impetus, quodam cum murmure fit ac ſtrepitu, quaſi ſe ad cava montis allidentis, & foras erumpere geſtientis aquæ. Reinerus autem Reineccius, in notis ad Poët. Anonym. multum ſanè à vero aberrat, dum hunc fontem eum torrentem eſſe putat, cujus ad An. 772. Carolo Irmenſulam, ejuſque fanum Eresburgi deſtruente, magno conſenſu meminerunt Annalium Francicorum ſcriptores. Sed audiamus ipſum Reineccium: *Procul dubio*, inquit, *eum torrentem innuit, qui in agro Paderbornenſi hodie nominatur* der Bullerborn. *Conveniunt enim περιστάσεις tam ex annalibus Francic. (unde certatim repetiere, Regino, Aimoinus, Schafnaburgenſis, & Gemblacenſis) quàm ex auctore noſtro. Etſi quod utrobique numen aſciſcitur, neque ipſe excluſerim, ita tamen ut torrentem tum non erupiſſe primùm, ſed innotuiſſe opiner, forſan tali quopiam caſu, quem de thermis Carolinis in Boiemia memoriæ prodidit Fabianus Sommerus. Nomen Germanicum natura torrentis peperit. De qua cùm varia ad me perlata eſſent, nodum propemodùm mihi Gordium viſum, diſſolvêre, Hermannus à Beckheim & Jacobus Theodoricus DD. ille Jureconſultus, hic Medicus, & Henrici Antiſtitis è domo Saxonica, quoad is in vita fuit, Archiater, uterque ſingulari neceſſitudine mihi conjunctiſſimus. Alterius verba ex epiſtola ipſius aſcribo: Aquæ illæ, quæ in radice montis prope vicum, quem noſtri* Oldenbecke *appellant, cum ſtrepitu frementes erumpunt, dulces ſunt, nec ullum acoris ſenſum præbent, (ut rectè in Acidulis à Theodoro non ſint numeratæ) nec ſervant in eruptione certas horas, ſed pro aëris conſtitutione variant. In ſiccitatibus rariores ſunt eruptiones, ut in die naturaliter ſolùm fiant: in humiditatibus crebriores, ita ut ſingulis quatuor horis egrediantur, modò copioſiores, modò pauciores. Abundantiores ſunt in vere & autumno, itidem hyeme, ſi pluvioſa eſt; deficiunt magis in æſtate, ſi valde ſicca exiſtit. Durat autem effluxio non ultra octavam horæ partem, quæ tantas aquas educit, ut rivos in vicinia ſcaturientes valde augeat, ita ut duplicatis eant aquis. A terra rurſus recipitur, & abſorbetur prope vicum, quem* Nienbecke *nominant: terra verò illam reddit ad fontes Luppiæ. Poſt aquam abſorptam locus unde fluxit, gramine conſitus ita reſiccatur, ut illic ſæpius Principes & nobiles viri convivia habeant. Diverſum*

 quid

quid eſt, ſed æquè mirabile in thermis, quæ à pipere dicuntur, in agro Curienſi Rhætorum, quæ ſcaturiunt 5. Non. Maii, & fluunt uſque ad Idus Septemb. Poſt venæ clauduntur, nec reſerantur ante Maium ſecuturum. Hæc ille. Quibus iſtud addendum duxi, de poſtrema eruptione ad fontes Luppiæ, rem iis incolarum experimentis probatam & confirmatam, quæ de Arethuſa ſcriptorum monumentis prodita.

Libet his adjungere quæ Chriſtophorus Browerus in ſcholiis ad vitam B. Meinwerci §. 1. de hoc Tumultuario fonte, ex epiſtola Joſephi Mangolti Soc. JESU Paderbornæ data, commemorat.

Exiſtit duobus hinc milliaribus in nemore Fons Tumultuarius appellatus. Is poſtquam fluxit horæ circiter aut ampliùs ſpatium, quieſcit horis ferè tribus; indè velut reſumptis viribus, iteratò fluit: quod ubi continuavit, iterum ſeſe ad hauriendum, quod effundat, recolligit, idque perpetuò in orbem facit, ſtatis ferè horarum intervallis, ut oculis deprehendi. Fons hic dum fluit, exonerat ſe in quendam alveum, qui aliunde, non procul tamen aquam defert, eamque tam copioſam, ut plura molendina impetu circumagat. Sed aquæ hujus regnum eſt admodum breve: nam ultra milliare Weſtphalicum non procurrit, quin ita abſorbeatur, ut ejus vix guttam indè reperias. Nam hinc indè in ripa voragines, terræque magni hiatus exiſtunt, per quos tanto fertur impetu ſub terram, ut ad reſtinguendum inferorum flammas properare diceres. Reliqua, quæ gurgites hos evadit, guttatim in ipſo ſenſim alveo ita conſumitur, ut alibi talos tibi madefaciat, alibi in arena ſicco inſiſtas veſtigio. Sic ille. Mirum certè hujus fontis ingenium. An. 1630. menſe Decembri Haſſis diœceſin Paderbornenſem ingreſſis fluere deſiit, qui antea tantà vi aquarum proruperat, ut ferrariæ molæ rotam, proximam fontis capiti, verſaret. An. dehinc 1638. reſtitutâ diœceſi manare iterum, & plenis rivis effundi cœpit. Sed mutato variatoque fluxu. Nimirum fons qui ab hominum memoria per horarum intervalla bulliens ſuo impetu proſiliebat fluebatque, is nunc continuò, more aliorum fontium, manat, ceſſatque prodigium illud latentis naturæ, quo antea mirantium oculos in ſe converterat.

3. NE JACTES ARETHUSA TUI MIRACULA FONTIS.]

TIS.] Arethuſam fontem Plinius lib. 2. c. 103. inter aquarum naturæque miracula ponit, quòd in terram ſe abdat, & alibi ſe reddat. *Quidam fontes*, inquit, *odio maris ipſa ſubeunt vada, ſicut Arethuſa fons Syracuſanus, in quo redduntur jacta in Alpheum, qui per Olympiam fluens Peloponneſiaco littori infunditur.* Quin de ipſo Alpheo l. 31. c. 5. *Alpheus ſub ima maria permeat.* Addit & alios ex hoc miraculo fontes: *Subeunt & terras, rurſuſque redduntur Lycus in Aſia, Eraſinus in Argolica, Tigris in Meſopotamia; & quæ in Æſculapii fonte Athenis immerſa ſunt, in Phalerico redduntur, & in Atinate campo fluvius merſus, poſt* XX. M. *paſſuum exit.* At quæ tantâ admiratione proferuntur inter naturæ opera à Plinio, hîc apud nos quotidie in multis fontibus conſpiciuntur. Videas enim paſſim in Teutonicis montibus, quatenus Paderbornæ in corona prætexuntur, plurimos è terra limpidiſſimos fontes oriri, magnoque aquarum agmine, ad certa ſpatia torrentis in modum decurrere, rurſumque inter alveos ſenſim abſorberi, condique ſub terram, donec per ſubterraneas venas & apertos etiam petrarum canales collecti, in novos Paderæ & Luppiæ fontes exeant. Hinc Padera centum in urbe fontibus proſilit, tam admirabili aquarum impetu, ut intra ipſam urbem quatuor juſtos amnes faciat, molaſque verſet. Luppia uno alteroque vaſto & profundiſſimo lacu emergit, intraque horæ ſpatium Padera & Luppia in unum alveum confluunt, Luppiæque exinde nomen manet. Infra hos fontes in arenoſo Sendæ ericeto Amiſius compluresque fluvii ex profundis terræ ſpecubus eodem naturæ partu & miraculo, per venas & meatus abditos effuſi, prorumpunt. Adeò, quod in Arethuſa & peregrinis hiſce fontibus demiratus eſt Plinius, id in *Reſono Fonte* aliiſque, qui apud nos ſe abdunt & reddunt, hodiedum multò certius, multoque aſpectabilius eſt. Et quis unquam peregrinus, æſtimatorque naturæ operum, vel ſolam apud nos Paderbornam luſtravit, quin amœniſſimum aquarum ſpectaculum, & fontium, qui uſpiam ſunt, miraculum nulli ſecundum pronuntiarit?

Sed Romanis noſtra minùs cognita fuerunt. Ideo pauca illi de Germaniæ fontibus, ut de auri argentique venis, cæteriſque ad-

mirandis naturæ operibus prodiderunt. Quæ tamen ad Rhenum aliquantò magis illis explorata fuêre. *Sunt & Mattiaci*, inquit Plinius, *in Germania fontes calidi trans Rhenum, quorum hauſtus triduò fervet.* Et quinam illi *Mattiaci fontes*, Marcellino l. 29. *aquæ Mattiacæ* dicti, præter *Wysbadenſes* calidos fontes, quales hodiedum fervent in veteri Mattiacorum ſolo ac ſede? Quippe *Mattium*, de quo Tacitus l. 1. Ann. *gentis Mattiacæ caput*, quod nunc *Marpurgum* creditur, *fuêreque Mattiaci pars quondam Cattorum, qui pulſis Ubiis agros eorum obſederunt.* Cluverius lib. 3. Germ. antiq. c. 7. Quanquam Dilichius Haſſorum ſcriptor *Mattium*, quod Ptolemæo eſt Ματτιακὸν ſeu *Mattiacum*, nobis ex alio iſtic vico oſtendat. Sed nihil Plinius de Aquiſgranenſium thermis, aliiſque calidis ac medicatis Germaniæ fontibus, nihil de acidulis, ut mirum non ſit etiam noſtra præteriiſſe.

Alter Germaniæ fons à Plinio monſtratur apud Tungros: Ita enim l. 31. c. 2. *Tungri civitas Galliæ fontem habet inſignem, plurimis bullis ſtellantem, ferruginei ſaporis: purgat hic corpora, tertianas febres diſcutit, calculorumque vitia.* Cui nunc forſan *aquæ Spadanæ* eſt nomen. Habet & Paderbornenſis diœceſis fontes in modum fervidi aheni toto anno bullientes. Hos apud Pyrmontanas & Smechtanas acidulas reperias. Mira res! tenui intervallo acidulæ iſtic & bullientes fontes, colore, ſapore & virtute diverſi. Nimirum, ut Plinius l. 31. c. 4. cenſuit: *Tales ſunt aquæ, qualis terra per quam fluunt, qualeſque herbarum, quas lavant, ſucci:* Imò quales venæ inter viſcera terræ, per quas labuntur, talem indolem attrahunt aquæ. Hinc aliæ potabiles, aliæ medicæ tantùm, & ad multa morborum auxilia ſalubres; ut hæc Medici etiam in noſtris fontibus præclarè probarunt, & balneis cumprimis ſalutares cenſuerunt, quod etiamnum quotidianis experimentis ſentiunt morbidi. Ideò *majorem fontem Mellitum* etiam apud Smechtanos Theodorus Furſtenbergius Epiſcopus & Princeps Paderbornenſis, ſecto lapide incluſit, & ſui nominis inſcriptione exornavit. Sed & noxiæ quædam halitu & vaporibus aquæ, quales apud Soracten memorantur à Plinio l. 31. c. 2. *Ad Soracten*, ait, *ſole oriente fontem exundare, ferventi ſimilem, aveſque quæ guſtaverint, juxtà mor-*

mortuas jacere. Comperias id quoque apud Smechtanum fontem in colle ſitum, quem hominibus innoxium, ſi avis deguſtet, enectam ſæpe conſpicias. Nec mirum id Plinio, qui fontes hoſce medicos ad hominum, non animalium uſum datos ſcribit. Tertius Germaniæ fons, iſque in noxiorum genere apud Friſios, memoratus à Plinio l. 25. c. 3. *In Germania trans Rhenum caſtris à Germanico Cæſare promotis, maritimo tractu fons erat aquæ dulcis ſolus, quâ potâ, intra biennium dentes deciderent, compageſque in genibus ſolverentur. Stomacacen Medici vocabant, & ſceletyrben ea mala. Reperta auxilio eſt herba, quæ vocatur Britannica, non nervis modò & oris malis ſalutaris, ſed contrà anginas quoque & ſerpentes. Friſii, quà caſtra erant, nobis demonſtravêre illam.* Ita Plinius: qui tamen multum ſe fatigat in Britannica herba, unde nomen illud tranſierit in eam regionem. Lipſius in notis ad l. 1. Ann. Taciti n. 217. ut Plinium juvet, *Bretaniæ uligines* ex priſco iſtic nomine oſtendit, *paludes* nimirum *haud procul Amiſiâ flumine, inter Lingam, Weddam & Cœvordam*; tanquam herba illic nata, ex Bretanico ericeto, vulgò *Bretanſche Heyde*, nomen traxerit. At quis iſta Lipſii ita probet, ut non per commercia utriuſque gentis herbæ illius vis ſalutifera à Britannis monſtrari potuerit Friſiis? Verùm iſta non tanti ſunt. Ipſa naturæ providentia magis ſuſpicienda, quæ ſuis regionum morbis, ſuas quoque medicas herbas dedit monſtravitque; haud ſecus quàm naſturtium iis in locis frequens gignitur, ubi corpora ex inſalubriori aqua & aëre putredini magis obnoxia ſunt. Acceſſit noſtra ætate Nicotiana Panaceæ inſtar, Indica illa herba, multis modis artibuſque populis maritimis efficax medicina.

Sed fontem hunc noxium mittamus, illud verò aquarum miraculum apud Germanos, & eoſdem Septentrionales populos olim ſpectatum multò dignius, quod ex Plinio l. 16. c. 1. adſcribam: *Altiſſimæ haud procul Chaucis, qui majores minoreſque appellantur, circa duos præcipue lacus. littora obtinent quercus, maxima aviditate naſcendi: ſuffoſſæque fluctibus, aut propulſæ flatibus, vaſtas complexu radicum inſulas ſecum auferunt: atque ita libratæ ſtantes navigant ingentium ramorum armamentis, ſæpè territis claſſibus Romanorum,*

rum,

rum, cùm velut induſtriâ fluctibus agerentur in proras ſtantium noctu, inopeſque remedii illæ prælium navale adverſus arbores inirent.


Redeo cum naturæ ſpectaculo ad *Fontem Reſonum*, in quo inæquales olim & ſubciſivi, ut diximus, fluxus per abruptas noctis & diei horas. Cauſam hujus perſcrutati ſunt multi, nemo tamen adeò certi quid attulit, in quo acquieſcerent alii, quòd naturæ miracula ſint, quæ admirari magis quàm perveſtigare conceſſum: Fidem interim adſtruunt ſimilia, quæ natura alibi in fontibus aperuit. *In Sicilia circa Meſſanam & Mylas hyeme in totum inareſcunt fontes: æſtate exundant, amnemque faciunt. Apolloniæ in Ponto fons æſtate ſuperfluit, & maximè canis ortu. Quædam terræ imbribus ſicciores fiunt, velut in Narnienſi agro: quod admirandis ſuis inſeruit M. Cicero.* Plin. l. 31. c. 4. *In Dodone Jovis fons meridie deficit, mox increſcens ad medium noctis exuberat. In Comenſi agro fons largus ſingulis horis intumeſcit & reſidet.* Ita Plinius l. 2. c. 103. *In Cantabria tres fontes octonis pedibus diſtantes, mox in unum alveum coëunt, ſingulis diebus exſiccantur duodecies, aliquando vicies.* Plinius l. 31. c. 2. Multa hujuſmodi apud hunc diligentiſſimum naturæ inveſtigatorem reperias, quæ admirantem ipſum potiùs deprehendes, quàm rationem ſingulorum explicantem, niſi quòd univerſim fateatur, *in nulla parte naturæ majora eſſe miracula*, quàm in aquis & fontibus, quorum alii in quotidianum vitæ humanæ uſum, alii in admirationem & oblectationem, alii in medelam dati. Et medicos quidem fontes quàm plurimos exhibet, interque hos fontem Ciceronianum oculis purgandis ſanandiſque natum prope Puteolos, ubi M. Tullius villam habuit, quam nemore, porticu & Academiæ nomine celebrem fecit, Athenarum exemplo, in qua & monumentum ſibi inſtauravit ad poſteritatis memoriam. Sed jacent hæc omnia, ut nos ipſi anno 1652. menſe Octobri Neapolim Româ profecti coram ſpectavimus, inter vetuſtatis rudera & temporum injurias planè conſepulta. Solum carminis monumentum, quod Tulliano fonti inſcriptum, integrum atque immortale ad nos pervenit, quia dignum ubique legi cenſuit Plinius, & hìc ponamus:

Quo

Quo tua Romanæ vindex clariſſime linguæ,
Sylva loco meliùs ſurgere juſſa viret,
Atque Academiæ celebratam nomine villam,
Nunc reparat cultu ſub potiore Vetus:
Hîc etiam apparent lymphæ non antè repertæ,
Languida quæ infuſo lumina rore levant.
Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hoc dedit, hâc fontes cùm patefecit ope.
Ut, quoniam totum legitur ſine fine per orbem,
Sint plures, oculis quæ medeantur, aquæ.

Eò nunc magis, opinor, probabitur, coronari à nobis fontes, celebrari carminum inſcriptionibus, commendari virtutes aquarum, extolli naturæ miracula, quæ demum in ipſum naturæ Opificem auctoremque rerum mortalium refunduntur. Quemadmodum ipſos fontes atque aquas vates ſacer Daniel c. 3. ad Dei laudem provocat.

Et quid inter naturæ opera præſtantius aquis? *Quippe hoc elementum cæteris omnibus imperat: terras devorant aquæ, flammas necant, ſcandunt in ſublime, & cœlum quoque ſibi vindicant, ac nubium obtentu vitalem ſpiritum ſtrangulant. Quæ cauſa fulmina elidit, ipſo ſecum diſcordante mundo? Quid eſſe mirabilius poteſt aquis in cœlo ſtantibus? At illæ ceu parum ſit in tantam pervenire altitudinem, rapiunt eò ſecum piſcium examina. Sæpe etiam lapides ſubvehunt, portantes aliena pondera. Eædem cadentes omnium terrâ naſcentium cauſa fiunt, prorſus mirabili naturâ, ſi quis velit reputare, ut fruges gignantur, arbores fruticeſque vivant, in cœlum migrare aquas, animamque etiam herbis vitalem inde deferre: juſtâ confeſſione, omnes terræ quoque vires, aquarum eſſe beneficii.* Idem Plinius lib. 31. c. 1.


+ FONS PADULUS

FONS PADULUS,

ANTE

NEUHUSIUM,

CONSUETUM EPISCOPORUM ET PRINCIPUM
PADERBORNENSIUM DOMICILIUM.

MEMORIÆ. SACRUM

FONS. EGO. SUM. PADULUS. NITIDIS. ARGENTEUS. UNDIS
PURIOR. ELECTRO. FRIGIDIORQUE. GELU
OLIM. VIX. PECORI. NOTUS. NUNC. ARIDA. FEBRI
NOSTER. FERNANDI. PROLUIT. ORA. LIQUOR
UNDE. MEO. PRINCEPS. RECREATUS. MUNERE. CLAUSAS
MARMORIBUS. GRATO. CARMINE. SIGNAT. AQUAS
NE. MIHI. CASTALIOS. LATICES. OPPONE. NEC. UNDAM
BELLEROPHONTEI. CARE. VIATOR. EQUI
ILLA. ETENIM. DOCTIS. INSPIRAT. VATIBUS. ÆSTUM
HÆC. LEVAT. ET. MEDICAM. LYMPHA. MINISTRAT. OPEM

FERDINANDUS. DEI. ET
APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCO-
PUS. PADERBORNENSIS. S. R. I. PRIN-
CEPS. COMES. PYRMONTANUS.

AQUA. FONTIS. PADULI. IN. FEBRIS. ARDORIBUS
RECREATUS. P. C. AN. MDCLXV

NOTÆ.

FONS *Padulus* à Pado noſtro Saxonico, ſicut ab Italico Paduſa, denominatur, tam perlucidæ aquæ ſalubritate, dulcedine & frigore, quàm Neuhuſii viciniâ celebris. Nos certè, in ſummis aliquando febris ardoribus, grato ejus potu recreati, ſecundùm antiquam parœmiam, *aquam hauſiſti, puteum corona*, memoriam accepti beneficii hoc monumento conſecravimus. Proximum *Padulo Neuhuſium*, Epiſcoporum Paderbornenſium, per quatuor ampliùs ſæcula, conſuetum domicilium, Scriptor Panegyrici Paderbornenſis pluribus argumentis demonſtrat, ipſum eſſe Aliſonis caſtellum, quod Druſus contra Sicambros, ad Luppiæ & Aliſonis confluentes, exſtruxit, & multis pòſt annis Carolus M. inſtauravit, ut ejus præſidio finitimas gentes uterque compeſceret, atque in poteſtate retineret. Inſecutis indè temporibus Epiſcopis Paderbornenſibus eodem in loco arcem ponendi, habitandique cauſam dediſſe videntur acerrimæ ſimultates, quas cum civitate non ſemel habuerunt. *Antea ſiquidem*, inquit Horrion in Panegyr. Paderbornenſi, *in urbe ſua Paderborna apud Cathedralem Eccleſiam habitabant; quo tempore civium erga ſuos Præſules amor & reverentia tanto eis præſidio erat, ut vallum turreſque minimè requirerent: At poſtquam ab iis ſacroſancta dignitas contemni cœpta, graveſque ſunt motus adverſus Eccleſiaſticum ordinem excitati, faciendum viſum, ut ab eorum injuriis ſemoti, hujus ſe arcis præſidio tuerentur.*

Eandem aliò commigrandi neceſſitatem aliis etiam Epiſcopis ſuæ jam olim urbes impoſuerunt, quando primùm ab Epiſcopis conditæ, auctæ, & communitæ, opibuſque dein ſuis inſolenter elatæ, adverſus proprios Dominos in arma conſurrexêre. Sed hocce magnis civitatibus perquàm fatali ſæculo contrarium accidit, quo (ut nihil de Paderborna noſtra dicam, quam crebris ſeditionibus laborantem, ſuiſque Epiſcopis contumacem, & hoc ſæculo maximè, licentiâ novæ religionis inſanien-

ſanientem, THEODORUS Epiſcopus & Princeps Paderbornenſis, per Joannem Friſiæ Orientalis & Ritbergæ Comitem, egregium belli ducem anno MDCIV. VI. Kal. Maii, admirabili providentiâ ac celeritate expugnatam compeſcuit) Leodium, Hervordia, Monaſterium, Erfordia, Magdeburgum, Brunſwiga, præpotentes claræque urbes in ordinem redactæ, aliis urbibus parem fortunæ ludum comminantur. Annum porrò, quo Paderbornenſes Epiſcopi ex urbe huc conceſſerint, non habeo certum affirmare. Suſpicor tamen circa annum partæ ſalutis MCC. Certè Otto Ritbergenſis, qui anno MCCLXXVII. ad Paderbornenſem cathedram eſt evectus, in hac ſe arce tenebat, dicebaturque vulgò eodem, quo hodie nomine; fortaſſe, quòd in veteris arcis Druſianæ & Carolinæ veſtigiis eſſet collocata: quam à civibus Paderbornenſibus poſtea incenſam refert Gobelinus Perſona in Coſmodr. ætat. 6. cap. 66. his verbis. *Otto de Ritberg Epiſcopus Paderbornenſis multas guerras cum civibus Paderbornenſibus habuit. Unde accidit, quòd cùm ipſi Caſtrum Novum igne devaſtaverant, & poſt hoc quadam die ad implendum foſſata ejuſdem conveniſſent, Epiſcopus Otto cum fidelibus ſuis manu forti irruit ſuper eos, & commiſſo prælio, de civibus occiſi ſunt pluſquam quingenti, quorum cadavera in plauſtris ducebantur in civitatem, & in una foſſa magna ſepulta ſunt. Fuit enim inter Epiſcopum & cives per certos arbitros facta compoſitio, quæ cùm ſervari non videbatur, ut debuit, per multas guerras, clades prædicta ſecuta eſt. Erat enim hæc compoſitio facta anno Domini* MCCLXXXI. *priuſquam ipſe Dominus Otto eſſet conſecratus in Epiſcopum; & utrinque fuit juramentis & ſigillis firmata, in qua, inter cætera, ipſi cives promiſerunt libertates emunitatum illæſas ſervare & liberas: & in familias Canonicorum & Eccleſiaſticarum perſonarum civitatis Paderbornenſis, niſi priùs coram Dominis ſuis conventos, nullam penitus juriſdictionem exercere, & excommunicatos ſtrictiùs vitare, & eos in officio Conſulatûs non habere. Deinde ortâ diſcordiâ ſuper judicio ſæculari, quod exercetur in foro Paderbornenſi, electi ſunt arbitri, qui viſis & auditis propoſitis hinc indè, pronuntiaverunt, officium prædicti judicii eſſe feudum Eccleſiæ Paderbornenſis, & hæc pronuntiatio facta eſt anno Domini* MCCXCIX.

Eam igitur ita inflammatam & propè complanatam Otto Epiſcopus, aut ejus ſucceſſor Guntherus reſtituerit, quando conſentiente dicto Gunthero, Bernardum Præp. Eccl. Paderb. tutorem eâ conditione An. 1309. electum comperimus, *ut caſtra Dryburg & Nyggenhuſen pro* 1400. *Marcis denariorum oppignorata, redimi pateretur.* Poſtea Henricus Spiegelius, ac præcipuè Ericus Dux Brunſwicenſis An. 1525. & Hermannus Comes de Weda, Epiſcopi Paderbornenſes, ſplendidis firmiſque ædificiis Neuhuſium exornarunt. *Noſtrâ verò memoriâ,* inquit Horr. Paneg. Pad. l. 2. c. 13. *dignam veteri illâ nominis ſui gloriâ ſpeciem hæc arx aliquando eſt conſecuta, poſtquam ingenti ſumptu,* à Theodoro Furſtenbergio Epiſcopo & Principe Paderbornenſi, *in hanc amplitudinem excelſitatemque exædificata, foſſis & turribus communita, laxis elegantibuſque conclavibus, pomariis, hortis, fontibus ornata eſt. Itaque quamvis ſplendido Auguſtoque Principi accipiendo eſt idonea.* Quæ Fridericus Rörigh S. J. non minùs clarus poëta, quam diſertus orator, terſis verſibus ſuis ita expreſſit.

Quid memorem celſis ſpectandas turribus arces,
Et tantùm Domino tecta minora ſuo?
Ornamenta olim pacis, munimina belli,
Sumptibus ad cœlum ſurgere juſſa tuis?
Hinc NOVA *deterſo veteris ſqualore ſenectæ,*
Jamque ſuo demum nomine digna DOMUS,
Regalem tectis immanibus explicat aulam,
Laxaque formoſis atria porticibus.
Quas circùm virides ventis criſpantibus undas
Plaudit laſcivis ſquamea turba choris.
Flora favet, favet attiguis Pomona viretis,
Certatimque ſuas utraque promit opes.
Utraque certatim vernantes divitat hortos,
Floribus illa ſuis, fructibus iſta ſuis.

Cæterùm Theodorianæ ædificationis annum nobis indicat hæc inſcriptio, quæ in atrio arcis interiori adhuc conſpicitur.

HANC. STRUIT. ÆRE. SUO. THEODORUS. EPISCOPUS. AULAM
EX. FURSTENBERGIS. STEMMATE. NATUS. AVIS
ANNO. MILLENO. QUINGENTENO. NONAGENO
TALIS. AB. ELECTO. PRINCIPE. QUARTUS. ERAT

NO-


NEUHAUS
Arx à Reverendiſſimo et Illuſtriſſimo Principe
THEODORO Epiſcopo Paderbornenſi ad confluentes Lippiæ &
Alyſonis ædificata ubi olim vero Claudius Druſus contra Sicam-
bros & D. Carolus Magnus contra Saxones caſtellum poſuerat

Poſthæc ea, pro dolor! inciderunt tempora, quæ non ſolùm hujus arcis excidium, ſed etiam totius diœceſis jacturam Eccleſiæ Paderbornenſi intentarent, quando inter calamitoſa Germaniæ bella, An. MDCXLVI. Idib. Maii à Vrangelio Suedici exercitùs duce expugnatâ Paderbornâ Neuhuſium ſimul in poteſtatem Suecorum venit, ac quarto pòſt die tam Paderborna quàm Neuhuſium Haſſis traditur in poſſeſſionem, & ſocialis belli præmium. Hoc felici rerum ſucceſſu agitatum conſiliis inter Suecos & Haſſos, utrumne Paderborna præmunienda eſſet, in eaque dominatus, & perpetuæ poſſeſſionis ſedes firmanda; an verò Neuhuſium oppidum ad id deligendum muniendumque? hìc diverſis inter ſe colliſi ſententiis hoſtes, Vrangelius Neuhuſium præmuniendum cenſuit, quòd is locus ad confluentes Paderæ, Luppiæ atque Almæ, plano & à Natura monſtrato ſitu opportuniſſimus, brevi inexpugnabili munimento includi poſſet, ac modico exinde præſidio multò tutius validiuſque teneri; eò Paderbornam muris nudandam, & ejus ruinis Neuhuſium firmandum eſſe. Contrà pertinaciter contendebant Haſſi, Paderbornam communiendam firmiùs, Neuhuſianam verò arcem ſubjecto pulvere pyrio funditus evertendam eſſe. Quæ cùm Vrangelius non probaret, & in his ſua conſilia, quæ bellandi artibus magis inniti videbantur, abjici indignè ferret; neque Haſſis permittere voluit, ut tam nobilem Principum arcem ac ſedem tot Epiſcoporum ſubruerent; ſimul Haſſos commonens, Paderbornam diligenter ſervarent, vereri enim ſe ne brevi ſpreti ſui conſilii eos pœnitentia ſubitura eſſet; dictum mox probavit eventus.

Nam ſub exitum ejuſdem anni Kalend. Decembris, quod ſaluberrimum fuit conſilium imperiumque Franciſci Wilhelmi Epiſcopi Oſnabrugenſis, ejus miles duce Balduino de Remont Gubernatore oppidi Widenbrugenſis, Paderbornam luculento die, ſine bellicis machinis, ſine vineis & cuniculis, paucarum horarum aggreſſione, Haſſis ereptam Ferdinando Epiſcopo ſuo reddidit. Tam facilè Deo conſilia Politicorum, quæ in jacturam hujus diœceſis conſpiraverant, ex

eorum

eorum etiam diſſidiis ſubvertere. Interim Haſſi arcem Neuhuſianam militis ſui præſidio firmatam, etiam pace jam per Germaniam compoſitâ, unà cum Noveſio & Coesfeldia civitatibus retinuerunt, dum ſibi ex pactione Imperii Ordinum, ſexies centena Imperialium nummûm millia numerarentur.

Anno deinde conſequente MDCXLVII. die XVIII. Aug. Rabenhauptius Haſſicæ militiæ præfectus Paderbornam circumſedit, cui altero mox die Koningsmarckius cum Suedicis copiis ſubſidio venit; certi hi duces, non tam ignominiam ſuperioris anni ulciſci, quàm Paderbornam in perpetuam poſſeſſionem & incrementum principatûs Haſſiæ occupare; Eò enim ab exordio belli Suedici & Haſſici omnia eorum conſilia ſpectare viſa, ut captis diœceſium urbibus & munimentis cætera pro arbitrio decerperent. Sed quæ tum proſpicientis Dei erat cura, obtigit urbi Paderbornenſi ex Cæſarea militia Præfectus Erneſtus Bertramovillius, vir animo interritus, & bellicarum rerum expertiſſimus, qui unà cum civibus fortiter propugnantibus urbem adverſus Suecos Haſſoſque defendit. Jam magnam partem murorum hoſtes dejecerant, prolatis ad foſſam vineis; cum gubernator, quòd intra urbis pomœria novis ſe foſſis valliſque, & omni arte bellicâ, inſtrumentiſque præmunierat, auſus ultrò hoſtem provocare ad aggreſſionem: quibus Koningsmarckius & Rabenhauptius perterriti, coactique inſuper ſubitâ irruptione Lamboyi in Friſiam Orientalem, intra decimum quintum obſidionis diem, ſolutis caſtris urbem deſeruerunt, quò ſuis in Friſia laborantibus auxilium ferrent.

Anno proximo MDCXLIIX. cùm publica Imperii comitia Monaſterii & Oſnabrugi ad exitum vergerent, atque Haſſis certa promiſſio facta eſſet, ſi initæ pacis tempore Paderbornam tenerent, iis, quidquid intra Dimolam & Netham fluvios fertiliſſimi agri, pagorum atque oppidorum continetur, attributum iri; atque adeò Haſſi certâ ſpe præcipuam hanc diœceſis partem, Haſſiæ contiguam devoraſſent; novâ rurſum

ac repentinâ obſidione v. Octobris urbem ſunt aggreſſi, ducibus Erneſto Haſſiæ Landgravio & Giſio. Animum Haſſis fecerat, quòd urbis præfectus Papius temerè binas cohortes in Mindenſem diœceſin emiſerat, modico præſidio retento; & jam Haſſi productis vineis, admotis tormentis, injectiſque ignibus urbem ad extrema deduxerant: cùm interea Ferdinandus utriuſque Bavariæ Dux, Paderbornenſis Epiſcopus, de obſidione & periculo urbis certior factus, Lamboyum Comitem cum ſuis & Lotharingicis copiis ſubmittit: Et Lamboyus feſtinatis ab Rheno itineribus, inobſervatuſque, citiùs ante urbem ſtetit cum exercitu, quàm Haſſi adeſſe ſenſerint. Ita ille auſpiciis Ferdinandi Epiſcopi, vel ob id æternâ memoriâ digni, intra duodecimum, quo oppugnari cœpta, diem, urbem obſidione, quæ altero die dedenda erat, & patriam perpetuâ ſervitute feliciſſimè liberavit.


Magnam hîc divini Numinis providentiam venerabere, quiſquis ex poſteris hæc recoles. Tot nimirum Epiſcopatus per Saxoniam à Carolo M. conditi, auctique conſequentium indè Cæſarum ac Principum munificentiâ, hâc demum tempeſtate naufragium fecerunt, quibus ne ipſæ quidem Carolinæ donationum tabulæ ad ſalutem valuêre. Servatus ex hoc communi naufragio cum paucis aliis Paderbornenſis. Ita ſummo illi Gubernatori placuit,

Qui terram inertem, qui mare temperat Horat. Ode 4. lib. 3.
Ventoſum, & urbes, regnaque triſtia.

Sed idem inſpector & ſupremus arbiter adeſt, *à quo omnium quidem poteſtates*, ut D. Auguſtin. dixit lib. 5. de Civit. Dei, *ſed non omnium voluntates.* Stetêre tot annis à Caroli ævo ad noſtram uſque ætatem cæteri Epiſcopatus longâ Præſulum ſerie, altiſque radicibus innixi; ſæpe concuſſi, vulnerati, amputati; quos una demum procella dejecit. Ut conſtaret magnas arbores diu creſcere, unâ horâ exſtirpari. Procubuêre nunc, & ad fatum venêre ſuum, quando *in ſumma fortuna id æquius, quod validius*, Taciti judicio lib. 15. Annal. Nec hîc alio ſolatio cum Seneca occurrimus, quàm *pati quod emendare*

non

non poſſis, *& Deum*, quo permittente *omnia eveniunt*, *ſine murmure comitari.* Tanto nunc conſultiùs iis, quibus pepercit, Fortunam preſſis manibus tenere, & magnos rerum tranſitus capere ad providentiam malorum.


ACIDULA MECHTIANA

ACIDULA SMECHTANA.

MEMORIÆ. SACRUM

NON. EGO. VICINIS. DUBITEM. CONTENDERE. NYMPHIS
TANTA. LICET. NOSTRÆ. COPIA. DESIT. AQUÆ
FRIGIDIOR. GLACIE. CERTE. MEA. NECTAR. ACORE
UNDA. REFERT. VITRO. SPLENDIDIORQUE. FLUIT
UTILIS. ET. CALIDO. JECORI. STOMACHOQUE. DOLENTI
ET. PRÆSENS. ÆGRIS. RENIBUS. AUXILIUM
PRINCIPIS. HINC. PATRUI. PRINCEPS. EXEMPLA. SECUTUS
FERNANDUS. PATRIÆ. MAXIMA. CURA. MEÆ
MARMOREO. POTAS. ORNAVIT. MARGINE. LYMPHAS
ADDIDIT. ET. GRATA. CARMINA. DUCTA. MANU
TU. MERITI. CONTRA. MEMOR. ILLIUS. USQUE. LIQUORES
ARENTI. SITIENS. QUI. TRAHIS. ORE. MEOS
POCULA. FERNANDI. FAC. LIBES. PRIMA. SALUTI
INCOLUMIS. PADERÆ. QUAM. DABIT. ILLE. SUÆ

FERDINANDUS. DEI. ET
APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO. DE. FURSTENBERG

AD. MEMORIAM. ACCEPTI. BENEFICII
P. C. AN. M. DC. LXIX

NAUSEAT. AUT. SIQUIS. CALET. HINC. BIBAT. ÆGER. OREXIN
NOSTRA. FACIT. STOMACHO. PELLIT. ET. UNDA. SITIM
NECTAR. ACORE. VITRUM. SPLENDORE. ET. FRIGORE. BRUMAM
EXSUPERAT. MEDICÆ. NEC. CARET. ARTIS. OPE

NOTÆ.

SMECHTANAM Acidulam, accolis, Metbrunne/ hydromeli dictam, nos olim his elegis celebravimus.

Nympha decus ſilvæ, pulcherrima Nympha ſorores
Inter Hamadryadas, Naïadaſque deas.
Quis te præſenti ſparſit medicamine? quis te
Melliti fontis nomen habere dedit?
An, magis ut ſaperent, acidas tibi dulciter undas
Ambroſiæ ſuccis diluit ipſa Salus?
An, velut Hyblæis è floribus omnia libat
Fingendi ſtudio ſedula mellis apis:
Sic, dum nunc ferri venas, nunc æris oberras,
Vim trahit inde tuæ, quà fluit, humor aquæ?
Quicquid id eſt: ſtomachi faſtidia vincis inertis,
Nec ſinis accenſum bile tumere jecur;
Et quæ præterea verſu comprêndere non eſt,
Sæpiùs innumeris pota medere malis.
Salve Naturæ mulſum, gratiſſima morbis
Soſpita, languentûm nectar, inempta ſalus.
Quòd mihi ſi bilem ſolitâ virtute coërces,
Quæ jecori, nimio dum furit igne, nocet;
Carminibus noſtris decorataque marmore, nomen
Grande ſalutiferas inter habebis aquas.

Quibuſcum concinit Muſa JOANNIS ROTGERI TORKII noſtri, Mindenſis Præpoſiti, Canonici Paderbornenſis ac Monaſterienſis, non ſemel laudata.

Fons in umbroſo venerande luco,
Jam diu Phœbo ſacer, ac Saluti,
Qui levas feſſum jecur, & palato
Mella propinas

Atti-

Atticis longè potiora ſuccis,
Quos per Hyblæos ſtudioſa colles
Turba formoſi populata florem
Condidit anni.
Montis intonſi decus & voluptas,
Cujus extremo pede, bullienti
Proſilis æſtu gravis è metalli
Divite vena;
Principem ſerva mihi FERDINANDUM,
Patriæ Patrem, tua concinentem
Nobili plectro, tua mella pleno
Ore bibentem.

Virtutem hujus aquæ ſingulariter etiam commendat Tabernæmontanus in ſuo aquarum Theſauro cap. 59. ſalubritatem illius coram periclitatus. Tabernæmontano aſſentitur Rottendorffius noſter in literis, quas Driburgenſis acidulæ monumento ſubjungimus. Inter Smechtanos fontes numero plures, unus in colle ſitus, avibus ex eo potantibus exitialis, hominibus innoxius, petigini & ſcabiei medetur. Largiar hoc præſtantiæ & celebritati hujus acidulæ, ut antiquitatem vici Smechten/ à quo denominatur, eruam ex hoc Caroli Craſſi Imp. diplomate, Heriſienſi Parthenoni dato, cujus etiamnum beneficio Smechta à Nobilibus de Aſſeborg poſſidetur.

IN *nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.* KAROLUS *divina favente gratia ſereniſſimus Imperator Auguſtus. Si loca divino cultui mancipata noſtro levamus juvamine. hoc nobis ad æternæ remunerationis præmia capeſſenda profuturum fore liquido credimus. Quapropter omnium fidelium noſtrorum præſentium ſcilicet & futurorum cognoſcat induſtria. qualiter Biſo venerabilis Padrabrunnenſis Eccleſiæ Epiſcopus attulit noſtræ Serenitati quoddam conſcriptum in quo continebatur. qualiter quoddam monaſterium ſanctarum monialium in loco qui dicitur Heriſi. una cum licentia piiſſimi genitoris noſtri Liuthardus Epiſcopus. una cum decreto Liutberti Archiepiſcopi. atque omnium conſynodalium ſuorum Coëpiſcoporum. ſimulque omnium conſacerdotum & Clericorum à fundamentis fuerat conſtructum ea videlicet*

cet ratione. quia ipſe Liuthardus Epiſcopus. & ſoror ejus nomine Waldburc in ſanctimoniali propoſito permanens. tradiderunt ſuam proprietatem ad præfatam ſanctam Eccleſiam Padrabrunnenſem. quæ eſt conſtructa in honore ſanctæ Dei Genitricis Mariæ. quatinus eædem res perpetualiter in ejuſdem Monaſterii poteſtate conſiſtant. Et deprecatus eſt nos idem venerabilis Epiſcopus Biſo. ut ipſum Monaſterium & res ad illud pertinentes ſub noſtræ immunitatis tuitione & defenſione ſuſciperemus. & tales caſas. ſicut ipſe in beneficium habuit in villa Nadri pro remedio animæ noſtræ illuc ad Dei ſervitium ipſis monialibus concederemus. Nos vero ejus petitioni libenti animo ſatisfacientes. ita fieri decrevimus. Conceſſimus igitur illuc in ipſa villa Nadri hobas X. *cum caſa & curte. vel cum omnibus juſte ad ipſas hobas pertinentibus vel reſpicientibus. & juſſimus eis fieri hoc noſtræ auctoritatis præceptum. per quod decernimus atque jubemus. ut memorata Waldburc præfatum Monaſterium Heriſi diebus vitæ ſuæ ſecuriter per hoc noſtræ auctoritatis præceptum habeat atque poſſideat. Poſt ſuum vero deſceſſum licentiam ipſæ ſorores habeant inter ſe eligendi Abbatiſſam. una cum conſenſu illius Padrabrunnenſis Eccleſiæ Præſulis. Et mundeburdum de eadem Eccleſia habeat præfatum monaſterium Heriſi. & per unumquemque annum* IIII. *ſolidos ad eandem Eccleſiam perſolvant. ſimulque manſa* X. *in villa nuncupata Haionhus. quæ Liuthardus venerabilis Epiſcopus illuc perpetualiter permanenda conceſſerat. cum decimis villarum quæ vocantur Heriſi.* SMAHTIUN. *Northgardinun. & Suthgardinun. cum appendiciis ſibi villulis in uſibus Ancillarum Dei tradita. per hoc noſtræ auctoritatis præceptum plenius in Dei nomine confirmatum. nullo inquietante. ſed Deo auxiliante perpetuis temporibus conſiſtant abſque alicujus contradicentis obſtaculo. Volumus etiam atque præcipimus. ut ſæpe jam dicti monaſterii Ancillarum Dei homines. non alio modo à judiciariis perſonis conſtringantur. niſi ſicut Padrabrunnenſis Eccleſiæ præceptis conceſſimus. Epiſcoporum quoque ſynodale decretum conſcriptum & ſigno ſubſcriptionis roboratum ſuper memoratum monaſterium Dei nomine Heriſi noſtræ quoque largitatis conceſſione firmatum permaneat. Et ut hæc auctoritas largitionis noſtræ firmior habeatur. & per futura tempora à cunctis fidelibus noſtris verius credatur & diligentius*

tius

tiùs conſervetur. manu propria noſtra ſupter eam confirmavimus. & ſigillo noſtro aſſignari juſſimus.

Signum Domni KAROLI *Sereniſſimi Imperatoris Auguſti.*

Amalbertus Cancellarius ad vicem Liutberti Archicapellani recognovi & ſſ. Data XI. *Kalend. Octob. Anno Dominicæ incarnationis* DCCCLXXXVII. *Indictione.* V. *anno vero regni Domni Karoli ſereniſſimi Imperatoris Auguſti. in Italia* VII. *in Francia* V. *in Gallia* III. *Actum ad Juſtinauua curte regali. in Chriſti nomine feliciter. Amen.*


b. Driburgum oppidum

ACIDULA DRIBURGENSIS.

MEMORIÆ. SACRUM

HIC. EGO. VISCERIBUS. MAGNÆ. PRORUMPO. PARENTIS
LARGA. SALUTIFERÆ. VENA. PERENNIS. AQUÆ
DOCTA. GRAVI. MORBO. RENES. ET. FÆCE. LIENEM
ET. TUMIDUM. FLAVA. BILE. LEVARE. JECUR
ET. TORPENS. ACIDO. STIMULANTE. LIQUORE. PALATUM
TÆDIA. VENTRICULO. PELLERE. FAUCE. SITIM
QUI. BIBIT. ERGO. MEOS. LATICES. ET. CIVIS. ET. HOSPES
INCOLUMIS. NOSTRIS. RITE. PRECETUR. AQUIS
MAGNUS. UT. HAS. ARMIS. CAROLUS. VICTRICIBUS. UNDAS
SAXONICO. FERTUR. SUPPOSUISSE. PADO
SIC. FERNANDE. TUO. DECORATÆ. MUNERE. LONGO
TEMPORE. TE. SALVO. SUB. TUA. JURA. FLUANT

FERDINANDUS. DEI. ET APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO. DE. FURSTENBERG

AD. ACIDULAM. DRIBURGENSEM. SALUBRITATE. MEDENDISQUE. CORPORIBUS. NOBILEM COMMODIUS. HAURIENDAM. EDUCTA. HUMIDO. SOLO. ARBORIBUSQUE. CONSITA. AD. DEAMBULANDUM. VIA. ET. FONTIS. CELEBRITATI ET. PUBLICÆ. UTILITATI. CONSULUIT

NOTÆ.


DIOECESIS Paderbornenſis tam multas atque uberes paſſim aquarum perennium venas habet, ut nullam facilè regionem tot amœnis, dulcibus, & copioſis fontibus putem irrigari. De fluviis amnibuſque celebrioribus, in notis ad Luppiæ, Amiſii, & Paderæ fontes, aliquam ſuprà fecimus mentionem. Ut nihil nunc dicam de Saltcotena oppido, aquâ, unde ſal coquitur, nobili: ut prætercam Upſrungam, ubi primum eſt *Hederæ*, in actis S. Liborii commemoratæ, caput: *habemus in propinquo Alpheum*, inquit Horrion in Panegyr. Paderb. lib. 2. cap. 7. *cujus Arethuſam fruſtra rerum naturalium curioſi jam pridem perſequuntur. Nempe non longè à nova Beca rivus eſt non modicus, qui terrâ hauſtus ſeſe, neſcio quò, oculis mortalium eripit. Mirabilius propè eſt, quòd duo rivi ad Liechtenauum oppidum confluentes repentè abſorbentur, verùm non uno ſemper meatu, ſed prout aquæ impetus tulit. Itaque admodùm quinque jam patent, neque dubitat interdum novos aperire.* Tantum de aquis dulcibus.

Nec Acidulis ſaluberrimis carent Paderbornenſes. De *Smechtana* paulò antè. *Bracula* & *Driburgum* etiam acidulis abundant: *Braculenſes* non adeò celebrantur. *Driburgenſes* ſub radicibus ſilvæ Teutoburgienſis, hodiè *Driburgenſis* dictæ, in medio prato, uberrimâ ſcatebrâ emicantes, ut acore ſuo & colore, quo tinctus fontis limus, & ſolum rubeſcit, aluminis ferrique venas referunt; ita ſalubritate, præſtantiâ & copiâ aquarum excellunt. Sed recitemus hoc loco Bernardi Rottendorffii, Archiatri Monaſterienſis, & medicinæ arte, & humaniorum literarum, quæ ejus morte ingens hoc anno ceperunt detrimentum, ſcientiâ celeberrimi viri, epiſtolam, ad amicum An. 1668. 27. Martii hac ſuper re datam.

Jam totus ſum, inquit, *in acidularum ſalſularumque facultatibus inveſtigandis: & juratò auſim adſeverare, quod Paderbornenſes ſuâ præſtantiâ Egranis, Schwalbacenſibus, Antoninis, Wildungenſibus aut*

Spa-

Spadanis non cedant, ſi non illas ſupergrediantur. Joannes Guintherius Andernacus medicus eximiè doctus, dialogo ſecundo de earundem viribus & uſu, in quo ſimul præcipuos Germaniæ fontes acidos deſcribit, poſt Spadanos ſequentia ſubnectit pag. videlicet 142. *In Ducatu Weſtphaliæ* " *fons acidus juxta domum novam extat ferri & aluminis particeps, ad* " *eadem, quæ ſuperiores poſſunt, efficax. Fontem ſcilicet mellitum juxta* " *Smechtam*, den Metbrunnen *intelligit. Idem Guintherius pag.* 143. *ubi Pyrmontanum deſcribit: Aqua hujus fontis, inquit, ochrâ præcipuè* " *infecta eſt, quod acrimonia ejus teſtatur, eoque acris ille potiùs, quàm* " *acidus dici meretur; hinc potio illius aquæ periculoſa eſt: nam rodit in-* " *terranea, præſertim corporum tenerorum, gracilium & adoleſcentum.* " *Hæc eſſe veritati conſentanea, experientiâ edoctus ſum, & re ipsâ comperi, non in uno, ſed pluribus. Subjungit Guintherius: Quia verò aqua* " *hæc potui non idonea, ad balneas potiùs accomodari debet: nam tumores* " *contra naturam, quacunque in parte corporis affligant, diſcutit, œde-* " *mata, podagram, & chiragram ex pituita contractam, tophoſque ar-* " *ticulorum comminuit, membra fluxionibus opportuna, torpida reſolu-* " *taque reſtituit: impetiginem, ſcabiem, lepram emendat, &c. Tabernæmontanus in ſuo aquarum theſauro mihi pag.* 395. *ſcribit, quod pyrites, quem* Waſſerkiß *vocat, in fonte Mellito ſeu Smechtano cæteris metallis antecellat. Pyrites autem propriè vocatur* ein Fewrſtein/ *nobile metallum, cujus uſus multiplex in medicina: habet enim calefaciendi, ſiccandi, digerendi ac diſcutiendi facultatem, præterea humores tartareos incîdit, calculum reſolvit, & contumaces obſtructiones reſerat, ac duros tumores emollit. Idem præſtant illæ aquæ, quæ à minera pyritarum ſcaturiunt.* Hæc ille de acidulis, & nos de monumentis Paderbornenſibus. Quæ benignus Lector, donec univerſa hiſtoria Paderbornenſis ſuo tempore lucem aſpiciat, promulſidis vice deguſtet velim, & æquo animo ferat, ſi alieno fortaſſis loco, familiæ Furſtenbergicæ memoria, è vicino Weſtphaliæ Ducatu huc allata, Paderbornenſibus monumentis ſubnecti videatur. Quanquam haud aliena ab inſtituto ejus familiæ mentio videri debet, quæ duos Epiſcopos ac Principes Paderbornenſibus dedit, quorum alter innumeris pietatis ac munificentiæ operibus, alter his aliiſque monumentis diœceſin exornavit.


OLDENBURGA.

OLDENBURGA

IN MONTE FURSTENBERG,

PRIMA BARONUM DE FURSTENBERG IN WESTPHALIA AD RURAM SEDES.

MEMORIÆ. SACRUM

FURSTENBERGIACÆ. TITULIS. ARX. INCLYTA. GENTIS
OLDENBURGA. TUUM. QUÆ. MODO. NOMEN. HABET
SIVE. LOCI. DECUS. ANTIQUUM. SEU. NOMINE. PRIMOS
INDICAT. HOC. ALTÆ. NOBILITATIS. AVOS
HIC. STETIT. HOSTILI. BELLORUM. SÆPE. TUMULTU
DIRUTA. PRINCIPIBUS. SÆPE. REFECTA. SUIS
NUNC. DESERTA. JACET. PRÆCLARÆ. GLORIA. STIRPIS
USQUE. RECENS. LONGA. POSTERITATE. VIGET
SIC. MEA. DOCTRINÆ. PRECOR. ET. VIRTUTIS. AVITÆ
LAUDE. VELUT. GEMINA. STET. TRABE. FULTA. DOMUS

FERDINANDUS. DEI. ET APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS COMES. PYRMONTANUS. ET. LIBER. BARO. DE. FURSTENBERG

AD. ILLUSTRANDAM. HOC. ETIAM. IN. LOCO. MAJORUM. SUORUM. MEMORIAM. ET. POSTEROS AVITÆ. VIRTUTIS. EXEMPLO. INCITADOS
M. H. P

NO-

NOTÆ.

1. FURSTENBERGIACÆ TITULIS ARX INCLYTA GENTIS,
OLDENBURGA TUUM QUÆ MODO NOMEN HABET.]

Locus antiquæ arcis in monte *Furſtenberg*, quæ prima *Baronum Furſtenbergiorum* in Weſtphalia ad Ruram ſedes, ſive à vetuſtate, ſive à prima *Oldenburgicorum* Comitum origine, etiam nunc *Oldenburga* appellatur, & ipſa trecentis jam annis everſi caſtelli rudera, ac veterum munitionum reliquiæ, miram hodie ſpirant dignitatem. Commendarunt hanc olim præter amplitudinem plurima alia decora, in quibus facilè primas tenet ſitus, ad omnem belli rationem, & Weſtphaliæ limites ab injuria maleficioque finitimorum Arensbergenſium, & Marcanorum Comitum defendendos opportunus. Occupabat crepidinem montis, quà is & maximè arduum habet aſcenſum, & magno ad munitionem momento, infra Nehemium, proximum Arensbergenſis ditionis oppidum, Rurâ flumine alluitur. Ab lateribus, præruptis vallibus, quarum alteram rivus, Oldenburgicus dictus, interfluit, è regione montis, profundâ atque ingenti foſsâ munitur è vivo exciſa ſcopulo. Ipſe jugi vertex, olim triplici firmiſſimo vallo contra omnes hoſtium inſidias coronatus ſtetit, in cujus medio vetus ſacellum, hodie impenſis Ferdinandi Epiſcopi & Principis Paderbornenſis reſtitutum, ſpectatur, Furſtenbergiis quondam inter arma etiam cultæ religionis illuſtre monumentum. In ſemirutis aggeribus longâ annorum ſerie altiſſimæ excreverunt nunc quercus, quibus pro cuſtodia additos fuiſſe muros, ſat demonſtrant cæmenta & lapides, magno indè numero patrum adhuc memoriâ in novi cujuſdam ædificii uſum egeſti.

2. SIVE LOCI DECUS ANTIQUUM, SEU NOMINE PRIMOS
INDICAT HOC ALTÆ NOBILITATIS AVOS.]

De *Furſtenbergiorum Baronum* ducta ex *Oldenburgicis* Comitibus origine, generatim ita loquitur Joannes Horrion Soc. JESU

SU in Panegyrico Paderb. lib. 3. cap. 2. *Non deſunt*, inquit, *qui & antiquarum tabularum auctoritate, & è gentilitiorum inſignium formâ, & natalis loci ſitu demonſtrare ſe poſſe confidant, Furſtenbergiam domum è vetuſtiſſima clariſſimaque Comitum Oldenburgenſium ſtirpe genus ducere.* Eadem Ditmarus Mollerus Tremonienſis in genealogia Furſtenbergica, & Theodorus Hoppingius clarus in paucis Juriſconſultus in erudito de Inſignibus opere, aliique complures memoriæ prodidêre, & avita traditio non minus confirmat, quàm diploma Cæſareum An. 1660. 26. Aprilis Viennæ datum indicat, quo LEOPOLDUS Imperator ita præfatur:

Benignè itaque conſiderantes vetuſtam & nobilem Furſtenbergiorum familiam, ipſoſque de numero Noſtrorum Sacrique Romani Imperii Circuli Rhenani Equitum, ſub territorio caſtri Fridbergenſis, plurimis retrò annis, veluti inſigne eorundem membrum fuiſſe recenſitos, ſuamque originem, à temporibus D. quondam Imperatoris Caroli Magni, longâ proſapiâ in hoc uſque tempus traxiſſe, prout id ex diverſis fideque dignis ac receptis auctoribus, aliiſque documentis, citra cujuſquam contradictionem, atque id inprimis etiam manifeſtè demonſtrarunt, quòd ſua familia jam tunc temporis nobilium ordini ob ſplendorem generis ac natalium antepoſita fuerit, & quòd ex ſtirpe ſua duos Sacri Romani Imperii Principes, ac primum quidem ante centum annos Wilhelmum magnum Ordinis Teutonici in Livonia Magiſtrum, alterum verò Theodorum quondam Epiſcopum Paderbornenſem numerarit, qui non ſolùm dilapſum ex prædeceſſorum ſuorum negligentia Catholicæ religionis cultum ab integro illic reſtituerit, & veluti poſtliminiò reduxerit, Collegiumque & Novitiatum Soc. JESU, *atque etiam Academiam ibidem fundarit, & ex fundamentis exſtrui curarit, verùm etiam ipſammet Eccleſiam ab omni ære alieno, citra ſubditorum vel minimum ſubſidium, propriis ſuis mediis ac ſumptibus planè liberarit, & Capitulum Cathedrale, uti & cæteras Eccleſias ac monaſteria, ad promovendum Dei cultum excitarit; quin etiam eorundem proventus novis fundationibus de proprio auxerit & dotarit, & tam ſumptuoſas fabricas ac reſidentias in commodum ſucceſſorum ſuorum, ſuis impenſis exſtructas, poſt ſe reliquerit, quàm paucas æquales illis in partibus reperire ſit; atque inſu-*

Mm *per*

per dictis Eccleſiis præteritorum bellorum calamitoſis temporibus tanto ſtudio & fidelitate præfuerit, ut alter earum fundator jure meritò & cum ſui ſingulari encomio dici poſſit. Perpendentes quoque indefeſſa, & fideliſſima, atque etiam utiliſſima Divis Prædeceſſoribus Noſtris, Romanorum Imperatoribus, ac Regibus, Auguſtæque Domui Noſtræ Auſtriacæ, à ſæpe memorata Furſtenbergiorum gente, inconcuſſo devotionis ac fidei ſtudio, tum pacis tum belli temporibus, togâ & ſago, in primis verò à quondam Caſparo & Friderico Furſtenbergiis, dum binis nuper defunctis Electoribus Colonienſibus Erneſto & Ferdinando ab intimis conſiliis eſſent, & Ducatûs Weſtphaliæ gubernacula tenerent, in diverſis tum publicis Imperii, tum particularibus Circulorum conventibus, aliiſque multifariis occaſionibus, præ reliquis demiſſiſſimè præſtita obſequia atque ſervitia: & quòd horum laudatiſſimis exemplis atque veſtigiis inſiſtentes Honorabiles, Nobiles, devoti Nobis dilecti, Theodorus Caſparus, Fridericus, Wilhelmus, Ferdinandus, Franciſcus Wilhelmus, & Joannes Adolphus, fratres à Furſtenberg, Cathedralium & reſpectivè Collegiatarum Eccleſiarum Moguntinæ, Trevirenſis, Hildesheimenſis, Spirenſis, Monaſterienſis, & Paderbornenſis Capitulares, nec non Beatiſſimi in Chriſto Patris noſtri Alexandri VII. intimus cubicularius, ad S. Crucis in Hildesheim Præpoſitus, & Campeonenſis Prior, atque etiam Ordinis Teutonici in Balivia Weſtphalica Eques, à teneris veluti ætatis ſuæ annis, poſt adeptas in pleriſque celeberrimis Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis præbendas, probatamque generis, ac ſtirpis ſuæ avitam vetuſtatem, juxta exemplum prædictorum Caſpari & Friderici à Furſtenberg, Avi ac Patris ſui, in omnibus tam Sacri Imperii publicis, quàm aliis etiam conventibus, & quovis aliàs modo à Sacri Imperii Electoribus & Principibus ſibi perſæpe concreditis maximi momenti legationibus & commiſſionibus, omnia ſtudia, conſilia & actiones ſuas in Noſtrum duntaxat, ſacrique Imperii, atque boni publici, Auguſtæque Domûs Noſtræ Auſtriacæ commodum, quod benignè probamus, inceſſanter contulerint, atque intenderint, quemadmodum id etiamnum pari fidelitatis & devotionis obſequio faciunt ac præſtant, atque poſthac quoque in omne ſubſequuturum tempus dimiſſiſſimè ſe, pro dotibus naturæ atque ingenii ſui à Deo ſibi conceſſis, ſemper præſtituros pollicentur, præſtareque deſiderant ac poſſunt. Motu itaque proprio, ex

certa

certa ſcientia, animo bene deliberato, ſano accedente conſilio, deque Cæſareæ poteſtatis Noſtræ plenitudine, Theodorum Caſparum, Fridericum, Wilhelmum, Ferdinandum, Franciſcum Wilhelmum, & Joannem Adolphum, fratres à Furſtenberg, liberos, hæredes & ſucceſſores eorum legitimo matrimonio natos & naſcituros, utriuſque ſexûs, & ex eis in infinitum deſcendentes, ac deſcenſuros, noſtros & Sacri Romani Imperii, Regnorumque & Dominiorum Noſtrorum hæreditariorum liberos Barones fecimus, creavimus, & ereximus, ac tenore præſentium facimus, creamus, erigimus, & ad liberorum Baronum ſtatum atque gradum clementer evehimus, & attollimus, ac Baronalis honoris, dignitatiſque titulo per præſentes gratiosè inſignimus, nec non aliorum liberorum Baronum verè natorum ordini, numero, conſortio, cœtuique favorabiliter adſcribimus, & aggregamus, &c. Verùm Joannes Velde è Soc. JESU antiquitatis patriæ peritiſſimus, ſingulari commentario de ortu ac progreſſu familiæ *Furſtenbergicæ*, ante triginta ampliùs annos compoſito, jam indè à Widichindo Magno Saxoniæ Duce deductâ *Oldenburgicæ* domûs origine, *Furſtenbergios* pariter illuſtravit; ex quo, & Ditmaro Mollero, ſigillatim hæc decerpſimus. Sigefridus Comes Oldenburgicus, primus Marchio Brandeburgicus, & Ruperti Archiepiſcopi Trevirenſis, & S. Mechtildis Imperatricis frater An. 939. defunctus, ex Heilwige Arensbergenſi ſuſcepit Ulricum filiorum natu maximum, quem in exercitu Henrici Cæſaris ad Merſeburgum, contra Hunnos An. DCCCCXXXIII. militaſſe, & Jadderienſe Collegium condidiſſe memoriæ proditum eſt, atque ex Zwana Hollanda Ottonem filium ſuſtuliſſe. Is ductâ in matrimonium Mechtilde Alveſlebienſis ditionis hærede, novum Comitatum avito adjecit. Ottoni liberi fuere Joannes, cui Oldenburgenſis; Henricus, cui Bruchuſanus; Bluſo & Otto, quibus maternus Alveſlebienſis Comitatus deinde obtigit: quem tamen ad poſteros, quos nullos reliquerant, haud tranſmiſerunt. Felicior fuit Joannes ex Adelheide Sigifridi Marchionis Stadenſis filia liberis ſuſceptis, ex quibus Conradum Alveſlebienſi Comitatui, ad ſe poſt fratrum mortem reverſo, novum Comitem præfecit. Conradi fratres fuere Huno, qui major natu

in Oldenburgenſi ditione ſucceſſit; Udo, qui Hildeſienſis Epiſcopus cum Conrado fratre An. M LXXXV. Comitiis Gerſtungenſibus interfuit, & vitæ periculum pro Henrici Cæſaris partibus præſentiſſimum adiit, THEODORICUS & Joannes, ac demum Rixa ſoror unica, quæ Hajoni Dythmarſiæ Regulo nupta Elimarum peperit. Hunc Fridericus, memorati Hunonis & Willæ Vechtenſis Comitis filius unicus, Monachorum Raſtedenſium inſtitutum amplexus, heredem ex aſſe ſcripſit, præteritis omnino patruis poſteriſque eorum. Quamvis autem Elimarus graves propterea lites ac diuturnas cum avunculis habuerit, ſummorum tamen Pontificum ſententiâ cauſam tenuit, *teſte Hermanno Hamelmanno in Chron. Oldenburgico*, atque hodiernos Daniæ ac Norwegiæ Reges, Holſatiæ Duces, & Oldenburgi Comites procreavit. THEODORICUS verò Hunonis & Conradi frater, quem à fraternis Comitatibus, nunc Oldenburgicum, nunc Alveſlebianum, prout cuique alter altero notior erat, pariter cum filio vocatum eſſe conſtat, fratrum natu majorum jure paternis ditionibus excluſus, in Weſtphaliæ Ducatu infra oppidum, cui Nehemio nunc eſt nomen, conſedit in monte Ruræ flumini imminente, quem à celebratis illic, Caroli Magni tempore, Principum Saxonicorum comitiis, antiquitus *Furſtenberg* eſſe appellatum ſunt qui opinentur. Ibi arcem poſuit, atque amplas deinde opes, & nonnullas in propinquo ſitas hereditatis *Oldenburgicæ* reliquias, quæ *ab Hermanno Hamelmanno in Chronico Oldenburgico*, è diplomatis Pontificiis An. 1124. 1158. 1160. & 1190. datis, & *à Gerhardo Cleinſorgio in hiſtoria Eccleſiaſt. Weſtphaliæ* MS. ad annum 1124. recitantur, & quarum partem etiam nunc *Furſtenbergii* poſſident, fortè conſecutus, ex illuſtri femina Hermanni Arensbergenſis Comitis ſorore Reinhardum filium ſuſcepit. Is An. M C XV. IV. Idus Febr. pugnâ ad ſilvam Wolphonis commiſſâ, unà cum avunculo, aliiſque Saxonibus inter ſe fœderatis, perquàm glorioſam ab Henrico V. Cæſare victoriam reportavit, *teſte Cod.* MS. *Moguntino de rebus geſtis Archiepiſcoporum Magdeburgenſium, & Cyriaco Spangenbergio in Chron. Saxoniæ. cap.* 214. Hujus deinde poſteris, etſi aboli-

aboliſo ſenſim *Oldenburgici* atque Alveſlebiani Comitis titulo, novus adhæſerit, ut recepto antiquis illis temporibus more, à vetuſto montis habitati vocabulo, Nobiles Domini de *Furſtenberg* cognominarentur; retentus tamen ab omni memoria fuit gentilitius *Oldenburgicorum* Comitum clypeus, iiſdem planè trabibus, eodem numero, colore, & poſitu inſignis, quamvis haud pares antiquo generi opes honoreſque manſerint. *Joannes Velde, & Ditmarus Mollerus.*

3. HIC STETIT HOSTILI BELLORUM SÆPE TUMULTU
DIRUTA, PRINCIPIBUS SÆPE REFECTA SUIS.]

Nam cùm Henrici Leonis Saxoniæ Ducis, à Friderico Imperatore proſcripti, auctoritatem & fidem ſecutus Fridericus Nobilis Dominus in *Furſtenberg*, Reinhardi filius, (quod etiam de *Oldenburgi* Comitibus memoriæ proditur) contra Philippum Colon. Archiepiſcopum, Weſtphaliæ Ducatum, Friderici Cæſaris munificentiâ Eccleſiæ ſuæ An. MCLXXX. donatum, armis vindicantem ſtetiſſet, non ſolùm arx *Furſtenberga* intercepta, ac munimentis exuta eſt, ſed etiam ejus dominus à Philippo caſtelli poſſeſſione depulſus, & fundis pluribus, ac jurium avitorum maximâ imminutione multatus, haud mediocrem priſtinæ dignitatis & amplitudinis jacturam fecit. *Ex antiquis literis Ditmarus Mollerus Tremonienſis, in genealogia Furſtenbergica.* Jacuit autem ſuis in ruinis quadraginta fermè annos ſepulta *Furſtenberga*, quibus elapſis S. Engelbertus Colonienſis Archiepiſcopus, ſummâ utique loci ad tutandos Weſtphaliæ fines opportunitate illectus, anno MCCXIX. Caſtrum in *Furſtenberg* ædificavit, ſeu potiùs dirutam ſuperiori bello Saxonico arcem reſtituit, *Furſtenbergicis* adeò non invitis, ut Hermannus *Furſtenbergius*, Friderici filius, eam ſibi redditam acerrimè adverſus nobilem virum Gerhardum de Brubach, S. Engelberti hoſtem, defenderit & conſervarit. *Joannes Velde in orig. Furſtenbergicis.* Quo tempore ibidem inſigne Beatiſſimæ Virginis ac Matris Dei in clientem quendam ſuum beneficium accidiſſe memoriæ tradidit *Cæſarius Heiſterbacenſis.* Porrò Henrico Archiepiſcopo Colonienſi An. 1225. impiam S. Engelberti necem, Friderici Imperat. juſſu,

vindicanti, & Fridericum Iſenburgicum hujus parricidii reum bello perſequenti, idem Hermannus præſtò fuit, acceptique olim à S. Engelberto beneficii memor, ejus cauſam armis propugnavit. Nec minori fide Colonienſis Eccleſiæ partes tutatus eſt, cùm Henricus Archiepiſcopus de jure Advocatiæ Sibergenſis, cum Limburgenſi Duce & Montium Comite An. 1230. bello decertaret. *Ex antiquis literis Ditmarus Mollerus.*

Hermanni hujus liberi, Wenemarus *Furſtenbergam*, Fridericus *Waterlappiam*, deinceps tenuerunt: quam avus eorum primâ ſede exturbatus, proximè montem Fürſtenberg / inter Werlam & Nehem oppida, cum ſuburbio, foſſis, munitionibus, & ædificiis multis olim exſtruxerat, & Friderici poſteri deinceps ſoli poſſederunt, communi cum Wenemaro, ejuſque poſteris jure, *Furſtenbergæ*, quoad illa ſtetit, dominati. *Ditmarus Mollerus, & Joannes Velde.* Cùm deinde Simon Comes Lippienſ. Epiſ. Paderb. inſciente Conrado Archiepiſ. Colon. Weſtphaliæ Duce, geminas munitiones, alteram in Vilcenſi caſtro, Saldkottenæ alteram excitaſſet, & confinem ejus ditionem hoſtiliter aggreſſus, Werlam, Callenhardam, Warſtenam, & *Furſtenbergam*, anno MCCLIV. diripuiſſet, iidem *Furſtenbergii* fratres arma, & conſilia cum pleriſque Weſtphaliæ Dynaſtis quamprimùm conſociarunt, oblatâque fortunâ belli compendio abſolvendi, ipſum Simonem belli ducem victum prælio, captumque, Colonienſi Præſuli cuſtodiendum tradidêre, uſque dum An. MCCLVI. IX. Kalend. Septembris, Wilhelmi Cæſaris interceſſione, Ordinumque Imperii, certis legibus, Simoni ejuſque fœderatis, pax & libertas, confectis atque obſignatis Eſſendiæ tabulis, concederetur. *Joannes Velde, aliique.* Anno poſthæc MCCLXXVI. Siffridus Archiepiſcopus Colonienſis, *teſte Gerhardo Cleinſorgio*, reficit dejectas ſuperiori bello *Furſtenbergæ*, Werlæ, Warſtenæ, Callenhardæ & Almenæ munitiones, eaſque novis operibus circumdat, commeatu & præſidiis firmat, adverſus omnes ferè Dynaſtas, & finitimos Weſtphaliæ Principes, inter ſe fœderibus devinctos, auctore Simone Paderbornenſi Epiſcopo, quem acceptæ, quam diximus, calamitatis memoria inquietum habebat, & Colonienſibus

ſibus haud mediocriter infenſum. Quod magno uſui fuiſſe Archiepiſcopo, multaſque opportunitates ad belli conſilia adjunxiſſe, rei mox conſecutæ eventus demonſtravit. Siffridus enim ubi adverſariorum alios morte abſumptos, alios captivos, afflictos alios aliis cladibus animadvertit, inſperatam nactus occaſionem injurias eorum armis ulciſcendi, ducto in Juliacenſem regionem exercitu, univerſam rapinis, ferro, flammâque conſumpſit.

Indè in Weſtphaliam eſt itum, atque è *Furſtenbergæ* munitionibus in Arensbergenſem Comitatum facta impreſſio, Nehemio proximo ejus oppido, aliiſque caſtellis circumſeſſis, expugnatis & everſis. Quocirca Godefridus Comes Arensbergenſis & Ludovicus ejus filius, in caſtris prope Nehemium poſitis, renuntiare coacti reliquis Colonienſium hoſtibus ſocietatem fœderis, pacem popoſcerunt, impetraruntque. Quam deinde An. MCCLXXXVIII. *ut refert Cleinſorgius*, recrudeſcentibus utrimque diſſidiis, interventu Joannis Nobilis Domini de Bilſtein/ Weſtphaliæ Mareſcalli, aliorumque, Siffridus & Ludovicus redintegrarunt. Sub idem ferè tempus exorta gravis inter Reinholdum Geldriæ, & Adolphum Montium Comites, de hæreditate defuncti Ducis Limburgenſis contentio, acribus partium ſtudiis incenſa, funeſtiſſimum in bellum erupit. Ejus cauſa Siffridum Archiepiſcopum, Henricum Weſterburgium, Henricum Lutzenburgium, Adolphum Naſſovium, Theodoricum Clivium, Joannem Limburgium ad Lenam, Walramum Falckenbergium, Theodoricum Mörſanum, Walramum à Rupe, alioſque Geldris adjunxit. Joannes contrà Brabantiæ Dux, qui ſibi Adolphi Limburgenſem Ducatum vendicantis jus comparaverat, Walramus Juliacenſis, Eberhardus Marcanus, Walramus, Joannes & Balduinus Lutzenburgici, Fani S. Pauli, & Loſſenſes Comites, & Reſpublica Colonienſis in partes Montani Comitis deſcenderunt, tantis utrimque animis, tantâ opum & cauſæ fiduciâ, ut neutro acie decernere verito, prope vicum Woringen/ collatis ſignis dimicarint. Brabantinus & Montanus eo prælio victores, Reinholdum ceperunt multis vulneribus affe-

affectum, nec antè libertate donarunt, quàm omne jus ſuum remiſiſſet; Siffridum verò, qui etiam in poteſtatem eorum venerat, per ſeptem annos in cuſtodia habuêre. *Annales Colonienſes, & Levoldus à Northoff in Chronico Marcano.*

Toto illo tempore Eberhardo Marcano impunè licuit conterminam Weſtphaliæ provinciam, pro ſuo in Colonienſem Archiepiſcopum implacabili odio, vexare ac prædari, Werlæ mœnia dejicere, *Furſtenbergâ* potiri, & direptionibus omnia latè infeſta habere; quoad Siffridus in integrum reſtitutus hoſtiles injurias ultum ivit, amiſſa recuperavit, Marcanos coërcuit, & continuo Adolphum perſecutus bello, ſuperioris cladis auctorem devicit, & captivum, dum vixit, arctiſſimâ cuſtodiâ aſſervavit. Sed Eberhardo in magnas propterea anguſtias adducto, nec animus, nec conſilium defuit ſe ſuaque defendendi. Siquidem Rutgeri de Altena / Dapiferi ſui operâ, redemptum D. marcis ab Hunoldo de Plettenberg / Milite An. MCCXCVI. caſtrum Waldenberg / munivit, commeatu inſtruxit, præſidio firmavit, & nobilem Dominum de Bilſtein / & Caſtrenſes in Waldenberg / potentiâ virtutiſque gloriâ excellentes, ſuas ad partes traxit, quò crebras Colonienſium excurſiones, Attendoriæ, & Snellenbergæ excubantium, reprimeret, & inprimis Joannem de Plettenberg / Mareſcallum Weſtphaliæ imminentem occaſioni rei bene gerendæ pluribus in locis diſtineret. *Levoldus à Northoff.*

Wichboldus poſtea Archiepiſcopus Colonienſis eundem Marcanum Comitem non minus acrem, quàm Siffridus ejus deceſſor habuerat, adverſarium expertus, belli conſilia renovat, ad quæ privatis etiam rationibus impellebatur: Eberhardus enim cædem ultus Engelberti patris ſui, architectum hujus facinoris Hermannum de Loen / qui Wichboldi ab Holte ſororem in matrimonio habebat, oppugnatum fugatumque Bredenvordæ poſſeſſione dejecerat, atque Ottone Rithbergio Monaſterienſi Epiſcopo conſentiente, ejus imperium ſibi retinebat. *Levoldus à Northoff.* Quare Wichboldus cupiditate incenſus reſtituendi in integrum affinem ſuum expedito exercitu Dorſtenam

nam iter intendit, nec tamen ultra, conceſſis hoſti induciis, progreditur. Interea Eberhardus oblatâ occaſione Hoveſtadium, ditionis Colonienſis caſtrum, invadit ac diruit; perque omnem latè provinciam Weſtphaliæ, rapinis, cædibus incendiiſque graſſatur; Archiepiſcopus contrà adjunctis ſibi Landgravii Haſſiæ, & Henrici Naſſoviæ Comitis auxiliis, Hoveſtadium recuperat & inſtaurat, Unnam Marcani Comitatûs oppidum exurit, & magnam cæteris infert vaſtitatem; nec deſtitiſſet porrò injurias ſibi factas ulciſci, niſi gravi morbo implicitus ſenex inducias paciſci, & redire Suſatum coactus mortem illic obiiſſet.

Henricus deinde Virneburgius, Wichboldi ſucceſſor, conſtitutis Paderbornæ rebus, quò fortè gravis eum diſſenſio Guntheri Comitis Swalenbergenſis, & Theodori Baronis Itterani, de Epiſcopatu inter ſe contendentium, evocaverat, ut Weſtphaliam ab injuriis finitimorum Comitum tueretur, & in fines eorum incurſiones commodiùs faceret; *Furſtenbergam* ſuperiore memoriâ ab Eberhardo exciſam, An. MCCCVII. reparat & novis operibus communit. *Levoldus à Northoff, & Cleinſorgius.* Eandem tamen Henricus ipſe An. MCCCIX. iterum demolitur, *teſte Henrico de Hervordia*, ſive hoſtium inſidiis intercepta, niſi propriâ ruinâ recipi nequiverit, ſive *Furſtenbergii* ejus domini in Eccleſiam Colonienſem quid commiſerint, de quo nihil certi habeo affirmare. Non multò poſt *Furſtenbergiorum* opibus utcunque inſtauratam, Engelbertus denuò patris ſui Eberhardi exemplo, An. MCCCXI. obſidet, evertitque. *Levoldus à Northoff, & Henricus de Hervordia.* Quod Henricus Colonienſis, & Ludovicus Haſſus Monaſterienſis Epiſcopus, privatis de cauſis uterque Marcano infenſus, haud inultum ferendum rati, ejus ditionem populabundi invadunt, & *Furſtenbergiis*, ob egregiam operam in hac expeditione ſibi navatam, An. MCCCXII. *Furſtenbergam* novis ſeptam munitionibus reſtituunt. *Wernerus Teſchenmacherus Annal. Cliviæ & Marckiæ, parte* II. *cap.* I. *Levoldus à Northoff.*

Immaturus deinde obitus Henrici VII. Cæſaris, gravioris belli incommoda Germaniæ importavit, maximumque in diſcri-

men Colonienſis præcipuè Archiepiſcopi provincias adduxit. Cùm enim Henricus Colonienſis Fridericum Auſtriacum, Moguntinus contrà, & Trevirenſis Ludovicum Bavariæ Ducem, diſſidentibus inter ſe ſuffragiis, ad Imperium evexiſſent, & Cæſareâ coronâ exornaſſent, tantum hinc odii Bavarus in Colonienſem Archiepiſcopum concepit, ut ipſe in præſentia Auſtriaci belli curis diſtentus, Wilhelmum Arensbergenſem, Engelbertum Marcanum, Simonem Lippienſem, alioſque Weſtphaliæ Comites ac Principes finitimos, ad divexandas diripiendaſque Henrici provincias impulerit. *Levoldus à Northoff, & Cleinſorgius.* Itaque Colonienſis Archiepiſcopus, & Rupertus Comes de Virneburg Weſtphaliæ Mareſcallus, in ſummas difficultates conjecti, cum *Furſtenbergiis*, cæteriſque Weſtphaliæ Caſtrenſibus in Rüden / Hoveſtad / Snellenberg / Werle / Hallenberg / Almene / Aldenwilß / Scarpenberg / & civitatibus Tremoniâ, Suſato, Briloniâ, Monte Martis, Attendoriâ, Recklinghuſâ, Dorſtenâ, Werlâ, Geſeckâ, Rudenâ, Warſtenâ, Callenhardâ, Bedelickâ, Medebaco, Winterbergâ, Hallenbergâ, Smalenbergâ, & Volckmarſiâ An. MCCCXXVI. pacem, quam vocant Burgenſem, ineunt, ac fœdus mutuæ defenſionis, Caſtrenſes inter, & Weſtphaliæ civitates jam An. MCCCXXV. factum, confirmant, adverſus immenſas opes à Ludovico Bavaro contra ſe comparatas. *Ex tabulis fœderis, & antiquis literis.* Eo pacto indomitum hoſtium furorem undique ingruentium Henricus opportunè refrenavit, & Weſtphaliæ ſecuritati tantiſper conſulit, dum Walramus Juliacenſis, ejus ſucceſſor, diſſidia omnia ſimultateſque felici demum fine componeret. Etſi autem is poſtea à Ludovico Cæſare alienatus, etiam cum Godefrido Arensbergenſi, & Adolpho Marcano Comite, aliiſque Weſtphaliam bello prementibus graves inimicitias An. MCCCXLIV. ſuſceperit, Wilhelmus tamen Juliacenſis, & Adolphus Montanus Comes, pacem inter eos tandem conciliarunt.

Hujus belli tempeſtate, quemadmodum Mendenam, *Furſtenbergæ* vicinum in Weſtphalia oppidum, direptam ac vaſtatam fuiſſe conſtat, ita veriſimilis multorum eſt opinio à majoribus

ac-

accepta, & veluti per manus tradita, etiam *Furſtenbergam* Arensbergenſi agro, & Marcano plus vice ſimplici infeſtam, ſolo æquatam funditusque deletam eſſe, utpote cujus poſt hæc nulla in literis extet memoria. Itaque *Furſtenbergii* adverſæ toties rebus ſuis fortunæ pertæſi, ſedem antiquam, tot bellorum periculis, & cladibus obnoxiam atque expoſitam, planè deſeruerunt, aliamque ſub radicibus montis poſuêre, domicilii ſuperioris cognominem, pari atque olim ratione Waterlappiam ædificaverant. Ex eo tempore diviſis inter ſe avitis poſſeſſionibus, *Furſtenbergam* novam, & *Waterlappiam*, ſeparatim habitare cœperunt, & genus deinceps propagarunt; binis *Oldenburgicis* trabibus in aureo ſcuto rubentibus utrimque retentis: ſed galeâ *Furſtenbergæ* novæ cornibus antiquis, *Waterlappiæ* pennis diſtinctâ. Tametſi hoc diſcrimen non fuerit perpetuum, utriuſque domûs poſteris pennigerâ galeâ promiſcuè uſis. *Ex antiquis literis, & actis de Furſtenbergiorum defenſo jure venandi. art.* 4. *&* 5. *Joannes Velde.*

4. NUNC DESERTA JACET, PRÆCLARÆ GLORIA STIRPIS
USQUE RECENS LONGA POSTERITATE VIGET.]

Bini igitur fratres ſuprà memorati, Fridericus & Wenemarus, numeroſam poſterorum ſobolem procrearunt. Fridericus auctor eſt *Furſtenbergiorum* in Waterlapp, Hollinghoven, Hörde, Stirpe, & in Livonia. A Wenemaro genus ducunt *Furſtenbergii* in Furſtenberg, Nehem, Senden, & in Geldria. In Wenemari poſteris claruerunt Hermannus, & Wilhelmus, Wenemari filius, ac nepos, & Gothardus Wilhelmi filius, Mareſcallus Weſtphaliæ, & Satrapa Nehemenſis: quam præfecturam An. 1446. Theodoricus Archiepiſcopus Colonienſis pro 5000. florenis aureis ipſi oppigneravit, poſterique illius poſſederunt, uſque dum Salentinus Archiepiſcopus Colonienſis An. 1570. pignus liberavit; Uxorem habuit Gertrudim de Cronenberg. Utriuſque filii fuêre, Philippus Mareſcallus Caroli Ducis Geldriæ, Jodocus & Philippus Milites Ordinis Teutonici in Livonia, Antonius & Wilhelmus Satrapæ Nehemenſes, qui poſtremus è Sophia de Witten conjuge ſuâ, ſuſcepit Wilhelmum magnum Magiſtrum Ordinis Teutonici in Livonia, Godefridum

Canonicum Rigenſem, & Georgium Satrapam Nehemenſem, ejus uxor Eliſabetha de Gent fuit, & utriuſque filius Laurentius, cujus uxor Catharina de Reck, ei peperit Jodocum Furſtenbergium in Furſtenberg & Senden, qui è conjuge ſua Joanna de Strunckede, nullis ſuſceptis liberis, ex Hungaria revertens, ubi legionis equeſtris legatus, auſpiciis Ordinum Circuli Weſtphalici, Cæſari adverſus Turcas militaverat, obiit An. 1596. 11. Novembr. Viennæ in æde Cathedrali ſepultus, ſtirpis ſuæ ultimus. Antonii ſupradicti & Petronellæ Wrede filia, Cordula, Abbatiſſam Geſekenſem egit. Furſtenbergios in Livonia, & in Hollinghoven ex Waterlapp oriundos, illuſtrarunt, Otto, fœderati Belgii Ordinum nomine, Juliaci gubernator, tribus in Hungariam adverſus Turcas expeditionibus clarus, Wenemarus Ordinis Teutonici Commendator Mariæburgi, & Philippus, Gaudentius, Georgius, & Gothardus Milites in Livonia. Inter Furſtenbergios è caſtro Stirpe eminuerunt, Antonius Aſſeſſor Spirenſis, & Fridericus Judex aulicus Monaſterienſis fratres, & Joannes Schönebergius Conſiliarius Colonienſis, hujus ſtemmatis poſtremus, An. 1645. 30. Novemb. Suſati exſtinctus. Antequam nunc ad *Furſtenbergios* in Waterlapp progrediamur, operæ precium erit nonnihil referre de Guilielmo Furſtenbergio ſuprà memorato Ordinis Teutonici in Livonia Magiſtro, in quo principatu Henrico à Galen ſucceſſit, & Gothardum de Ketteler ſucceſſorem reliquit. *Huic*, ut ait Joannes Horrion in Panegyr. Paderborn. lib. 3. cap. 2. *duæ res diſſimillimæ egregiam demonſtrandæ virtutis ſuæ facultatem dedêre, Principatus, & adverſa fortuna. Nam cum florenti ætate ſacram illam militiam adminiſtrandam accepiſſet, in multiplici reip. perturbatione conſiliis atque armis integritatem Catholicæ religionis, dignitatemque Ordinis ſartam tectam conſervavit. Quod eo fuit difficilius, quòd cùm frequentibus prælìis laceſſeretur à Moſchis, interea neque vicinorum Dynaſtarum diſſidia, neque orientes jam tum peſtiferæ ſectæ, res ejus eſſe quietas ſinebant. Ubi verò jam ingraveſcente ætate, poſt tantam jactationem, portum ſibi quaſi quendam providit, & deſignato ſibi ſucceſſore, in munitam inprimis arcem Vellinum ſe contulit, ut, quod ſupererat ætatis in honeſto*

otio

otio contereret, ibi verò majus, quàm in medio mari, naufragium invênit. Nam anno MDLX. *cùm Moſchi magnis copiis in Harriam & Lettoniam ſe effudiſſent, tandem cæſo Teutonicorum Equitum exercitu, exeunte Quintili, Vellinum oppidum, quatefactis vi tormentorum muris, & ignibus in tecta conjectis ceperunt. Arcem verò ipſam, in qua Princeps verſabatur, conſcelerati milites, qui in præſidio erant, pacti corporum ſuorum, & omnium, quæ efferre poſſent, incolumitatem, nefariè prodiderunt. Quid plura? direptis, quæ in arce erant, Principis opibus, ipſum fruſtra quiritantem, & fidem eorum appellantem Moſchis dedunt. Neque tamen perfidis ſuâ prædâ diu frui licuit. Nam Moſchi re cognitâ ſpoliatos omnibus, quæ rapuerant, inanes dimiſerunt. Princeps ipſe captivus ductus in Moſchoviam, illuſtre barbaris patientiæ & pietatis exemplum fuit. Cùm enim templo careret, in quo Romano ritu ſacra fierent, velut quondam Abraham, ſub quercu Mambre, ſic optimus ſenex ſtatis temporibus, ſub quâdam arbore Deum colebat. Felicior omnino, qui conſervatâ majorum religione in exilio & cuſtodia diem obiit, iis, qui illâ repudiatâ, fumoſos titulos & fluxas opes ſibi pepererunt.* Ejuſdem meminêre Balthaſar Ruſſovius in Chron. Livoniæ, Joannes Lewenclaius in commentario de Moſchorum bellis adverſus finitimos geſtis, Paulus Oberbornius in vita Joannis Baſilidis M. Moſchorum Ducis, David Chytræus, Jacobus Aug. Thuanus, aliique. Munſterus in ſua Coſmographia p. 1118. hæc de illo ſigillatim: *An. 1560. circa feſtum S. Jacobi obſidebat Moſchus Vellinum arcem, & captum ibidem ſeniorem Magiſtrum Wilhelmum à Furſtenberg, vinctum catenis mittit in Moſcoviam, & in ſingulas noctes ſemel catenatum inſtar urſi producit ad ſpectaculum, atque extremâ inediâ macerat. Unus ſervorum illius ſecutus ultrò, nolebat à Domino ſuo divelli.* An. dein 1564. Wolffgangus magni Magiſterii in Boruſſiâ Adminiſtrator, & Ordinis Teutonici per Germaniam & Italiam magnus Magiſter, ſuo & totius Ordinis Teutonici nomine, legatos miſit in Moſcoviam, ingenti nobilium ac famulorum catervâ ſtipatos, commendatitiiſque Ferdinandi Cæſaris literis, & multis donis 3000. ſcutatorum precium excedentibus inſtructos, ut Wilhelmum in libertatem vindicaret; quos quidem legatos menſe Novembri ab irato Livonibus

Moſcoviæ tyranno auditos, & munera fuiſſe accepta, ſed petitam captivi Principis reſtitutionem ſucceſſu caruiſſe, oculatus teſtis eſt Raphaël Barberinus, Mariæ Anglorum Reginæ in Moſcoviam legatus, in ſua narratione Italica An. 1565. 16. Octobr. Antwerpiâ ad Comitem Nubarolæ de rebus Moſcoviæ data, & An. 1658. Viterbii edita. Sed plenius hæc licet recognoſcere ex relatione ipſorum Legatorum, quæ in Archivo Ordinis Teutonici Marienhemii conſervatur, & legatos hiſce nominibus nobis exhibet, nimirum Bernardum de Bever/ Commendatorem in Othmarsheim / Theobaldum de Ramſwagen Commendatorem Friburgi in Briſgovia, Melchiorem Termo Commendatorem in Weiſſenburg/ Franciſcum de Haßfeld/ Commendatorem in Griffſtett / Ordinis Teutonici Equites, & Joannem Wagener/ & Oſwaldum Lurzing/ J. V. Doctores. Quæ tanta calamitas, juſto Dei judicio, haud dubiè propterea illi accidit, quod Gulielmo Brandeburgico Archiepiſcopo Rigenſi, manus & vincula injecerit, captumque in arce Caconhuſia arcta in cuſtodia habuerit. E tanto igitur, ut ad propoſitum revertamur, *Furſtenbergiorum* numero, ſoli hodie ſuperſtites *Furſtenbergii* ex Waterlapp / divino beneficio adhuc florent vigentque. Quorum primam quidem originem Joannes Velde utcunque explicuit, poſteriorem autem genealogiam morte præreptus non abſolvit. Nos in gratiam illuſtris familiæ, ex antiquis literarum monumentis, Ditmari Molleri tabulis genealogicis, & Joannis à Berſwordt/ nomenclatore nobilitatis Weſtphalicæ, eam breviter decerptam poſteritati nunc conſecramus, quæ contrà Boëtiani illius dicti perpetuò meminerit velim. SI QUID EST IN NOBILITATE BONUM, ID ESSE ARBITROR SOLUM, UT IMPOSITA NOBILIBUS NECESSITUDO VIDEATUR, NE A MAJORUM VIRTUTE DEGENERENT.

STEM-

STEMMA BARONUM FURSTENBERGIORUM

In Waterlapp, Snellenberg, Furſtenberg, Herdringen, Advocatorum hæreditariorum in Grafſchafft, Dynaſtarum in Oberenkirchen.

Ex originibus Furſtenbergicis Joannis Velde è Societate JESU, *tabulis genealogicis Ditmari Molleri Tremonienſis, Joannis à Berſwordt nomenclatore nobilitatis Weſtphalicæ, & antiquis literarum monumentis deductum.*

Fridericus nobilis Dominus in Furſtenberg, Reinhardi, qui Hermanni Comitis Arensbergenſis è ſorore nepos An. 1115. IV. Id. Februar. commiſſo à Saxonibus ad ſilvam Wolphonis prælio interfuit, filius, in bello Saxonico Henrici Leonis An. 1180. exauctorati Saxoniæ Ducis partes adverſus Philippum Archiepiſcopum Colonienſem ſecutus, navatæ operæ præmium tulit, Furſtenbergæ excidium, & avitorum jurium maximam imminutionem. Quare Furſtenbergæ vaſtatæ proximam Waterlappiam, inter Werle & Nehem oppida ſitam, cum ſuburbio, foſſis, & munitionibus, quas ſuperiori ſæculo diruit Truchſeſianus furor, ædificavit. Uxorem habuiſſe legitur Adelheidam de Ardeia, Everhardi nobilis domini de Ardeia ſororem.

Hermannus Furſtenbergius S. Engelberti beneficio inſtauratam An. 1219. Furſtenbergam recuperavit, & defendit adverſus nobilem virum Gerhardum de Brubach, S. Engelberti Archiepiſcopi Colonienſis hoſtem. Nec minori fide, & grati animi obſequio, Henrico de Mollenarck Archiep. Colonienſ. An. 1225. S. Engelberti cædem ulciſcenti, & An. 1230. jus Advocatiæ Sibergenſis propugnanti ſuppetias tulit. Uxor ejus fuit Agnes nobilis Domina de Wildenberg.

Fridericus Furſtenbergius Dominus in Waterlapp, unà cum Wenemaro fratre, & aliis Weſtphaliæ Dynaſtis, An. 1254. capit in prælio Simonem

Wenemarus Furſtenbergius Dominus in Furſtenberg, auctor familiæ

Epiſcopum Paderbornenſem, Werlam, Callenhardam, Warſtenam, & Furſtenbergam deprædatum, & Colonienſi Archiepiſcopo cuſtodiendum tradit. Anno verò 1264. feria 4. poſt Remigii, civitas Callenhardenſis occaſione defuncti conſulis, vaſalli hactenus perſonam ſuſtinentis, per literas eum rogat novam feudi vacantis conceſſionem. Hic pari jure cum fratre ſuo Furſtenbergæ, dum vixit, dominatus fuit. Uxor illius Mechtildis de Grafffchafft, filia Crafftonis nobilis Domini in Grafffchafft.

liæ Furſtenbergiorum in Furſtenberg, An. 1290. Eccleſiæ Colonienſi feudi nomine obligat decimas in Huſten. Hujus ſtemma, An. 1596. 11. Novembris Jodoco Furſtenbergio Viennæ extincto, unà emoritur.

Fridericus Furſtenbergius omnibus iis bellis, quæ ſuo tempore Colonienſes Archiepiſcopi cum vicinis Marcanis, & Arensbergenſibus Comitibus geſſere, & quibus Furſtenberga, An. 1295. ab Eberhardo Comite Marcano, An. 1309. ab Henrico Archiepiſcopo Colonienſi, An. 1311. ab Engelberto Comite Marcano, & An. 1345. à Godefrido Arensbergenſi, & Adolpho Marcano Comite obſeſſa, expugnata, & deleta, atque identidem à Furſtenbergiis, & Archiepiſcopis Colonienſibus reſtaurata & munita fuit, multùm inclaruit. Eidem An. 1309. octavâ die aſſumptæ Virginis Mariæ, Arnoldus Dungel vir nobilis bellum denunciat. Cum eodem, & patruelibus ejus, ac pluribus Weſtphaliæ Caſtrenſibus & civitatibus, Henricus Archiepiſcopus Colonienſis, & Rupertus Comes de Virneburg, Weſtphaliæ Mareſcallus, publicæ ſecuritatis cauſa fœdus faciunt An. 1326. Uxorem habuit Juttam de Bilſtein, filiam Theodorici nobilis Domini de Bilſtein.

Wenemarus Furſtenbergius, Paderbornenſium hoſtis, Monaſterium Bodecenſe, unà cum Eccleſia vaſtat, incendit, & Anno 1370. feriâ quintâ poſt octavam Apoſtolorum, Simoni Epiſcopo Paderbornenſi

Antonius

Antonius, & Wilhelmus, Archiepiſcopo Colonienſi Friderico Tremoniam oppugnanti anno 1388. & An. 1390. exorto bello de vectigali Cæſaris Inſulæ, & de Linnenſi ditione, contra Adolphum Clivenſem, & ejus fratrem Engelbertum Marcanum Comitem, opē tulerunt.

Wilhelmus cum fratribus anno 1365. tranſegit, & in obſidione Tremonienſi, aliiſq; bellis Eccleſiæ Colonienſi adfuit. ἄπαις.

Hermannus ejus uxor Ermgardis Bock ex Palſterkamp, filia Jacobi Bock. ἄπαις.

re-

reconciliatur. An. 1371. conſiliarius Colonienſis intimus, à Friderico Archiepiſcopo Colonienſi, univerſæ Diœceſi, ſummus militarium copiarum ejus dux, ac gubernator, & primus Satrapa Arensbergenſi provinciæ magno cum imperio præficitur. Quare Colonienſi Eccleſiæ, pro munere ſuo, utilem fidamque operam præſtitit in bello An. 1383. ab Engelberto Marcano Comite Colonienſibus illato, quo Werla Weſtphaliæ oppidum conflagravit. Defunctus An. 1386. Uxor ejus Catharina nobilis de Pattberg.

Fridericus Furſtenbergius ſtrenuus miles, variis in bellis pro Eccleſia Colonienſi geſtis, claruit: ſiquidē An. 1388. Friderico Archiepiſcopo Colonieſi Tremoniam obſidione prementi, unà cum Wenemaro fratre, patruo, &	Wenemarus conditor ſtemmatis Furſtenbergici in Livonia, Friderici fratris ſui in pleriſque omnibus bellis adjutor & ſocius. Uxor ejus Godula Freſeken, filia Joannis Freſeken, heres in Hollinghoffē, quam Joanni Schneidewindt vendiderunt.	Ludolphus — Uxor ejus Anna Ludeſcheid dicta Altena. Poſſederunt Wilshuſam pignoris loco. Eorum filius Joannes arcem Hollinghoffen redemit à Gerhardo Schneidewindt An. 1457. & Furſtenbergios in Hollinghoffen propagavit, cujus ſtemma cum Ludolpho ejuſdem nominis ac ſtemmatis ultimo An. 1581. interiit. Arce Hollinghoffen per Annam ultimi Ludolphi filiam, Laurentio de Furſtenberg in Furſtenberg & Senden toparchæ nuptam, ad Furſtenbergios in Furſtenberg devolutâ. Hujus etiam ſtemmate extincto, ab Erneſto electore Colonienſi coëmpta tranſiit in dominium Wilhelmi de Bavaria, Baronis in Hollinghoffen, nunc ab ejus ſororis filiis Baronibus de Bylé poſſidetur.

patruelibus ſuis tulit ſuppetias. An. 1390. Timannus à Selbach dictus Loe, propter Fridericum Archiepiſcopum Colonienſem, cujus hoſtis erat, bellum ei indicit. Contrà An. 1394. ipſe & Wenemarus ejus frater Ruperto de Raesfeldt in Offendorp hoſtilitatem denuntiant. Illorum viciſſim hoſtes, in gratiam Bitteri de Raesfeldt, ac Joannis illius filii, eodem ſe tempore profitentur, Theodorus de Bynnehove, Lubertus de Lange, Theodorus Rodenberg, Henricus & Arnoldus Rodenberg, Gerrus de Wiſſche, Jordanus de Loe, & Joannes Rodenberg, Sanderus & Weſſelus de Galen fratres, Spingerus de Galen dictus Rodenſterdt, Everhardus de Puſepe, Engelbertus & Joannes de Sendene fratres, Joannes Tule, Theodorus de Pepele, Lambertus Schmeck, Bickerus & Walterus de Brabeck, Wernekus de Dollenkunde, Hugo de Dorſtene, Webetus de Brabeck nothus, Albertus Krief, Theodorus Crane, Joannes Schyle, Hermannus ab Heydene dictus

Aldenbach, Henricus de Baysdunck dictus Summer, Bernardus Oyrman, Joannes Lepele, Sanderus de Berneveldе, Wenemarus Unbekunde, Everhardus Heybe, Hermannus Vogelſtat, Joannes Vule, Joannes Spiel, Everhardus Bolte, & Hubertus de Tendeninck. Quod idem facit Joannes Spiegel ex Deſenberg, qui An. 1395. unà cum ſocio ſuo Henrico Amepe, Friderico Archiepiſcopo Colonienſi inimicus, iiſdem fratribus Furſtenbergiis, ob eorum in Eccleſiam Colonienſem ſtudium, bellum indicit. Cùm deinde Friderico Archiepiſcopo Colonienſi An. 1403. bellum eſſet cum Naſſovicis, & Limburgicis Comitibus, Fridericus Eccleſiæ Colonienſi opem tulit. Poſtea An. 1407. pro Arnoldo Dungelen, Henricus de Droſte, Everhardus de Wickede, Albertus Sobbe, Wenemarus Sobbe fratres, Fridericus de Latte, Theodoricus de Dingen, Henricus de Berneholt, Rotgerus de Eſlo, Henricus Danus cum famulis & auxiliis ſuis inimicitias cum Friderico ſuſcipiunt. Compoſitis deinde controverſiis, Fridericus adverſus Arnoldum Dungel, & ejus ſocios, & Arnoldus Dungel, ejuſque ſocii Godehardus Stecke, Rotgerus de Werderden, Gerhardus de Plettenberg, Bernardus ab Hagenbecke, Joannes ab Aldenbockem, Arnoldus Henſveld, Everhardus de Wickede, Henricus ab Holte, Theodorus de Dungen, Everhardus ab Endorpe, Theodorus Schenckeber, Rotgerus Schenckeber fratres, Iſebrandus de Schwalmen, Theodorus Schade, Joannes de Sovene, Walter de Kore, Beſo de Brabecke, Theodorus Weſternich & Wachand fratres, Henricus Ovelken, Adolphus de Weſterholt nothus dictus Korte, Wenemarus Hemmerberg, Fridericus Kekelenkegen, Bruno ab Hunſchede, Joannes Wenever, Bernardus Hœgenveld dictus Brige, Joannes de Sterenberg nothus dictus Schukoſten, Werlagus Schampert, Joannes Schulte, Wihelmus Schulte, Joannes Heſſe, & eorum famuli, & auxiliatores, adverſus Fridericum hoſtilia reſumunt. Quando etiam Fridericus Archiepiſcopus Colonienſis, & Adolphus Clivenſis & Marcanus Comes, Wilhelmo de Monte Epiſcopo Paderbornenſi bellum intulerunt, & An. 1410. Delbrugiam Paderbornenſis Diœceſis regionem depopulati, magnam illic cladem accepere; idem Colonienſi Eccleſiæ præſtò fuit. Demum An. 1416. Friderico & Wenemaro fratribus, & Wilhelmo ſeniori de Furſtenberg, Antonius de Scheidungen, Rutgerus de Klotyngen, Engelbertus de Hillbecke, Henricus de Schwane dictus Kleyne Hynze, Wolffurt op dem Berge, Spenwert de Schorlenberg dictus Stry lauff, cum famulis & adjutoribus ſuis, Theodorici de Mœrſa Archiepiſcopi Colonienſis hoſtes, propter dominum ſuum Wilhelmum de Monte Epiſcopum Paderbornenſem, cum Theodorico de electione Colonienſis Archiepiſcopi contendentem, bellum denuntiant. Friderici hujus uxor fuit Walburgis de Ketteler.

Her-

Hermannus Furſtenbergius Theodorico Archiepiſcopo Colonienſi in bello Suſatenſi auxiliatus,& an. 1446. Sabbatho poſt feſtum SS. Simonis	Wilhelmus = Uxor Gerdrudis. ἄπαις.	Fridericus Hildeſienſis Canonicus & ſacerdos,ſanctimonialibus in Himmelport & Olinghauſen,certos annuos reditus donat, pro ſui ſuorumque memoria ſervanda An. 1471.	Alberta nupta Friderico Freſeken.

& Judæ, in prælio à Suſatenſibus captus fuit, qui ingraveſcente jam ætate religioni ſe totum dedit, & diverſa cœnobia largo cenſu donavit, ad ſervandam ſui ſuorumque in ſacrificiis & ſuffragiis jugem memoriam. An. 1450. pridie S. Jacobi Apoſtoli inter complures Weſtphaliæ proceres teſtis ſubſcribit confectis tabulis de Juliæ & Montium Ducatu, ſi Gerhardum eorum Ducem ſine liberis mori contingeret, Eccleſiæ Colonienſi acceſſuro. Idem An. 1417. Nolkoni de Beringhuſen prædium in Loen, Vranconi de Heygen, & Bernardo de Lunen prædium Brockhuſen, Joanni de Lunen decimas in Gerlinckhuſen, Joanni de Hanxleden,&Rotgero Lurwaldt prædium in Stockenberg, Goſwino Lurwald prædium in Sutterpe & Miſte, Raboni de Thulen in Brucken prædium in Gerlinckhuſen, Hermanno de Wette prædium in Loen, Civitati Callenhardenſi prædium Gerlinckhoff. An. 1433. ipſo die S. Benedicti Theodoro Torck in Edinckhuſen prædium in Langeveld. An. 1437. Theodoro de Lunen prædium in Gerlinckhuſen. An. 1470. Bernardo de Landsberg prædium in Brenchuſen, nobilibus vaſallis, & clientibus ſuis, in beneficium ſeu feudum concedit. Defunctus An. 1471. Uxor ejus Hedwigis de Reck, Werlæ ſepulta in Eccleſia Parochiali, ante aram Deiparæ Virginis Mariæ.

Wenemarus Furſtenbergius Deo vixit,& ſibi. Defunctus An. 1484. 23. Aprilis. Sepultus in Eccleſia Monaſterii Himmelport. Uxor ejus Cordula de Galen, filia Rotgeri de Galen, Domini in Herten, & Catharinæ de Boleſwinckel, miræ	Fridericus Archiepiſcopo Colonienſi Theodorico Suſatum oppugnanti præſtò fuit. An. 1446. feriâ ſextâ poſt Dominicam Judica in prælio ante Werlam à Suſatenſibus captus. ἄπαις.	Antonius Monaſterienſis Canonicus, mortuus An. 1459. feriâ ſecundâ Paſchatis. Tremoniæ in templo PP. Franciſcanorum ſepultus, qui An. 1467. die S. Martini fatentur ſe obligatos eſſe ad annuam ejus memoriam in ſacrificiis, & ſuffragiis celebrandam.

ſanctitatis matrona, quæ 36. annis vidua, in Himmelport apud filiam Urſulam

ſulam ejus loci Abbatiſſam, optimè de Monaſterio merita, conſenuit. An. 1516. 4. Decembr. defuncta, & prope maritum ibidem tumulata.

Fridericus Furſtenbergius, Satrapa Werlenſis, An. 1519. ab Hermanno Archiepiſcopo Colonienſi inter conſiliarios cooptatur. An. 1484. 24. Junii cum Wenemaro, & Hermanno fratribus fundat beneficium Eccleſiaſticum in parochiali æde in Bremen. An. 1496. civitatem Callenhardenſem, alioſque clientes feudis inveſtit. An. 1543. 3. Aprilis moritur, ſepultus Werlæ in monumento aviæ ſuæ. Ejus uxor Metta de Plettenberg in Neilen, filia Remberti de Plettenberg ex Neilen, & Adelheidis ab Ermelen, nupta An. 1503. defuncta An. 1511. ſepulta in Himmelport.

Wenemarus auctor Furſtenbergiorum in caſtro Stirpe, obiit An. 1503. 22. Aug. Suſati; cujus ſtemma, in Joanne Schonebergio de Furſtenberg conſiliario Colonienſi An. 1645. 30. Novembr. extincto, deſiit.

Hermannus Canonicus Monaſterienſis & Paderbornenſis, Presbyter, & in choro pſallentium Deo aſſiduus, obiit An. 1547. pridie exaltationis S. Crucis, Monaſterii ſepultus, fundator perpetuæ memoriæ in Himmelport.

Joannes Abbas Sibergenſis, alter ejus Monaſterii fundator, optimè ſuis præfuit, An. 1549. 7. Decembr. defunctus, & ſepultus Sibergæ in ſacello à ſe extructo.

Antonius Ordinis Præmonſtratenſis Canonicus Cappenbergenſis, Præpoſitus in Bürick prope Weſaliam inferiorem, & SS. Canonum Doctor.

Caſpar & Wernerus milites Ordinis Teutonici in Livonia, quorum primus obiit An. 1532. 19. Octobris.

Agatha Uxor 1. D. Pentling. 2. D. Schungel in Wokelem.

Urſula Abbatiſſa in Himmelport, præclarè de illo Monaſterio merita, 48. annis præfuit. An. 1548. 16. Julii defuncta.

Eliſabetha & Hadwigis Moniales in Monaſterio Paradiſi propè Suſatum.

Anna Monialis in Olinghauſen obiit An. 1535. 12. Julii.

Catharina Decaniſſa in Freckenhorſt, bene de Monaſterio Himmelport merita, obiit An. 1526. 16. Aprilis.

Fridericus Furſtenbergius quatuor Principum Electorum Colonienſium, A-	Caſpar infans mortuus.	Eliſabetha uxor Chriſtophoro à Plettenberg in Lenhuſen deſponſa An. 1529. 2. Feb.	Catharina obiit infans.

dolphi, Antonii, Joannis Gebhardi, & Friderici conſiliarius, & Satrapa Werlenſis, cujus integritas, doctrina, prudentia, dicendi vis, cum in patriæ negotiis,

gotiis, tum in publicis imperii conventibus, ſæpenumerò cognita eſt. An. 1564. 25. Octobr. per contractum antichreſeos, pro decem aureorum millibus, acquirit ſibi ſuiſque præfecturas Bilſtein & Waldenburg. An. 1559. interfuit comitiis Auguſtæ Vindelicorum celebratis, conſiliarius Joannis Gebhardi Archiepiſcopi Colonienſis. An. 1564. ab Ordinibus Weſtphaliæ Ducatûs ad Electorem Colonienſem pro impetranda privilegiorum patriæ confirmatione miſſus, in magnum propterea odium & offenſionem Friderici Archiepiſcopi Colonienſis incurrit. An. 1566. ab eodem mittitur legatus ad conventum Lubecenſem. an. 1567. 21. Martii moritur, ætatis ſuæ An. 57. Scheidæ ſepultus. Uxor Anna Weſtphael, filia Rabani Weſtphael, Satrapæ in Lichtenau & Wunnenberg, & Helenæ ab Horde dominæ in Böcke. nupta An. 1538. 4. Auguſt. obiit An. 1583. feſto S. Joannis Baptiſtæ die, Olinghuſæ ſepulta.

Caſpar Furſtenbergius An. 1544. 11. Novembr. naſcitur. An. 1566. Kal. April. ætatis ſuæ 19. Coloniæ licentiam utriuſque juris interpretandi adeptus, quinque Electorum Colonienſium, ac trium Moguntinorum, & Principis Paderbornenſis Conſiliarius intimus, & Satrapa in Bilſtein, Fredeburg, Waldenburg, Lenne, Fritzlar, & Naumburg. Archiſatrapa Weſtphaliæ An. 1613, 19. Aug. Ratisbonæ præficitur. Satrapiis Bilſtein, Waldenburg, & Fredeburg, præfuit annis 49. Ducatûs Weſtphaliæ gubernacula 5. annis tenuit. Omnibus Imperii conventibus, ab anno 1567. uſque ad an. 1618. habitis, interfuit, vel legatus, vel à conſilii primoribus, & calamitoſis Reipubl. temporibus, incredibili fide, labore, integritate, conſtantiâ, Religioni Catholicæ, Romano Imperio, Patriæ ſervivit. Truchſeſiano motu omnibus fermè nutantibus, ſolus ex Equeſtri Ordine conſtans in fide Eccleſiæ Romanæ, & Colonienſis manſit, omnibuſque eâ tempeſtate fortunis ſpoliatus, & in exilium actus, apud fratrem ſuum Præpoſitum Paderbornenſem hæſit, uſque dum ab Erneſto in locum Truchſeſii electo Archiepiſcopo Colonienſi, ad Francofurtenſem conventum An. 1583. 23. Sept. adverſus Truchſeſianos legatus, & An. 1584. 19. Martii, Bavari exercitûs ducibus adjunctus, & Weſtphaliæ recuperandæ conſilia moderatus, unà cum Repub. in integrum reſtitutâ, amiſſas opes ſuas cum fænore recepit, & pleriſque omnibus indigenis, Truchſeſii partes ſecutis, veniam iterum ac gratiam impetravit. Quare ſummo loco apud Erneſtum, & Ferdinandum ejus ſucceſſorem fuit, & ille pro ſex millibus aureorum florenorum, Satrapiam Fredeburgenſem ei oppigneravit An. 1585. 18. Octob. Hanc deinde Maximilianus Henricus Archiepiſcopus & Elector Colonienſis, utriuſque ſucceſſor & nepos, An. 1665. 6. Maii unà cum Bilſtenienſi & Wallenburgenſi præfecturâ repigneravit, eo modo, & emolumento familiæ Furſtenbergi-

cæ, ut illius poſteri mnemoſynon, & cauſam habituri ſint, Principum gratiæ, majorum ſuorum meritis, & chirographis parum confidendi, ſibique à mutuo potentioribus dando poſthac diligentius cavendi. Demum vir imprimis doctus, prudens, facundus & diligens, familiari uſus ſymbolo, *Præſum ut proſim*, podagræ doloribus confectus, An. 1618. III. Non. Martii obiit. relicto ob ſua in rempub. merita ingenti patriæ luctu. natus An. 72. menſ. 4. dies 2. Arensbergæ ſepultus in Æde Wedinghuſana, ante aram marmoream cum epitaphio ejus poſitam. Uxor Eliſabetha Spiegel ex Peckelsheim, Joannis Spiegel ex Peckelsheim, & Godæ Spiegel in Deſenberg filia. nupta An. 1573. 4. Octobris. obiit Bilſtenii An. 1587. Kal. Junii, ſepulta in Veſchede.

Fridericus Canonicus Moguntinus & Paderbornenſis, S. Albani & S. Petri Moguntiæ. natus An. 1538. fundat An. 1605. perpetuam eleëmoſynam pro ſex pauperibus Attendoriæ alendis. obiit An. 1608. 9. Januarii, ætatis ſuæ 70. Moguntiæ in ſacello S. Joannis Baptiſtæ in Æde Metropolitana ſepultus.

Theodorus Canonicus Trevirenſis, Præpoſitus Paderbornenſis & Meſchedenſis An. 1546. naſcitur. An. 1585. 5. Junii eligitur Epiſcopus & Princeps Paderbornenſis. Diœceſi difficillimis temporibus per annos XXXIII. menſ. VI. dies XXIIX. præfuit, tanta cum laude, ut optimorum Præſulum nulli ſecundus habeatur, reſtituit religionem Catholicam, ære alieno Eccleſiam liberavit, auxit vectigalia, duas arces principales Neuhuſium & Wevelsburgum exſtruxit, reliquas collabeſcentes refecit: oppignoratas recuperavit, Paderbornam rebellem compeſcuit, Collegium & Novitiatum Societatis Jeſu, cum Academia publica inſtituit, Ædis Cathedralis Canonicos, & univerſa Diœceſis Monaſteria non uno annuo cenſu locupletavit, & egenis hominibus perpetuam eleëmoſynam largitus. Obiit an. 1618. 4. Decemb. ætatis ſuæ 71. maximo ſui deſiderio relicto. Paderbornæ in Eccleſia Cathedrali ſepultus. Ejus ſymbolum, *Judicium melius poſteritatis erit*, fama poſt obitum ſuperſtes approbavit.

Othilia An. 1585. 11. Kal. Februarii, ætat. ſuæ 33. eligitur Abbatiſſa in Olinghuſen, An. 1589. 5. Julii poſtulatur Abbatiſſa Heriſienſis, utrobique auctis vectigalibus, exſtructis domiciliis, ornatis templis, & perpetuis eleëmoſynis fundatis immortalem laudem promerita, obiit An. 1621. Non. Martii, ætatis 72. cùm Heriſienſi Eccleſiæ An. 33. Olinghuſanæ 35. maximo cum fructu præfuiſſet.

Anna, poſt mortem ſororis, Abbatiſſa Olinghuſana. obiit An. 1626. 29. Novemb. Olinghuſæ, cum Othilia ſorore, proximè matrem ſuam Annam à Weſtphael ſepulta.

Urſula monialis in Himmelport. obiit An. 1560. 2. Aprilis.

Hele-

Helena, uxor Joannis Wulff in Fuchten deſponſa An. 1552. Kal. Novembr.

Barbara, uxor Henrici Smiſing in Tatenhuſen deſponſa An. 1574. 25. Auguſt. obiit An. 1614. 30. Jan. Bilfeldiæ in templo Franciſcanorum ſepulta. Mater Theodori Smiſingii An. 1580. nati, & 10. Aprilis baptizati, ſponſoribus Ottone Durgello Præpoſito Monaſterienſi, & Eliſabethâ Spiegeliâ conjuge Caſpari de Furſtenberg, qui inſtitutum S. Franciſci amplexus Lovanii, ſingularis famâ ſanctitatis, & Theologiæ ſcientiâ inclaruit, genere & ſcriptis libris nobilis.

Agatha, Godeſchalci ab Haxthauſen in Vorden, Archiſatrapæ Paderbornenſis, & Satrapæ in Dringenberg conjux, deſponſa An. 1583. 28. Maii. obiit An. 1637. 7. Septembr. Gerdenæ ſepulta.

Urſula, Rabani Spiegel in Peckelsheim, & Sweckhuſen uxor, deſponſa an. 1577. 29. Aprilis. obiit An. 1621. Paderbornæ in templo Societatis Jeſu ſepulta.

Fridericus Furſtenbergius, dynaſta in Bilſtein & Waldenburg, natus An. 1576. Kal. Martii. humanioribus literis, philoſophiæ, & juri civili operam dedit Coloniæ, uſus deinde Pontimuſſi præceptore & hoſpite, Juriſconſulto ſanè præclaro, Gulielmo Barclaio. A Joanne Swichardo Moguntino Electore ditioni Königſteniæ An. 1610. Kal. Februarii, à Ferdinando Colonienſi Septemviro, & utriuſque Bavariæ Duce, Weſtphaliæ & Angariæ ſummo cum imperio An. 1624. 22. Februarii præficitur. Pro utroque ad quatuor Auguſtos, ad Sueciæ Regem, ad Principes diverſos, ad plura Imperii Comitia legatus ivit, Moguntinus, Colonienſis, & Paderbornenſis conſiliarius intimus. An. 1622. 9. Maii à Ferdinando Electore Colonienſi, conſentiente Collegio Metropolitano, in beneficium ſeu feudum accipit Bilſtenienſem & Waldenburgenſem dynaſtias jam olim ſibi ſuiſque oppignoratas. An. 1637. 27. Novemb. Meſchedenæ in negotiis patriæ ablegatus capitur ab Haſſis, & Lipſtadium abducitur; demum An. 1638. menſe Martio liberatur. Suecis verò Weſtphaliam An. 1646. vaſtantibus exul Bonnam abiit; & 9. Aug. piè illic deceſſit. Natus annos 70. menſes 5. dies 9. & Arensbergæ An. 1647. 25. Februarii ſepultus proximè parentem. Uxor ejus Anna Maria de Kerpen Domina in Illingen, è Weſtraſia, Joannis de Kerpen dynaſtæ in Illingen, & Claudiæ Baronis de Wiltz filia Moguntiæ ei nupta an. 1608. 13. Octobris maximis virtutibus ornata matrona, cum marito 37. An. ſummâ concordiâ vixit, piè defuncta Bilſtenii An. 1646. 15. Martii ætat. ſuæ 58. ſepulta 9. Aprilis in Veſchede.

Joannes Godefridus Canonicus Moguntinus, Trevirenſis, & Paderbornenſis, Præpoſitus Meſchedenſis, natus An. 1570. Kal. Februarii. ægrotus in itinere moritur prope Sigenam in Comitatu Naſſaviæ An. 1624. 11. Septemb. ſepultus Attendoriæ in Æde Parochiali.

Theo-

Theodorus natus An. 1585. 24. Maii, obiit 23. Decemb. ſepultus in Veſchede.

Goda nata An. 1574. 23. Julii. Uxor Bernardi ab Heiden ex Bruch deſponſa An. 1594. 30. Novembris.

Anna nata 1577. 23. Novemb. Uxor Georgii ab Oenhauſen in Eckholt, Satrapæ Paderbornenſis in Neuhaus. deſponſa An. 1600. 6. Februarii. moritur An. 1641. 3. Martii ſingularis probitatis matrona.

Helena Monialis ordinis S. Benedicti trans aquas Monaſterii. nata An. 1580. moritur An. 1647. 3. Aprilis magnâ ſanctitatis opinione.

Othilia nata An. 1582. 6. Octob. eodem moritur.

Eliſabetha nata An. 1587. 9. Januarii. Uxor Chriſtophori ab Horde in Stormede, & Erinckerfeldt. deſponſa An. 1608. 15. Junii. moritur An. 1632. 5. Novemb. ſepulta in Stormede 22. Novemb.

Fridericus Furſtenbergius, S. R. I. Libro Baro. natus in Koningſtein An. 1618. 31. Octob. circa horam tertiam pomeridianam, baptizatus 20. Novemb. Cubicularius aureæ clavis, & intimus conſiliarius Colonienſis, & Paderb. Satrapa in Fredeberg, Advocatus hæreditarius in Graffſchafft, Dynaſta in Bilſtein, Waldenburg, & in Oberenkirchen. Optimis literis in Germania, Italia, & Gallia excultus, in diverſis legationibus, & S. R. I. Comitiis prudentiam, fidem, & eloquentiam ſuam oſtendit. An. 1646. 29. Januarii Ferdinandi, & An. 1651. 6. Januarii Maximiliani Henrici Electorum Colonienſium intimis conſiliis admovetur. An. 1652. 19. Febr. de Bilſtenienſi, & Waldenburgenſi dynaſtia, ſibi ſuiſque in beneficium jam olim conceſſa, cum Ordinibus Ducatûs Weſtphaliæ tranſigit, & An. 1653. 12. Novemb. diuturnam ac difficilem litem de Advocatia Monaſterii Graffſchafft, quam cum Abbate, & Cœnobitis Graffſchafftanis avus ejus ac parens habuerant, certis legibus componit. An 1654. menſe Aprili. Electoribus Moguntino, Colonienſi, & Trevirenſi arcem Hammerſtein ad Rhenum à Lotharingis inſeſſam, & viciniæ diu multumque gravem expugnantibus, ipſe copiis Colonienſibus imperat. Patriæ inprimis amans, & amatus, in arce ſua Herdringa piè moritur An. 1662. 7. Julii. Attendoriæ 10. Julii, ſub veſperam in templo PP. Franciſcanorum, juxta primam conjugem, ſine pompa funebri, quam vetuerat, tumulatus. Prima ejus Uxor Anna Catharina de Petra ex caſtro Leyen, filia Joannis Caſpari von und zu der Leyen, Domini in Eltz, Trevirenſis conſiliarii, & præfecti in Munſtermeyfelt, Cobern, & Alcken, & Catharinæ de Metternich, ſororis Lotharii Archiepiſcopi Trevirenſis. Nupta in Laenſtein An. 1645. 23. Decemb. defuncta in Bilſtein An. 1658. 11. Martii. Attendoriæ ſepulta 3. April. in templo PP. Franciſcanorum ſtrictioris obſervantiæ, pia inprimis femina. Altera

ſuit

fuit Maria Eliſabetha de Breidtbach ex Borresheim, filia Wolfgangi Henrici de Breidtbach, vicedomini, & intimi conſiliarii Moguntini, dynaſtæ in Borresheim, & Mariæ Magdalenæ Dominæ in Eltz. Nupta An. 1659. 9. Junii in Borresheim.

Theodorus Gaſparus Canonicus Senior Moguntinus, Spirenſis, & ad S. Albanum Moguntiæ. in exercitu Regis Catholici Chiliarchus legionis equeſtris in Belgio, naſcitur in Königſtein An. 1615, 9. Martii.

Wilhelmus Chorepiſcopus Trevirenſis S. Mauritii in Tholeia, Præpoſitus Monaſterienſis, Canonicus Salisburgenſis, Paderbornenſis, & Leodienſis, Præpoſitus in Buſtorff, & Meſchede, Prior S. Mariæ de Campeio in Alpibus Tridentinis, intimus conſiliarius Salisburgenſis, & Monaſterienſis, Alexandri VII. Clementis IX. & Clementis X. PPP. Maximorum Cubicularius intimus, multis ad Cæſarem, Principes, & Comitia Imperii legationibus clarus. Naſcitur Bilſtenii An. 1623. 13. Novemb. circa horam tertiam matutinam, baptizatus 26. Novemb. ſponſore Wilhelmo de Weſtphael Archiſatrapâ Paderbornenſis Diœceſis.

Ferdinandus Canonicus Hildeſienſis, Paderbornenſis, & Monaſterienſis, Præpoſitus S. Crucis in Hildesheim, Prior S. Mariæ de Campeio in Alpibus Tridentinis, Alexandri VII. P. O. M. Cubicularius intimus. An. 1661. 20. Aprilis, dum Romæ verſatur, abſens eligitur: 30. Maii confirmatur, 6. Junii in Urbe ab Eminentiſſimo Julio Roſpiglioſio Cardinale, pòſt verò Clemente IX. P. M. conſecratur, & 4. Octob. Paderbornæ inauguratur Epiſcopus ac Princeps Paderbornenſis. An. verò 1667. 19. Julii eligitur, & An. 1668. 30. Aprilis confirmatur Coadjutor, & Succeſſor Monaſterienſis. Ejus ſymbolum, *Suaviter & Fortiter.* Naſcitur Bilſtenii An. 1626. 21. Octob. baptizatur 29. Novemb. ſponſoribus Ferdinando Electore Colonienſi, & utriuſque Bavariæ Duce, & Anná de Furſtenberg conjuge Georgii ab Oenhauſen in Eckholt.

Franciſcus Wilhelmus Archicommendator Ordinis Teutonici per Weſtphaliam, Commendator in Mulheim, & Monaſterii ad S. Georgium, intimus Conſiliarius Paderbornenſis. Naſcitur Herdringæ An. 1628. 29. Septemb. An. 1650. 14. Febr. Mulhemii inauguratur Eques Ordinis Teutonici. An. 1666. 15. Decemb. eligitur Coadjutor, & An. 1671. 20. Maii in Capitulo Generali Marienheimii præſens confirmatur Archicommendator Baliviæ Ordinis Teutonici in Weſtphalia.

Joannes Adolphus, Camerarius & Canonicus Paderbornenſis, Hildeſienſis, & Monaſterienſis, Præpoſitus S. Crucis in Hildesheim, Satrapa in Bilſtein, Waldenburg, & Fredeburg. Naſcitur Coloniæ An. 1631. 16. Martii inter horam octavam, & nonam matutinam.

Anna Urſula naſcitur An. 1609. 16. Auguſti, moritur eodem die.

Maria Catharina nata An. 1611. 28. Januarii, inter horam nonam & decimam veſpertinam. uxor Georgii Chriſtophori Baronis ab Haſelang, utriuſque Bavariæ hereditarii aulæ præfecti, Electoris Bavariæ cubiculo præpoſiti, conſiliarii intimi, & dynaſtæ in Hochkammer & Gibingen. deſponſa Coloniæ An. 1635. menſe Febr.

Anna Barbara Ordinis S. Franciſci Monialis Capucina Coloniæ. Naſcitur An. 1612. feriâ 4. Paſchatis in Königſtein, baptizata 14. Maii.

Urſula nata in Königſtein An. 1614. 6. Junii, inter 6. & 7. horam matutinam, Decaniſſa in Herſe. moritur An. 1667. 30. Junii, ſingularibus virtutibus prædita, ſepulta in templo Heriſienſi.

Othilia An. 1643. 7. Junii deſponſa Bernardo de Plettenberg in Lenhauſen, Bergſtrate, & Frilentorp, Ordinum Weſtphaliæ Deputato.

Joannes infans moritur.

Joannes Godefridus natus An. 1622. 31. Januarii infans moritur.

Anna Wilhelma nata An. 1620. obiit dyſenteriâ An. 1624. 4. Septemb.

Anna Helena infans moritur.

Anna infans moritur.

EX PRIMA CONJUGE.

Franciſcus Emericus, Metropolitanæ, & Nobilis Collegiatæ Eccleſiæ S. Albani Canonicus Moguntiæ. naſcitur Bilſtenii An. 1646. 7. Octob. defunctus Lugduni Galliarum An. 1667. 16. Decemb. & ibidem ſepultus.

Anna Eliſabetha, uxor Joannis Matthiæ de Nehem in Sundermüilen, Satrapæ Oſnabrugenſis in Furſtenaw & Vorden. nupta An. 1667. 20. Febr. nata An. 1648. 15. Februarii Bilſtenii.

Fridericus natus An. 1649. 23. Januarii Bilſtenii, ſuſcepto baptiſmo moritur, ſepultus in Veſchede.

Wilhelmus naſcitur An. 1650. 27. Jan. Bilſtenii, & accepto baptiſmo moritur, in Veſchede ſepultus.

Anna Margaretha Urſula naſcitur 1651. 9. April. moritur An. 1652. 9. Martii. ſepulta Bonnæ apud PP. Franciſcanos Minores.

Maximilianus Henricus deſignatus Satrapa in Bilſtein, Waldenburg, & Fredeburg, naſcitur Bonnæ An. 1654. 13. Maii, intra horam quartam & quintam matutinam. Moritur Heidelbergæ, ubi Juriſprudentiæ operam dabat, omnibus Eccleſiæ Catholicæ Sacramentis munitus, An. 1671. 6. Aprilis horâ 4. matutinâ, ſepultus Moguntiæ in æde Metropolitana, in ſacello Propatrui ſui Friderici Canonici Moguntini & Paderbornenſis.

Maria Barbara naſcitur Herdringæ An. 1655. 4. Decemb. baptizata altero die. Nupta A. 1671. 10. Maii Melchiori Godefrido Lib. Baroni de Hatzfeld, Dynaſtæ in Wildenberg, Domino in Schönſtein, Werther, & Mertens.

Wil-

Wilhelmus Ferdinandus naſcitur Herdringæ An. 1657. 9. Julii. moritur Bilſtenii An. 1658. 12. Martii, ſepultus Attendoriæ unà cum matre in templo PP. Franciſcanorum.

EX ALTERA CONJUGE.

Anna Maria Magdalena naſcitur Snellenbergæ An 1660. 22. Martii.

Ferdinandus Canonicus Moguntinus & Paderbornenſis, naſcitur An. 1661. 22. Auguſti, circa horam nonam matutinam Snellenbergæ, baptizatus 4. Septembr. teſtibus Ferdinando Epiſcopo & Principe Paderbornenſi, & Mariâ Jacobâ ab Eltz Abbatiſſâ Monaſterii Marienrhat.

5. SIC MEA DOCTRINÆ PRECOR, ET VIRTUTIS AVITÆ LAUDE, VELUT GEMINA STET TRABE FULTA DOMUS.]

Domus *Furſtenbergica*, more omnium antiquarum tam illuſtrium, quàm nobilium familiarum, primordia generis ſui, armis debet & militiæ, progreſſum verò atque incrementum, doctrinæ & liberalium artium diſciplinis, quibus hoc & ſuperiori ſæculo ita incubuit, ut Archiſatraparum, Mareſcallorum, Satraparum, Legatorum, intimorumque Conſiliariorum munera, Eccleſiaſticas dignitates, Præſulum honores, Maximorum Pontificum, & Cæſarum gratiam, titulos Principum, atque infulas Epiſcopales indè promeruerit. Alterum hujus ſtirpis fulcrum jure dixeris AVITAM VIRTUTEM, quæ ſummam in Catholica religione conſtantiam, pietatem erga Deum, fidem & obſequium erga Principem, ſingularem patriæ caritatem, in egenos & afflictos homines miſericordiam, erga religioſas familias benevolentiam, ſacrorum curam, & præcipuum Eccleſiaſticæ vitæ ſtudium, fraternamque concordiam nunquam interruptam in ſe complectitur. His, tanquam *binis* gentilitiis *trabibus*, dum poſteritas innitetur, ruinæ uſque ſecura ſtabit perennabitque. Nequa verò doctrinæ, & virtutis avitæ exempla poſteri deſiderent, in quæ continuò oculos poſſint conjicere, præſentem genealogiam contexuimus, eique nonnulla *Furſtenbergiorum* monumenta, pleraque Paderbornenſibus affinia, modò ſubjicimus.

ARX NEUHUSANA

A THEODORO EPISCOPO ET PRINCIPE PADERBORNENSI, AD CONFLUENTES LUPPIÆ ET ALISONIS, EXSTRUCTA.

HANC.STRUIT.ÆRE.SUO. THEODORUS. EPISCOPUS. AULAM
EX. FURSTENBERGIS. STEMMATE. NATUS. AVIS
ANNO. MILLENO. QUINGENTENO. NONAGENO
TALIS. AB. ELECTO. PRINCIPE. QUARTUS. ERAT

ARX WEVELSBURG

AB EODEM ÆDIFICATA.

ARX. CUM. DISTRICTU. PATULIS. INHONORA. RUINIS
IN. THEODORI. USUM. PRÆSULIS. ILLA. VENIT
ÆRE. SUO. PRIMUS. TITULUM. QUI. INFORMAT. INANEM
ET. VALIDA. MUROS. EXHIBET. ARTE. NOVOS
FURSTENBERGIACÆ. PRINCEPS. DECUS. INCLYTE. STIRPIS
SEDI. HOC. QUO. CARUIT. TRADERE. PERGE. TUÆ

HERISIA

AB OTHILIA FURSTENBERGIA, ABBATISSA HERISIENSI, INSIGNI DOMICILIO ORNATA.

OMINE. FELICI. DE. PRINCIPE. COGNITA. MONTE
NEC. MINUS. AGNATO. HOC. OMINE. NOMEN. HABENS
OTHILIA. HERISIÆ. SACRIS. ÆVOQUE. SEQUENTI
HANC. SUPERUM. FLAGRANS. FECIT. AMORE. DOMUM

IN-

INSCRIPTIO VESTIBULI ACADEMIÆ THEODORIANÆ PADERBORNÆ.

THEODORUS. A. FURSTENBERG. DEI. AC. SEDIS. APOSTOLICÆ. GRATIA. ECCLESIÆ. PADERBORNENSIS. ANTISTES AC. S. R. I. PRINCEPS. AFFECTU. ZELOQUE. BONI. PUBLICI QUA. RELIGIONE. QUA. SAPIENTIA. PROCURANDI. PROPAGANDIQUE. RELIGIONI. QUIDEM. TEMPLUM. SAPIENTIÆ. VERO. GYMNASIUM. ACADEMICUM. COLLEGIUM PORRO. PATRIBUS. SOCIETATIS. JESU. TANQUAM. FIDIS UTRIUSQUE. THESAURI. DISPENSATORIBUS ÆTERNUM. CONSECRAVIT

ANNO. EPIsCopatVs sVI. paDerbornensIs trIgesIMo

Cui. vivo. mortuoque bene. quisquis. ista. perleges. apprecare

MONUMENTUM IN LAPIDE MARMOREO SNELLENBERGÆ CONSPICUUM.

REVERENDISSIMORUM. SERENISSIMORUM. ET. ILLUSTRISSIMORUM. ARCHIEPISCOPORUM. ET. EPISCOPORUM ELECTORUM. AC. PRINCIPUM. D. DOMINORUM. WOLFFGANGI. ET. JOANNIS. ADAMI. MOGUNTINORUM. D. DOMINORUM. FRIDERICI. SALENTINI. GEBHARDI. AC. ERNESTI. COLONIENSIUM. DOMINI. THEODORI. PADERBORNENSIS. FIDELIS. CONSILIARIUS. NONUM. AD. CÆSAREM ET. IMPERIALES. CONVENTUS. LEGATUS. PRÆFECTUS. IN BILSTEIN. FREDEBURG. WALDENBURG. LENNE FRITZLAR. ET. NAUMBURG

CASPAR. A. FURSTENBERG. EX. WATERLAPP. &c. JURIS. LICENTIATUS. IMPERII. LIBER. NOBILIS. RHENANI. TRACTUS.

HANC. ARCEM. RUINOSAM. ET. COLLAPSAM. ΤΗΝ. ΣΚΙΑΤΡΟΦΙΑΝ. ET. POSTERIS. SUIS. IN. SUI. MEMORIAM. COMPARAVIT. CONSECRAVIT. ET. DONAVIT PERGITE

ARX ET JURISDICTIO

B U R A N A.

MEMORIÆ. SACRUM

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. S. R. I. PRINCEPS. ET. COMES PYRMONTANUS. COMPOSITA. DIFFICILI. AC. DIUTURNA CONTROVERSIA. ET. COLLEGII. SOC. JESU. HIC. DESIGNATI FUNDATIONE. APOSTOLICA. AUCTORITATE. VARBURGUM. TRANSLATA. DIVINÆ. GLORIÆ. INCREMENTO. ANIMARUM. SALUTI. ET. REIPUB. TRANQUILLITATI. CONSULUIT. FEUDUM. BURANUM. ECCLESIÆ. SUÆ VENDICAVIT. PROLATOS. JURISDICTIONIS. FINES. CONSTITUIT ARCEM. HANC. SIBI. SUISQUE. SUCCESSORIBUS. ACQUISIVIT AN. MDCLXII

TEMPLUM PAROCHIALE
IN SUPERIORI TUDORP INSTAURATUM.

MEMORIÆ. SACRUM

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. S. R. I. PRINCEPS. ET. COMES PYRMONTANUS. TEMPLUM. ET. TURRIM. DE. CÆLO TACTAM. INSTAURAVIT
AN. MDCLXIII

ÆDES S. MICHAELIS ARCHANGELI
IN PAGO WIRRIESSEN TRANS VISURGIM, E REGIONE HERISTALLI, EXSTRUCTA ET DOTATA.

D. O. M. S.

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. S. R. I. PRINCEPS. ET. COMES PYRMONTANUS. SACELLUM. S. MICHAELIS. ARCHANGELI. EXSTRUXIT. ORNAVIT. DEDICAVIT
AN. MDCLXIII

TEM-

TEMPLUM PAROCHIALE
IN PAGO CORBEKE ÆDIFICATUM.

D. O. M. S

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. S. R. I PRINCEPS. ET. COMES. PYRMONTANUS

TEMPLUM. SANCTI. BLASII. EPISCOPI. ET MARTYRIS. FUNDITUS. COLLAPSUM RESTITUIT. ET. ORNAVIT AN. MDCLXIIII

SACELLUM SS. PHILIPPI ET JACOBI
IN MONTE FURSTENBERG RESTITUTUM.

D. O. M. S

FERDINANDUS. D. G. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. S. R. I. PRINCEPS. ET COMES. PYRMONTANUS

SACELLUM. GENTILITIUM. SS. PHILIPPO. ET JACOBO. APOST. ANTIQUA. FURSTENBERGIORUM. RELIGIONE. POSITUM. THEODORI. EPISCOPI. PADERBORNENSIS. MAGNI. PATRUI. SUI IMPENSIS. REFECTUM. INJURIA. DEINDE. TEMPORIS. ET. BELLORUM. ITERUM. LABEFACTATUM. INSTAURAVIT. ORNAVIT. AMPLIAVIT AN. MDCLXV

TEM-

TEMPLUM PAROCHIALE
IN OBERNKIRCHEN, FURSTENBERGIORUM DYNASTIA, EXSTRUCTUM.

D. O. M. S

FERDINANDO. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA EPISCOPO. PADERBORNENSI. S. R. I. PRINCIPI. ET COMITI. PYRMONTANO. HUJUS. ECCLESIÆ. IN OBERNKIRCHEN.S.GERDRUDI.VIRG.SACRÆ RESTITUTORI. BENEFICENTISSIMO

THEODORUS. CASPARUS. MOGUNTINUS. ET. SPIRENSIS CANONICUS. ET. CONSILIARIUS. WILHELMUS. S. D. N. ALEXANDRI. VII. P.O.M. CUBICULARIUS. INTIMUS. PRÆPOSITUS. MONASTERIENSIS. CANONICUS. TREVIRENSIS SALISBURGENSIS. ET. PADERBORNENSIS PRÆPOSITUS. IN BUSTORFF. PRIOR. S. MARIÆ. DE. CAMPEIO. IN. ALPIBUS TRIDENTINIS. SALISBURGENSIS. ET. MONASTERIENSIS CONSILIARIUS. INTIMUS. FRANCISCUS. WILHELMUS. ORDINIS. TEUTONICI.EQUES.COMMENDATOR. IN.BRACKEL MARESCALLUS. AULICUS. ET. CONSILIARIUS. PADERBORNENSIS. JOANNES. ADOLPHUS. HILDESIENSIS. MONASTERIENSIS. ET. PADERBORNENSIS. CANONICUS. ET. CAMERARIUS. SATRAPA. IN. BILSTEIN. WALDENBURG. ET. FREDEBURG. FRATRES. GERMANI

ET. FRIDERICI. FRATRIS. SUI. SATRAPÆ. IN. BILSTEIN WALDENBURG. ET. FREDEBURG. COLONIENSIS ET. PADERBORNENSIS. INTIMI. CONSILIARII. SUPERSTITES. FILII FRANCISCUS. EMERICUS. CANONICUS. MOGUNTINUS MAXIMILIANUS. HENRICUS. ET. FERDINANDUS. LIBERI BARONES. DE. FURSTENBERG. IN. SNELLENBERG. FURSTENBERG. WATERLAPP. HERDRINGEN ADVOCATI HEREDITARII IN. GRAFFSCHAFFT. DYNASTÆ. IN OBERNKIRCHEN. GRATI. DEMISSIQUE. IN. FRATREM. PATRUUM. ET. PRINCIPEM. SUUM ANIMI. MONUMENTUM. POSUERUNT AN. MDCLXV

MONA-

MONASTERIUM BRACULENSE

PP. CAPUCINORUM ORDINIS S. FRANCISCI ÆDIFICATUM.

D. O. M. S

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. S. R. I. PRINCEPS. ET. COMES. PYRMONTANUS

FRATRUM. CAPUCINORUM. ORDINIS. S. FRANCISCI BRAKELÆ. FUNDATOR. MONASTERIUM. S. KILIANI. EPISC. ET. MARTYR. EXSTRUXIT AN. M DC LXV

TEMPLUM MONASTERII

IN GRAFFSCHAFFT, ORD. S. BENEDICTI, EXORNATUM.

D. O. M. S

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. S. R. I. PRINCEPS. ET. COMES. PYRMONTANUS

AD. SUAM. SUORUMQUE. FRIDERICI. PROAVI. CASPARIS AVI. FRIDERICI. PATRIS. ET. FRIDERICI. FRATRIS. L. B. DE FURSTENBERG. HUJUS. MONASTERII. IN. GRAFFSCHAFFT ADVOCATORUM. MEMORIAM. DONATO. PERPETUO CENSU. QUINQUE. SACRA. ANNIVERSARIA. SOLEMNI. RITU. CELEBRANDA. INSTITUIT. ET. TEMPLUM. ARA MAXIMA. ET. NOVIS. IN. UTROQUE. LATERE POSITIS. ALTARIBUS. EXORNAVIT AN. M DC LXV

TEMPLUM PAROCHIALE
IN CLEINENBERG REPARATUM.

D. O. M. S

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. S. R. I. PRINCEPS. ET. COMES. PYRMONTANUS

PAROCHIALEM. S. CYRIACI. MART. ECCLESIAM MALE. TECTAM. ET. VETUSTATE. COLLABENTEM. REFECIT
AN. MDCLXVI

TEMPLUM BUSTORFFIANUM,
ARA MAXIMA ET PORTICU ORNATUM.
PADERBORNÆ.

D. O. M. S

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. S. R. I. PRINCEPS. ET. COMES. PYRMONTANUS

ÆDEM. DIVORUM. PETRI. ET. ANDREÆ. APOSTOLORUM. AD. FORMAM. HIEROSOLYMITANÆ. ECCLESIÆ. OLIM. CONSTRUCTAM. EXORNAVIT
AN. MDCLXVI

TEM-

TEMPLUM PAROCHIALE NEUHUSII.

D. O. M. S

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. S. R. I. PRINCEPS. ET. COMES. PYRMONTANUS

ÆDEM. SS. HENRICI. IMP. ET. CHUNIGUNDÆ. AUG. AD DIVINI. CULTUS. INCREMENTUM. ANIMARUM SALUTEM. ET. PUBLICAM. COMMODITATEM A. FUNDAMENTIS. EXSTRUXIT AN. MDCLXVI

SEPULCRUM

PRIMORUM EPISCOPORUM PADERBORNENSIUM, RESTAURATUM IN CRYPTA ÆDIS CATHEDRALIS.

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. S. R. I. PRINCEPS. ET. COMES. PYRMONTANUS

PRIMORUM. HUJUS. ECCLESIÆ. EPISCOPORUM. CORPORA. AN. DOM. INCARNAT. MLXVIII. INDICT. VI. HENRICI. IV. IMP. AN. XIII. ORDINATIONIS. VERO. IMMADI. EPISCOPI. PADERBORNENSIS. AN. XVI. INVENTA. ET. COLLECTA. TRANSLATA. AUTEM. ET. SEPULTA. VII. ID. SEPTEMB. NE. RECLUSO. SUPERIORIBUS. TEMPORIBUS. SEPULCRO. NEGLECTA. DIUTIUS. JACERENT. INSTAURATO. PRISTINO. MONUMENTO. COMPOSUIT ET. ANTIQUÆ. VENERATIONIS. MEMORIAM. RENOVAVIT AN. MDCLXVI

SACELLUM S. PHILIPPI NERII EXSTRUCTUM NEUHUSII.

S. PHILIPPO. NERIO. CONF. FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS ELECTUS. COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. ET. COMES. PYRMONTANUS

GRAVI. MORBO. LIBERATUS. SACELLUM
EX. VOTO. POSITUM. PERFECIT
AN. MDCLXVII

ÆDES S. AGATHÆ VIRG. ET MART. POSITA IN SIDDESSEN.

D. O. M. S

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. ET COMES. PYRMONTANUS

SACELLUM. D. AGATHÆ. VIRG. ET. MART. AD INCOLARUM. RELIGIONEM. AMPLIFICANDAM. EXSTRUXIT
AN. MDCLXVIII

EPI-

EPITAPHIUM

THEODORI ADOLPHI,

EPISCOPI ET PRINCIPIS PADERBORNENSIS, IN ÆDE CATHEDRALI, E REGIONE MAUSOLEI THEODORIANI, SEPULTI.

D. O. M. S

H. S. E

THEODORUS. ADOLPHUS. D. G. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. S. R. I. PRINCEPS. ET. COMES. PYRMONTANUS

QUI. NOBILISSIMA. RECKIORUM. IN. CURL. FAMILIA. ORTUS. PRÆSTANTI. INGENIO. DOCTRINA. ET. MAGNARUM RERUM. USU. PRÆDITUS. PERQUE. OMNES. DIGNITATUM. GRADUS. AD. EPISCOPATUM. EVECTUS. AFFLICTISSIMAM. PROVINCIAM. SINGULARI. TUM. RELIGIONIS TUM. PRUDENTIÆ. LAUDE. ADMINISTRAVIT. ÆDEM. CATHEDRALEM. ARA. MAXIMA. THOLO. SACELLO. ORNAVIT ARCES. DIOECESIS. SUÆ. SUECICO. BELLO. VASTATAS. ET EXUSTAS. MAJOREM. PARTEM. RESTITUIT. TEMPLUM VIRGINUM. CAPUCINARUM. EXSTRUXIT. COLLEGIO. CANONICORUM. PRIMARIÆ. HUJUS. ECCLESIÆ. ANNIVERSARIAM. SUI. MEMORIAM. ET. OPTIMI. PASTORIS. EXEMPLUM. SUCCESSORIBUS. IMITANDUM. RELIQUIT
PIE. UT. VIXIT. DEF. III. KAL. FEB
AN. M DCLXI

VIXIT. AUTEM. AN. LIX. MENS. VII. DIES. XIII

PRÆFUIT. AN. X. MENS. II. DIES. XXVIII

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. ELECTUS. ET. CONFIRMATUS. COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I PRINCEPS. ET. COMES. PYRMONTANUS

DECESSORI. SUO. DE. SE. ET. R. P. OPTIME. MERITO
H. M. P. AN. M. DCLXVIII

COENOBIUM ET TEMPLUM
PP. PRÆDICATORUM
ORD. S. DOMINICI,
RESTITUTUM ET ORNATUM WARBURGI.

MEMORIÆ. SACRUM

FERDINANDO. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA EPISCOPO. PADERBORNENSI. COADJUTORI. MONASTERIENSI. S.R.I. PRINCIPI. COMITI. PYRMONTANO. ET. LIB BARONI. DE. FURSTENBERG. HUJUS. TEMPLI. ET. MONASTERII. B. MARIÆ. VIRGINIS. IN. VINEA. VETUSTATE COLLABENTIS. INSTAURATORI. BENEFICENTISSIMO

CRESCENTIUS. BOEKER. PRIOR. ET. CONVENTUS
WARBURGENSIS. ORD. PRÆDICATORUM
MONUMENTUM. HOC. POSUERUNT
AN. MDCLXIX

TEMPLUM S. CRUCIS,
EXSTRUCTUM IN ALTENBECA.

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S.R.I. PRINCEPS. ET. COMES. PYRMONTANUS

AD. CONSERVANDAM. AUGENDAMQUE. HOC. IN. LOCO. ANTIQUAM. S. CRUCIS. VENERATIONEM
P. C. AN. MDC.LXIX

S A-

SACELLUM S. ANNÆ, EXSTRUCTUM IN AMERUNGEN.

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA
EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. ET. COMES. PYRMONTANUS

VETUSTO. SACELLO. S. ANNÆ. COLLAPSO. PRO. SUA
IN. DEIPARÆ. VIRGINIS. MATREM. PIETATE
NOVAM. HANC. ÆDICULAM
P. C. AN. MDCLXIX

TEMPLUM PAROCHIALE IN LICHTENAW, RESTITUTUM ET EXORNATUM.

D. O. M. S

FERDINANDUS. DEI. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I
PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS

ÆDEM. PAROCHIALEM. S. KILIANI. MARTYRIS
VETUSTATE. ET. INCENDIO. DEFORMATAM
RESTITUIT. ORNAVITQUE
AN. MDCLXX

TEMPLUM CUM MONASTERIO PP. FRANCISCANORUM STRICTIORIS OBSERVANTIÆ, D. JOSEPHO SACRUM, PADERBORNÆ A FUNDAMENTIS EXSTRUCTUM.

FERDINANDUS. D. G. EPISCOPUS. PADERBORN. COADJUTOR. MONASTERIENS. S. R. I. PRINCEPS. COM. PYRMONT
LIB. BARO. DE. FURSTENBERG. IN HONOREM. S. JOSEPHI
DEIPARÆ. VIRGINIS. SPONSI. TEMPLUM. CUM. MONASTERIO. PP. FRANCISCANORUM. STRICT. OBSERVANTIÆ. A. FUNDAMENTIS. EXSTRUXIT
AN. MDCLXXI

MAU-

MAUSOLEUM THEODORI, EPISCOPI ET PRINCIPIS PADERBORNENSIS, IN ÆDE CATHEDRALI,

QUOD FRIDERICUS FURSTENBERGIUS, FRATRIS EJUS FILIUS, PERFICIENDUM CURAVIT.

PRINCIPIS. HIC. TUMULUS. THEODORI. EST. CARMINA QUÆRIS
GRANDIBUS. IN. TUMULI. MARMORE. SCRIPTA. NOTIS
ASPICE. TEMPLA. ARAS. ARCES. COLLEGIA. LIBROS
ASPICE. VEL. TUMULI. QUEM. MODO. CERNIS. OPUS
NIL. REFERT. ISTIS. ALIUD. SUPERADDERE. CARMEN
CUM. LAPIDES. CLAMENT. CARMINA. JURE. TACENT

THEODORUS. E. FAMILIA
FURSTENBERGIACA. DEI. ET
APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA
ECCLESIÆ. PADERBORNEN-
SIS. EPISCOPUS. S. R. I. PRIN-
CEPS. IN. HOC. SEPULCHRO
QUOD. VIVUS. AC. VALENS
FACIENDUM. SIBI. LOCAVIT
NOVISSIMAM. TUBAM. EXSPE-
CTAT

DECESSIT. ANNO. CHRI-
STIANO. MDCXVIII. DIE
IV. MENSIS. DECEMB.
ÆTATIS. SUÆ. LXXI. CUM
PER. ANNOS XXXIII. DIOE-
CESIN. PADERBORN. DIF-
FICILLIMIS. TEMPORIBUS.
GUBERNASSET

MORS. CERTA
EST. INCER-
TA. DIES. NE-
QUE. CERTA
TUORUM
CURA. TIBI
TUMULUM
SI. SAPIS. IPSE
LOCA

SCIO. QUOD
REDEMPTOR
MEUS. VIVIT
ET. IN. NOVIS-
SIMO. DIE. DE
TERRA. SUR-
RECTURUS
SUM. JOB. xix

ET. RURSUM
CIRCUMDA-
BOR. PELLE
MEA. ET. IN
CARNE. MEA
VIDEBO
DEUM. MEUM
Ibidem

MORTUUS
UT. VIVAS. VI-
VUS. MORIA-
RIS. · OPOR-
TET. ERGO
DISCE. PRIUS
QUAM. MO-
RIARE. MORI

EPITAPHIUM
CASPARI DE FURSTENBERG,
ARCHISATRAPÆ WESTPHALIÆ ARENSBERGÆ IN TEMPLO WEDINGHUSANO TUMULATI.

CASPARO. A. FURSTENBERG. VIRO. PRÆNOBILI. AC STRENUO. QUI. ANNO. ÆTATIS. XIX. LICENTIAM. V. J. ADEPTUS. ET. EXCULTUS. DOCTRINÆ. PRUDENTIÆQUE. ARTIBUS. PRÆFECTURIS. AMPLISSIMIS. REGENDIS. DANDO CONSILIO. PRINCIPPP. MOGUNT. COLON. PADERB. DIFFICILLIMIS. LEGATIONIBUS. OBEUNDIS. INCREDIBILI. FIDE. LABORE. INTEGRITATE. CONSTANTIA. CALAMITOSIS. REIP. TEMPORIBUS. RELIGIONI. CATHOLICÆ. ROMANO. IMPERIO. PATRIÆ. SERVIVIT

FRIDERICUS. A. FURSTENBERG. PARENTI. OPT. MERITO POSUIT. VIXIT. ANNOS. LXXII. MENSES. IV. DIES. II. SATRAPIAM. IN. BILSTEIN. WALDENBURG. ET. FREDEBURG. ANNOS. XLIX. ADMINISTRAVIT. ARCHISATRAPA. WESTPHALIÆ. IN. ARENSBERG. FUIT. ANNOS. V. OMNIBUS. IMPERII. CONVENTIBUS. QUI. ANNIS. XL. HABITI. INTERFUIT VEL. LEGATUS. VEL. A. CONSILII. PRIMORIBUS. OBIIT ANNO. SALUTIS. MDCXVIII. III. NON. MARTII RELICTO. OB. BENE. PROMERITA. INGENTI. PATRIÆ. LUCTU. CUJUS. ANIMA REQUIESCAT. IN. PACE. AMEN

EPITAPHIUM FRIDERICI DE FURSTENBERG,

SATRAPÆ IN WERLE, BILSTEIN, ET WALDENBURG.

D. O. M. S

ET MEMORIÆ

FRIDERICI. DE. FURSTENBERG. EX. WATERLAPP. IV. ELECTORUM. COLONIENSIUM. CONSILIARII. INTIMI. ET. SATRAPÆ. IN. WERLE. BILSTEIN. ET. WALDENBURG. QUI SUA. INTEGRITATE. DOCTRINA. RELIGIONE. PRUDENTIA. DICENDI. VI. CUM. IN. PATRIÆ. NEGOTIIS. TUM. IN PUBLICIS. IMPERII. CONVENTIBUS. SÆPENUMERO COGNITA. IMMORTALEM. LAUDEM. PROMERITUS. DECESSIT. AN. MDLXVII. XII. KAL. APRIL. NATUS. AN. LVII. SCHEDÆ. SEPULTUS

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. ET. COMES. PYRMONTANUS. PROAVO. SUO

M. H. P

EPI-

EPITAPHIUM

ANNÆ A WESTPHALEN,

CONJUGIS FRIDERICI DE FURSTENBERG, SATRAPÆ IN WERLE, BILSTEIN, ET WALDENBURG.

D. O. M. S

ET MEMORIÆ

ANNÆ. A. WESTPHALEN. FILIÆ. RABANI. A. WESTPHALEN SATRAPÆ. IN. LICHTENAW. ET. WUNNENBERG. NOBILISSIMÆ. ET. PIENTISSIMÆ. MATRONÆ. ET. X. LIBERORUM. MATRI. QUOS. IPSA. AD. OMNEM. VIRTUTEM. SEDULO. INFORMAVIT. HOC. UNO. VISA. INFELICIOR. QUOD FRIDERICO. DE. FURSTENBERG. MARITO. SUO. DIU. SUPERSTES. LIBERORUM. TAMEN. GLORIÆ. NON. INTERFUERIT. PIE. UT. VIXIT. DEFUNCTA. ANNO MDLXXXIII. IPSO. DIE. S. JOANNI. BAPTISTÆ SACRO. SEPULTA. IN. OELINGHUSEN

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. ET. COMES. PYRMONTANUS. PROAVIÆ. SUÆ
M. H. P

EPITAPHIUM ELISABETHÆ SPIEGEL EX PECKELSHEIM, CONJUGIS CASPARI A FURSTENBERG, ARCHISATRAPÆ WESTPHALIÆ,

ET

ANNÆ MARIÆ DE KERPEN, CONJUGIS FRIDERICI DE FURSTENBERG, ARCHISATRAPÆ WESTPHALIÆ.

D. O. M. S

ELISABETHÆ. SPIEGEL. EX. PECKELSHEIM. NOBILISSIMÆ ET. VENUSTISSIMÆ. FEMINÆ. IN. QUA. TANQUAM. IN SPECULO. OMNES. VIRTUTES. RESPLENDUERUNT AN. MDLXXXVII. KAL. JUN. MORTUÆ

ET

ANNÆ. MARIÆ. DE. KERPEN. EX. ILLINGEN. IN. WESTRASIA. QUÆ. PRÆCLARAM. STIRPEM. SUAM. MODESTISSIMIS MORIBUS. PRUDENTIA RELIGIONE. ET. PRÆCIPUA. IN PAUPERES BENIGNITATE. ORNAVIT. ET. CUM. FRIDERICO. DE FURSTENBERG. DYNASTA. IN. BILSTEIN. ET. WALDENBURG. PRÆFECTO. IN. FREDEBURG. ARCHISATRAPA WESTPHALIÆ. ET. ANGARIÆ. ANNOS. XXXVII. MENS. V SUMMA. CONCORDIA. VIXIT. ET. AN. MDCXLVI ID. MART. OBIIT. NATA. ANNOS. LVIII

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. ET COMES. PYRMONTANUS

AVIÆ. AC. MATRI. CARISSIMÆ. EODEM. SEPULCRO HIC. IN. VESCHEDE. CONDITIS. M. H. P

EPI-

EPITAPHIUM
OTHILIÆ FURSTENBERGIÆ,
ABBATISSÆ HERISIENSI, ET OLINGHUSANÆ.

D. O. M. S

OTHILIÆ. FURSTENBERGIÆ. ABBATISSÆ. HERISIENSI. ET OLINGHUSANÆ. QUÆ. THEODORI. EPISCOPI. PADERBORNENSIS. ET. S. R. I. PRINCIPIS SOROR. NON. ILLIUS FORTUNA. QUAM. PROPRIIS. VIRTUTIBUS. CLARIOR. UTROBIQUE. AUCTIS. VECTIGALIBUS. EXSTRUCTIS. DOMICILIIS. ORNATIS. TEMPLIS. ET. PERPETUIS. ELEEMOSYNIS FUNDATIS. IMMORTALEM. SUÆ. IN. DEUM. RELIGIONIS ERGA. INDIGENTES. MISERICORDIÆ. ET. SINGULARIS. IN UTRUMQUE. COLLEGIUM. BENEFICENTIÆ. MEMORIAM RELIQUIT. PIE. UT. VIXIT. MORTUA. ANNO. MDCXXI NON. MARTII. ÆTATIS. LXXII. CUM. HERISIENSI ECCLESIÆ. AN. XXXIII. OLINGHUSANÆ. XXXV MAXIMA. CUM. LAUDE. PRÆFUISSET

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. ET COMES. PYRMONTANUS

MAGNÆ. AMITÆ. SUÆ. IN. OLINGHUSEN. SEPULTÆ M. H. P. AN. MDC. LXX

EPITAPHIUM FRIDERICI DE FURSTENBERG, CANONICI MOGUNTINI.

D. O. M. S
ET. MEMORIÆ

FRIDERICI. DE FURSTENBERG. CANONICI. MOGUNTINI PADERBORNENSIS S. ALBANI. ET. S. PETRI. EXTRA. MUROS MOGUNT. QUI. PRUDENTIA. RELIGIONE. ET. SINGULARI ERGA. PAUPERES. QUIBUS. PERPETUUM. PECUNIÆ. REDITUM. DONAVIT. LIBERALITATE. EXCELLENS. DECESSIT MOGUNTIÆ. SEPULTUS. IN. ÆDE. METROPOLITANA. AN M DC VIII. V. ID. JANUARIAS. ÆTATIS. VERO. SUÆ. LXX

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. ET. COMES. PYRMONTANUS. MAGNO. PATRUO. SUO. M. H. P

EPITAPHIUM JOANNIS GODEFRIDI DE FURSTENBERG, CANONICI MOGUNTINI.

D. O. M. S
ET. MEMORIÆ

JOANNIS. GODEFRIDI. DE. FURSTENBERG. CANONICI. MOGUNTINI. TREVIRENSIS. ET. PADERBORNENSIS. PRÆPOSITI. IN. MESCHEDE. QUI. PERAGRATA. ITALIA. GALLIA HISPANIA. INCORRUPTOS. MORES. ET. EXTERNARUM RERUM. SCIENTIAM. IN. PATRIAM. REPORTAVIT. RELIGIONIS. ET. PRUDENTIÆ. SPECIMEN. ALIIS. FUIT. ET. IN MEDIO. HONORUM. CURSU. PRÆREPTUS. IN. VIA. DUM AD. SUOS PROPERAT. LENTA. TABE. OBIIT. AN M DCXXIV. III. ID. SEPTEMB. SEPULTUS. ATTENDORIÆ. IN. ÆDE. PAROCHIALI

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. ET. COMES. PYRMONTANUS. PATRUO. SUO. M. H. P

EPI-

EPITAPHIUM FRIDERICI FURSTENBERGII, ARCHISATRAPÆ WESTPHALIÆ, BILSTENII ET WALDENBURGI DYNASTÆ. ADVOCATI HEREDITARII IN GRAFFSCHAFFT, SATRAPÆ FREDEBURGENSIS, ARENSBERGÆ, JUXTA PATREM, SEPULTI.

D. O. M. S

H. S. E

MAGNO. PARENTI. PAR. NATUS

NOMEN. ROGAS? FRIDERICUS. FUIT. QUOD. MORIBUS. IMPLEVIT. STIRPEM? FURSTENBERGICA. QUÆ. NOBILISSIMA. NI. ESSET. HINC. FIERET NEMPE. HOC. EGIT. QUOD. PAUCI. UT. NE. AVORUM. ID. EST. ALIORUM TANTUM. LUCE. LUCERET. JUBEN'. ID. PLANIUS. DICI. PAREO. SED. ADDITA. LEGE. UT. IMITERIS. VIRTUTEM. ET. SCIENTIAM. A. PRIMA. ÆTATE. PRIMÆ. CURÆ. HABUIT. UTRAMQUE. AUXIT. UBI. PERDUNT. MULTI. IN. AULIS. PRINCIPUM. HINC. TANTO. IPSI. IN. PRETIO. LITERATI ET. PII. HINC. TANTUM. IPSE. PRETIUM. LITERATIS. ET. PIIS. PRO JOANNE. SWICHARDO. MOGUNTINO. ELECTORE. CONIGSTEINIÆ. DITIONI. PRO. FERDINANDO. ELECTORE. COLONIENSI. ET. UTRIUSQUE BAVARIÆ. DUCE. WESTPHALIÆ. ET. ANGARIÆ. SUMMO. CUM. IMPERIO PRÆFUIT. PRO. UTROQUE. AD. IV. AUGUSTOS. AD. SUECIÆ. REGEM. AD PRINCIPES. DIVERSOS. AD. PLURA. IMPERII. COMITIA. LEGATUS. GRAVISSIMISQUE. REIP. NEGOTIIS. ADHIBITUS. CONSILIA. NON. AD. QUÆSTUM. RETULIT. SED. AD. CONSCIENTIAM. NOVIT. ID. PATRIÆ. HOSTIS QUI. FIDEM. PECUNIA. FRUSTRA. TENTAVIT. NOVIT. PATRIA. PRO. QUA SEMEL. CAPTIVUS. BIS. EXUL. NUNQUAM. NON. CURIS. ONERATUS. DEMUM. SUECIS. WESTPHALIAM. VASTANTIBUS. BONNÆ. BONAM. MORTEM. VITÆ. ET. EXILII. METAM. REPERIT. HINC. CINERES. ET. SPIRITUS IN. SUAM. QUISQUE. PATRIAM. REDIERUNT. HIC. AD. SUPEROS. ILLI IN. HOC. MONUMENTUM. QUOD. DESIDERATISSIMO. PARENTI

FRIDERICUS. LIB. BARO. DE. FURSTENBERG. IN. SNELLENBERG. FURSTENBERG. WATERLAPP. HERDRINGEN. ADVOCATUS. HEREDITARIUS. IN GRAFFSCHAFFT. DYNASTA. IN. OBERNKIRCHEN. SATRAPA. IN. BILSTEIN. WALDENBURG. ET. FREDEBURG. COLONIENSIS. ET. PADERBORNENSIS. CONSILIARIUS. INTIMUS ET. V. EJUS. FRATRES. ET. IV. SORORES. CUM. LACRYMIS. POSUERUNT

DECESSIT. V. ID. AUG. AN. M DC XLVI. NATUS. AN. LXX. MENSES. V DIES. IX. REQUIESCAT. IN. PACE. AMEN

EPI-

EPITAPHIUM
ANNÆ CATHARINÆ DE PETRA,
CONJUGIS
FRIDERICI
LIB. BARONIS DE FURSTENBERG.

D. O. M. S

H. S. E

ANNA. CATHARINA. DE. PETRA. TRIUM. ELECTORUM TREVIRENSIUM. JOANNIS. LOTHARII. ET. CAROLI-CASPARIS. NEPTIS. ET. CONSANGUINEA. SPLENDORE. NOBILISSIMÆ. FAMILIÆ. ET. OMNIUM. VIRTUTUM ORNAMENTIS. NULLI. SECUNDA. VIII. LIBERORUM. PARENS. AN. M DC LVIII. IV. ID MART. PIE. UT. VIXIT. DEFUNCTA

FRIDERICUS. LIB. BARO. DE. FURSTENBERG. IN. SNELLENBERG. FURSTENBERG. WATERLAPP. HERDRINGEN ADVOCATUS. HEREDITARIUS. IN. GRAFFSCHAFFT. DYNASTA. IN. OBERNKIRCHEN. SATRAPA. IN. BILSTEIN. WALDENBURG. ET. FREDEBURG. COLONIENSIS. ELECTORIS. INTIMUS. CONSILIARIUS. CONJUGI. CARISSIMÆ. CUM. QUA. ANNOS. XIII. MENS. IX DIES. X. CONJUNCTISSIME. VIXIT

M. H. P

EPI-

EPITAPHIUM FRIDERICI LIB. BARONIS DE FURSTENBERG,

SATRAPÆ IN BILSTEIN, WALDENBURG, ET FREDEBURG, ATTENDORIÆ SEPULTI.

D. O. M. S

H. S. E

FRIDERICUS. LIB. BARO. DE. FURSTENBERG. IN. SNELLENBERG. FURSTENBERG. WATERLAPP. HERDRINGEN. ADVOCATUS. HEREDITARIUS. IN. GRAFFSCHAFFT. DYNASTA IN. OBERNKIRCHEN. COLONIENSIS. ET. PADERBORNENSIS. CONSILIARIUS. INTIMUS. SATRAPA. IN. BILSTEIN. WALDENBURG. FREDEBURG. QUI. EXCELLENTI. INGENIO PRÆDITUS ET. OPTIMIS. LITERIS. IN. GERMANIA. ITALIA GALLIA. EXCULTUS. INSIGNEM. IN. COLENDO. DEO. RELIGIONEM. IN JUVANDA. PATRIA. CARITATEM. IN. VARIIS LEGATIONIBUS. ET. S. R. I. COMITIIS. PRUDENTIAM. FIDEM. ELOQUENTIAM. IN. DANDO. PRINCIPIBUS. CONSILIO. INTEGRITATEM. ET. CONSCIENTIAM. IN. OBEUNDA MORTE. PIETATEM. ET. CONSTANTIAM. OSTENDIT. AC LENTA. DEMUM. TABE. CONFECTUS. MAXIMO. SUORUM MOERORE. ET. PUBLICO. PATRIÆ. LUCTU. DECESSIT HERDRINGÆ. AN. MDCLXII. NON. JULII. INTER X. ET. XI. HORAM. ANTE. MERIDIEM. NATUS AN. MDCXVIII. PRID. KAL. NOVEMB.

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. ET COMES. PYRMONTANUS

CONSILIARIO. ET. FRATRI. SUO. CARISSIMO M. H. P

EPITAPHIUM URSULÆ BARONIS DE FURSTENBERG,

DECANISSÆ HERISIENSIS, IN ÆDE HERISIENSI SEPULTÆ.

D. O. M. S

H. S. E

URSULA. BARO. DE. FURSTENBERG. NOBILIS. HUJUS COLLEGII. HERISIENSIS. DECANISSA. QUÆ. IN. HOC. DIGNITATIS. GRADU. NON. SOLUM. CASTISSIMIS. MORIBUS RELIGIONE. MODESTIA. ET. SEDULA. REI. DIVINÆ. CURA ALIIS. PRÆLUXIT. SED. INSUPER. ADMIRABILIS. IN. EGENOS. ET. AFFLICTOS. HOMINES. BENIGNITATIS. IN. MULTIS. AC. DIUTURNIS. MORBIS. SUSTINENDIS. PATIENTIÆ ET. MEMORIS. DEFUNCTORUM. PIETATIS. EXEMPLUM. PRÆBUIT. DEMUM. LENTO. MORBO CONSUMPTA. PIE. UT. VIXIT. OBDORMIVIT. IN. DOMINO. AN. M DC LXVII. PRID KAL. JUL. ÆTATIS. SUÆ. LIII

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. ET COMES. PYRMONTANUS

SORORI. SUÆ. CARISSIMÆ

M. H. P

AN. MDCLXX

BENE-

BENEVOLO LECTORI S.

Finita jam erant hæc monumenta, cùm à Decano, & collegio Cathedrali Oſnabrugenſi, ſæpiùs deſiderata Caroli Magni diplomata, & donationum literæ ex arcano tabulario proferuntur, quas ipſe Carolus M. propria manu ſubſcriptas, & annulo ſuo ſignatas olim Eccleſiæ Oſnabrugenſi, & Wihoni primo ejus Epiſcopo dedit. Hæ poſtquam ad Ferdinandum Epiſcopum ac Principem Paderbornenſem & Coadjutorem Monaſterienſem, cum ipſo autographo, per Theodorum Henricum de Nehem Canonicum Oſnabrugenſem & Mindenſem, perlatæ fuerunt, nihil ille, pro eminente inter Germaniæ Antiſtites ac Principes doctrina, acceptius, nihil, pro ſingulari antiquitatis cognitione ac ſtudio, antiquius habuit, quàm ut ab omni mendo purgatas publicæ luci, & communi bono impertiret. Ac licet ſecundi diplomatis autographum vetuſtate exoletum, læſum etiam alicubi fuerit, ita tamen, ut legi potuerit, integrum manſit, majorque labor fuit, in priſco ævi illius charactere enodando. Quo in genere cùm ipſe Princeps apprimè verſatus eſſet, facem lectioni accendit, adhibitiſque teſtibus viris eruditis, utrumque diploma ſuæ integritati ac fidei reddidit. Primum Ertwinus Ertmannus interpolatum tantummodo, mutilumque in ſuo Chronico Oſnabrugenſi tradit, alterum nec ipſe, nec Crantzius, nec Miræus aliique tam exactum dedêre, quàm hîc ex ipſo autographo iiſdem planè verbis editum legitur. Cæterùm duplex horum diplomatum publicandorum cauſa fuit. Altera, ut quæ in monumentis ſaltûs Teutoburgienſis, & deſerti Sendæ, de Oſneggo & Sinedi memorantur, hîc benevolus Lector certius cognoſcat. Altera ut Caroli M. liberalitas ac munificentia erga primos Saxoniæ Epiſcopos teſtatior fieret. Nec enim deſunt hujus ſæculi ſcriptores, in primis ex adverſa religione Gryphiander tract. de Weichb. c. 9. Winckelmannus lib. 2. de Not. Saxon. veteris. c. 5. & 9. aliique poſt Lehmannum in Chron. Spirenſi lib. 3. qui, ut jurisdictionem Epiſcoporum, eorumque Regalia jura convellant, aut ab Ottone M. primùm communicata perſuadeant, Caroli M. diplomata ſuppoſititia, adulterina, & à Catholicis ſcriptoribus malâ fide obtruſa, quin omnia Caroli M. privilegia nullibi, niſi in jactatione vulgi extare, temerè audent aſſerere. Inter quæ cumprimis reputant diploma Caroli M. Eccleſiæ Bremenſi datum, recitatumque ab Adamo Bremenſi in hiſtoria ſua. Extat & Ferdenſis Eccleſiæ diploma ſimilis propè formæ, ac fidei à Carolo M. conſignatum; utrumque, veri fiduciâ, ad ingreſſum initiumque monumentorum ſuprà allatum eſt. Neque aliud ferè obtendunt adverſarii, quàm quòd annus Incarnationis Dominicæ contra ævi illius morem adſcriptus; qui etſi alienâ manu acceſſerit, non proinde totum diploma invalidum damnandumve. Certè ea diplomata ſi, ut hic ſit, ex mo-

tivo ſuo colore, formaque ſcribendi protuliſſent, nulla facilè dubitatio intervenire poſſet. Enimverò Oſnabrugenſis Eccleſiæ diplomata, quæ hic vides, aut fidem obtinent, aut nulla humana fides ex Cæſarum tabulis aſſerta valere debet. Leget igitur hic prudens antiquitatis æſtimator ampla Epiſcopi bona, & privilegia, omne Regale, vel Sæculare judicium in ſubjectos ſibi homines eidem donatum, & perpetuam de Regia poteſtate confirmatam abſolutionem. Hîc adverſarii, qui tam iniquis oculis Sæcularem ac Regalem Epiſcoporum jurisdictionem aſpiciunt, gratum fecerint, ſi antiquiora, aut his ſimilia à Carolo M. ſæcularibus Principibus donata privilegia in medium attulerint. Haud interim dubium, quin reliquis Saxoniæ Epiſcopis, primæ donationum tabulæ, pari formâ & liberalitate, iiſdemque privilegiis à Carolo M. datæ, & conſignatæ fuerint, quas aut temporum injuria ſubtraxit, aut vetuſtas abolevit, niſi inter tabularia adhuc preſſæ teneantur. Porrò hæc monumenta concludere non ante viſum fuit, quàm & hoc Carolinæ liberalitatis monumentum cæteris haud ignobilius accederet, & ad poſteritatis memoriam conſecraretur. Accedit poſtremùm Capitulatio Caroli M. de partibus Saxoniæ, hactenus irreperta, neque ab Anſegiſo, neque à Benedicto Levita inter Capitularia Caroli relata. Hanc primùm Ferdinandus Princeps & Paderbornenſis Epiſcopus, dum Romæ verſaretur in aula Alexandri VII. Pontificis, ex Vaticana bibliotheca eruit, communicavitque cum eruditis & amantibus antiquitatum viris, ex quorum numero H. Conringius, vir in omni doctrinarum genere celebris, ac Juliæ Academiæ lumen, eam libro ſuo de orig. jur. Germ. vulgavit. Verùm quia nova metalli vena detecta ad repertoris etiam laudem pertinet; auctor quoque hujus operis, hîc ſuis accenſuit. Monumentum vel eo cæteris adjungendum, quòd triplicem Saxoniæ diviſionem in Weſtfaliam, Angariam & Oſtfaliam ſuis nominibus exhibeat, interfuerintque à Carolo evocati ex his provinciis proceres, quorum conſenſu hæ leges ſancitæ ſunt. Diſcet præterea ex his Lector Chriſtianæ religionis initia, proſcriptamque ex Saxonia veterem populi ſuperſtitionem. Nec deerint fortaſſe, quod expetimus, qui pro meliori otio & ingenio commentariis illuſtraturi ſint.


PRI-

PRIVILEGIUM
CAROLI M. IMP.


Oſnabrugenſi Eccleſiæ datum XIIII. *Kal. Jan. An.* III. *Imperii, qui eſt annus Chriſti* DCCC III.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti Karolus ſereniſſimus auguſtus à Deo coronatus magnus pacificus imperator romanum gubernans imperium qui & per miſericordiam Dei rex francorum & langobardorum. Quicquid enim locis ſanctorum venerabilium ob amorem domini noſtri Iheſu Chriſti & reverentiam ſanctorum cedimus vel condonamus hoc ad mercedis augmentum vel ſtabilitatem regni noſtri in Dei nomine pertinere confidimus. Igitur notum ſit omnibus fidelibus præſentibus ſcilicet & futuris qualiter donamus ad baſilicam ſancti Petri principis Apoſtolorum & ſanctorum martirum Criſpini & Criſpiniani quam nos conſtruximus in loco Oſnabrugki & corpora illorum illuc tranſtulimus ubi præeſt vir venerabilis Wiho epiſcopus omne regale vel ſeculare judicium ſuper ſuos ſervos & liddones & liberos malman & mundman & omnes utriuſque ſexus homines eidem æccleſiæ pertinentes quos modo poſſidet vel deinceps acquiſierit & perpetuam de regia poteſtate confirmamus abſolutionem ita ut nullus judex publicus dux comes vel vicecomes vel ſcultetus ſive miſſi dominici per tempora diſcurrentes loca illius epiſcopatus ad placita habenda vel freda exigenda & parafreda aut aliquem de præſcriptis eidem æccleſiæ pertinentem ad ſua placita bannire vel ad mortem uſquam terrarum dijudicare vel aliquo modo ullo unquam tempore aggravare audeant. Sed liceat præfato epiſcopo ſuiſque ſucceſſoribus & ſuo advocato res prædictæ æccleſiæ cum omnibus ſibi pertinentibus quieto ordine poſſidere ordinare atque diſponere. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur ac diuturnis temporibus melius conſervetur ma-

nu propria ſubter eam roborare decrevimus & de anulo noſtro ſigillare juſſimus.

Signum  Caroli piiſſimi ac sereniſſimi Imperatoris

.... ad vicem Radoni



Data XIIII. Kl. Jan. anno III. Chriſto propitio Imperii noſtri & XXXVI. regni noſtri in Francia. atque XXX. in Italia. Indict. XI. Actum Aquis palacio publico in Dei nomine feliciter amen.


PRI-

PRIVILEGIUM
CAROLI M. IMP.

Oſnabrugenſi Eccleſiæ datum XIIII. *Kal. Jan. An.* IIII. *Imperii*, *qui eſt annus Chriſti* DCCC IIII.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Karolus imperator auguſtus romanum gubernans imperium qui & rex francorum & langabardorum nec non modo dominator & ſaxonum. Notum ſit omnibus ſanctæ Dei æccleſiæ fidelibus noſtriſque præſentibus ſcilicet & futuris qualiter nos ob noſtræ mercedis augmentum Wihoni Oſnabrukgenſi epiſcopo ſuæque æccleſiæ quam nos primam omnium in ſaxonia in honore ſancti Petri principis Apoſtolorum & ſanctorum martyrum Criſpini & Criſpiniani conſtruximus quoddam nemus vel foreſtum infra hæc loca ſitum. farnevinkil. rutanſtein. angeri. oſning. ſinedi. bergashovid. drevenſmeri. etanarfeld. dumeri. collaudatione illius regionis potentum cum omni integritate in porcis videlicet ſilvaticis atque cervis avibus & piſcibus omnique venatione quæ ſub banno uſuali ad foreſtum deputatur ad ſimilitudinem foreſti noſtri aquiſgranum pertinentis in ſilva oſningi in perpetuum proprietatis uſum donavimus ea videlicet ratione quod ſi quiſquam hoc idem nemus noſtro banno munitum ſine prædictæ ſedis epiſcopi licentia ſtudio venandi vel ſilvam exſtirpandi vel aliquod hujuſmodi negotium peragendi umquam intrare præſumpſerit. ſciat ſe tam divinæ quam & regiæ ultionis vindictam incurſurum. nec non pro delicto ſexaginta ſolidos noſtri ponderis quos nobis pro banno violato deberi ſtatuimus redditurum. Inſuper vero eidem epiſcopo ſuiſque ſucceſſoribus perpetuam concedimus libertatem & ab omni regali ſervitio confirmamus abſolutionem. niſi forte contingat ut imperator romanorum vel rex grecorum conjugalia federa inter filios eorum contrahere diſponant tunc æccleſiæ illius epiſcopus omni ſumptu à rege vel imperatore adhibito laborem

borem ſimul & honorem illius legationis aſſumat & hoc ea de cauſa ſtatuimus quia in eodem loco grecas & latinas ſcolas in perpetuum manere ordinavimus & nunquam clericos utriuſque linguæ gnaros ibidem deeſſe in Dei miſericordia confidimus. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur ac diuturnis temporibus melius conſervetur manu propria ſubter eam roborare decrevimus & de anulo noſtro ſigillare juſſimus.

Signum  Caroli piiſſimi Imperatoris

Amalbertus ad vicem Ercanbaldi recognovi



a XIII. Kl. Jan. anno IIII. Chriſto propitio Imperii noſtri & XXXVII. regni noſtri in Francia. atque XXXI. in Italia. Actum Aquiſgrani palatio in Dei nomine feliciter amen.

CAROLI MAGNI
CAPITULATIO
DE PARTIBUS SAXONIÆ.

Ex antiquiſſimo MS. Palatino bibliothecæ Vaticanæ.

Hæc de partibus Saxoniæ conſtituta ſunt.

PRIMUM de majoribus capitulis hoc placuit omnibus, ut eccleſiæ Chriſti, quæ modo conſtruuntur in Saxonia, & Deo ſacratæ ſunt, non minorem habeant honorem, ſed majorem & excellentiorem, quam fana habuiſſent idolorum.

I. CAPIT. Si quis confugium fecerit in eccleſiam, nullus eum de eccleſia per violentiam expellere præſumat, ſed pacem habeat uſque dum ad placitum præſentetur; & propter honorem Dei, ſanctorumque eccleſiæ ipſius reverentiam, concedatur ei vita & omnia membra. Emendet autem cauſam, in quantum potuerit, & ei fuerit judicatum, & ſic ducatur ad præſentiam domni regis, & ipſe eum mittat, ubi clementiæ ipſius placuerit.

II. Si quis eccleſiam per violentiam intraverit, & in ea per vim vel furtum aliquid abſtulerit, vel ipſam eccleſiam igne cremaverit, morte moriatur.

III. Si quis ſanctum quadrageſimale jejunium pro deſpectu Chriſtianitatis contempſerit, & carnem comederit, morte moriatur. Sed tamen conſideretur a ſacerdote, ne forte cauſa neceſſitatis hoc cuilibet proveniat ut carnem comedat.

IV. Si quis epiſcopum, aut presbyterum, ſive diaconum interfecerit, ſimiliter capite punietur.

V. Si quis a diabolo deceptus crediderit, ſecundum morem paganorum, virum aliquem aut feminam ſtrigam eſſe, & homines

mines comedere, & propter hoc ipſam incenderit, vel carnem ejus ad comedendum dederit, vel ipſam comederit, capitis ſententia punietur.

VI. Si quis corpus defuncti hominis ſecundum ritum paganorum flamma conſumi fecerit, & oſſa ejus ad cinerem redegerit, capite punietur.

VII. Si quis deinceps in gente Saxonum inter eos latens non baptizatus ſe abſcondere voluerit, & ad baptiſmum venire contempſerit, paganuſque permanere voluerit, morte moriatur.

VIII. Si quis hominem diabolo ſacrificaverit, & in hoſtiam more paganorum dæmonibus obtulerit, morte moriatur.

IX. Si quis cum paganis conſilium adverſus Chriſtianos inierit, vel cum illis in adverſitate Chriſtianorum perdurare voluerit, morte moriatur: & quicunque hoc idem fraude contra regem, vel gentem Chriſtianorum conſenſerit, morte moriatur.

X. Si quis domino regi infidelis apparuerit, capitali ſententia punietur.

XI. Si quis filiam domini ſui rapuerit, morte moriatur.

XII. Si quis dominum ſuum vel dominam ſuam interfecerit, ſimili modo punietur.

XIII. Si quis vero pro his mortalibus criminibus latenter commiſſis aliquis ſponte ad ſacerdotem confugerit, & confeſſione data agere pœnitentiam voluerit, teſtimonio ſacerdotis de morte excuſet.

XIV. De minoribus capitulis conſenſerunt omnes, ad unamquamque eccleſiam curtem & duos manſos terræ pagenſes ad eccleſiam recurrentes condonent: & inter centum viginti homines nobiles & ingenuos, ſimiliter & litos, ſervum & ancillam eidem eccleſiæ tribuant.

XV. Et hoc Chriſto propitio placuit, ut undecunque cenſus aliquid ad fiſcum pervenerit, ſive in frido, ſive in qualicunque banno, & in omni redibutione ad regem pertinens, decima pars eccleſiis & ſacerdotibus reddatur.

XVI Si-

XVI. Similiter ſecundum Dei mandatum præcipimus, ut omnes decimam partem ſubſtantiæ & laboris ſui eccleſiis & ſacerdotibus donent, tam nobiles quam ingenui, ſimiliter & liti: juxta quod Deus unicuique dederit Chriſtiano, partem Deo reddant.

XVII. Ut in dominicis diebus conventus & placita publica non faciant, niſi fortè pro magna neceſſitate, aut hoſtilitate cogente; ſed omnes ad eccleſiam recurrant ad audiendum verbum Dei; & orationibus, vel juſtis operibus vacent. ſimiliter & in feſtivitatibus præclaris Deo & eccleſiæ conventui deſerviant, & ſæcularia placita dimittant.

XVIII. Similiter placuit his decretis inſerere, quod omnes infantes infra annum baptizentur. Et hoc ſtatuimus, ut ſi quis infantem intra circulum anni ad baptiſmum offerre contempſerit, ſine conſilio vel licentia ſacerdotis, ſi de nobili genere fuerit cxx. ſol. fiſco componat, ſi ingenuus LX. ſi litus xxx.

XIX. Si quis prohibitum vel illicitum conjugium ſibi ſortitus fuerit, ſi nobilis ſol. LX. ſi ingenuus xxx. ſi litus xv.

XX. Si quis ad fontes, aut arbores, vel lucos votum fecerit, aut aliquid more gentilium obtulerit, & ad honorem dæmonum comederit, ſi nobilis fuerit ſol. LX. ſi ingenuus xxx. ſi litus xv. Si vero non habuerint unde præſentialiter perſolvant, ad eccleſiæ ſervitium donentur, uſque dum ipſi ſolidi ſolvuntur.

XXI Jubemus ut corpora Chriſtianorum Saxonum ad cœmiteria eccleſiæ deferantur, & nòn ad tumulos paganorum.

XXII. Divinos & ſortilegos eccleſiis & ſacerdotibus dare conſtituimus.

XXIII. De latronibus & malefactoribus, qui de uno comitatu ad alium confugium fecerint, ſi quis eos receperit in ſua poteſtate, & VII. noctibus ſecum detinuerit, niſi ad præſentandum, noſtrum bannum ſolvat. Similiter ſi comes eum abſconderit, & ad juſtitiam faciendam præſentare noluerit, & ad hoc excuſare non poteſt, honorem ſuum perdat.

XXIV. De pignore, ut nullatenus alterum aliquis pignorare præſumat; & qui hoc fecerit, bannum perſolvat.

XXV. Ut nulli hominum contradicere viam ad nos venien-

 do

do pro juſtitia reclamandi aliquis præſumat: & ſi aliquis hoc facere conaverit, noſtrum bannum perſolvat.

XXVI. Si quis homo fidejuſſorem invenire non potuerit, res illius in forbanno mittantur, uſque dum fidejuſſorem præſentet. Si vero ſuper bannum in domum ſuam intrare præſumpſerit, aut ſold. x. aut unum bovem pro emendatione ipſius banni componat; & inſuper unde debitor exſtitit, perſolvat. Si vero fidejuſſor diem ſtatutum non obſervaverit, tunc ipſe tantum damni incurrat, quantum manus ſua fidejuſſoris exſtitit. Ille autem qui debitor fidejuſſori exſtitit, duplum reſtituat pro eo, quod fidejuſſorem in damnum cadere permiſit.

XXVII. De præmiis & muneribus, ut munera ſuper innocentem nullus accipiat: & ſi quis hoc facere præſumpſerit, noſtrum bannum ſolvat. Et ſi, quod abſit, forte comes hoc fecerit, honorem ſuum perdat.

XXVIII. Ut univerſi comites pacem & concordiam ad invicem habere ſtudeant. & ſi forte inter eos aliqua diſcordia aut conturbium ortum fuerit, ut noſtrum ſolatium vel perfectum pro hoc non demittant.

XXIX. Si quis comitem interfecerit, vel de ejus morte conſilium dederit, hereditas illius ad partem regis eveniat, & in jus ejus redigatur.

XXX. Dedimus poteſtatem comitibus bannum mittere infra ſuo miniſterio de faida vel majoribus cauſis in ſold. LX. De minoribus vero cauſis comitis bannum in ſold. XII. conſtituimus.

XXXI. Si cuilibet homini ſacramentum debet, aframeat illum ad eccleſiam ſacramento ad diem ſtatutum: & ſi jurare contempſerit, fidem faciat, & ſold. xv. componat qui in activus apparuit, & deinceps cauſam pleniter emendare faciat.

XXXII. De perjuris ſecundum legem Saxonum ſit.

XXXIII. Interdiximus ut omnes Saxones generaliter conventus publicos nec faciant, niſi forte miſſus noſter de verbo noſtro eos congregare fecerit. Sed unuſquiſque comes in ſuo miniſterio placita & juſtitias faciat, & hoc a ſacerdotibus conſideretur, ne aliter faciat.

ALIUD

ALIUD CAPITULARE.

Anno ab Incarnatione domini noſtri Jeſu Chriſti dccxcvii. & xxi. ac xxii, regnante domno Carolo præcellentiſſimo rege, convenientibus in unum Aquis palatio in ejus obſequio venerabilibus epiſcopis & abbatibus, ſeu illuſtris viris comitibus v.Kal. Novemb. ſimulque congregatis Saxonibus de diverſis pagis tam de Weſtfalahis, & Angrariis, quam & de Ooſtfalahis, omnes unanimiter conſenſerunt & aptificaverunt, ut de illis capitulis, pro quibus Franci, ſi regis bannum tranſgreſſi ſunt, ſolidos lx. componunt, ſimiliter Saxones ſolvent, ſi alicubi contra ipſos bannos fecerint.

HÆC SUNT CAPITULA.

I. Capit. Ut eccleſiæ, viduæ, orfani, & minus potentes juſtam & quietam pacem habeant; & ut raptum, & fortiam, nec incendium infra patriam quis facere audeat præſumptive, & de exercitu nullus ſuper bannum domni regis remanere præſumat.

II. Si quis ſupradicta viii. capitula tranſgreſſus fuerit, omnes ſtatuerunt, & aptificaverunt, ut Saxones ſimiliter ſicut & Franci lx. ſol. componant.

III. Item placuit omnibus Saxonibus, ut ubicunque Franci ſecundum legem ſol. xii. ſolvere debent, ibi nobiliores Saxones ſol. xii. ingenui v. liti iv. componant.

IV. Hoc etiam ſtatuerunt, ut qualiſcumque cauſa infra patriam cum propriis vicinantibus pacificata fuerit, ibi ſolito more ipſi pagenſes ſol. xii. pro diſtrictione recipiant, & pro Wargilda, quæ juxta conſuetudinem eorum ſolebant facere, hoc conceſſum habeant. Si autem in præſentia miſſorum regalium cauſæ definitæ fuerint, pro jam dicta Wargilda ſupraſcriptos ſol. xii. ipſis pagenſes habeant conceſſos: & pro hoc quia miſſus regalis ex hac re fatigatus fuerit, alios xii. ſol. inde recipiat ad partem regis. Si autem ipſa cauſa ad palatium in præſentia regis ad definiendum fuerit perducta, tunc utrique ſolidi xii. id eſt

pro Wargilda, & quod vicinis debuit componere, eo quod infra patriam definita ratio non fuerit, ad partem regis faciant componere, quod ſint ſolidi XXIV. Nam ſi fuerit aliquis qui in patria, juxta quod ſui convicini judicaverint, ſeque pacificare noluerit, & ad palatium pro hujus rei cauſa venerit, & ibi ei fuerit judicatum quod juſtum judicium judicaſſent, in prima vice, ut ſupra dictum eſt, ſol. XXIV. ad partem regis componat. Et ſi tunc inde rediens ſe pacificare & juſtitiam facere renuerit, & iterum pro iſta cauſa ad palatium fuerit convocatus & dejudicatus, bis XXIV. ſolidos componat. Si vero necdum correptus tertia vice pro eadem re ad palatium remeaverit, triplam compoſitionem exinde faciat ad partem regis.

V. Si quis de nobilioribus ad placitum mannitus venire contempſerit, ſol. IV. componat, ingenui II. liti I.

VI. De presbyteris ſtatuerunt, quod ſi aliquid eis aut eorum hominibus quis contrarium facere aut tollere præſumpſerit contra juſtitiam, omnia in duplum reſtituat ei & componat.

VII. De miſſis regis ſtatuerunt, ut ſi ab eis aliquis interfectus evenerit, in triplum eum componere debeat qui hoc facere præſumpſerit. Similiter quidquid aut eorum omnibus factum fuerit, omnia tripliciter faciant reſtaurare, & ſecundum eorum euua componere.

VIII. De incendio convenit, quod nullus infra patriam præſumat facere propter iram aut inimicitiam, aut qualibet malevola cupiditate: excepto ſi talis fuerit rebellis, qui juſtitiam facere noluerit, & aliter diſtrictus eſſe non poterit, & ad nos, ut in præſentia noſtra juſtitiam reddat, venire deſpexerit, condicto commune placito ſimul ipſi pagenſes veniant, & ſi unanimiter conſenſerint, pro diſtrictione illius caſa incendatur: tunc de ipſo placito commune conſilio facto ſecundum eorum euua fiat peractum, & non pro qualibet iracundia aut malevola intentione, niſi pro diſtrictione noſtra. Si aliter facere auſus fuerit, ſicut ſuperius dictum eſt, ſol. LX. componat.

IX. Item placuit ut quandoquidem voluerit domnus Rex propter pacem & propter faidam, & propter majores cauſas ban-

bannum fortiorem ſtatuere, una cum conſenſu Francorum & fidelium Saxonum, ſecundum quod ei placuerit, juxta quod cauſa exigit, & opportunitas fuerit, ſold. LX. multiplicare in duplum, & ſol. c. ſive uſque ad mille componere faciat, qui ejus mandatum tranſgreſſus fuerit.

X. De malefactoribus, qui vitæ periculum ſecundum euua Saxonum incurrere debent, placuit omnibus, ut qualiſcunque ex ipſis ad regiam poteſtatem confugium fecerit, aut in illius ſit poteſtate utrum interficiendum illis reddat, aut una cum conſenſu eorum habeat licentiam ipſum malefactorem cum uxore & familia & omnia ſua foris patriam infra ſua regna, aut in marca, ubi ſua fuerit voluntas, collocare, & habeant ipſum quaſi mortuum.

XI. Illud notandum eſt quales debent ſolidi eſſe Saxonum: id eſt, bovem annoticum utriuſque ſexus auctumnali tempore ſicut in ſtabulum mittitur pro uno ſolido: ſimiliter & vernum tempus quando de ſtabulo exiit, & deinceps quantum ætatem auxerit, tantum in pretio creſcat. De annona vero bortrinis pro ſol. I. ſcapilos XL. donant, & de ſigale XX. ſeptentrionales autem pro ſolido ſcapilos XXX. dent, & ſigale XV. Mel vero pro ſolido bortrenſi ſiglæ I. & medio donant: ſeptentrionales autem duos ſiclos de melle pro I. ſolido donent. Item hordeum mundum ſicut & ſigale pro. I. ſolido donent. In argento XII. denarios ſolidum faciant; & in aliis ſpeciebus ad iſtud pretium omnes æſtimationes compoſitionis ſunt.

Explicit capitulare Saxonum.

In alio vetuſto MS. Palat. ſubjungitur concilio Liſtinenſi anni DCCXLIII. *abrenuntiatio diaboli operumque ejus, & brevis profeſſio fidei, veteri lingua Theotiſca, cum indiculo ſuperſtitionum. à quibus populum Epiſcoporum ſollicitudine revocandum ſynodus illa ſtatuit, parte* I. *can.* 5. *quo vix ullum antiquitatis Germanicæ monumentum vetuſtius extat: annos enim ſuperat* DCCCC.

ABRENUNTIATIO.

FORSACHISTU diobolae? Et reſp. Ec forſacho diobolae. End allum diobol gelde? Reſp. End ec forſacho allum diobol gelde. End allum dioboles wercum? Reſp. End ec forſacho allum dioboles wercum und wordum; thuna eren de Vuoden end ſaxnote; ende allem them unholdum, the hira genotas ſint.

Profeſſio fidei.

Gelobiſtu in got almehtigan fadaer? Reſp. Ec gelobo in got almehtigan fadaer. Gelobiſtu in Criſt godes ſuno? Reſp. Ec gelobo in Criſt gotes ſuno. Gelobiſtu in halogan gaſt? Reſp. Ec gelobo in halogan gaſt.

INDICULUS SUPERSTITIONUM ET PAGANIARUM.

De ſacrilegio ad ſepulcra mortuorum.
De ſacrilegio ſuper defunctos, i. e. Dadſiſas.
De ſpurcalibus in Febr.
De caſulis, id eſt, fanis.
De ſacrilegiis per eccleſias.
De ſacris ſilvarum, quæ Nimidas vocant.
De his quæ faciunt ſuper petras.
De ſacris Mercurii vel Jovis.
De ſacrificio quod fit alicui ſanctorum.
De phylacteriis & ligaturis.
De fontibus ſacrificiorum.
De incantationibus.
De auguriis, vel avium vel equorum vel bouum ſtercore, vel ſternutatione.

De

De divinis vel ſortilegis.
De igne fricato de ligno, i. e. Nodfyr.
De cerebro animalium.
De obſervatione pagana in foco, vel in inchoatione rei alicujus.
De incertis locis quæ colunt pro ſacris.
De petendo quod boni vocant S. Mariæ.
De feriis quæ faciunt Jovi vel Mercurio.
De Lunæ defectione; quod dicunt Vinceluna.
De tempeſtatibus, & cornibus, & cocleis.
De ſulcis circa villas.
De pagano curſu, quem Yrias nominant, ſciſſis pannis vel calceis.
De eo quod ſibi ſanctos fingunt quoſlibet mortuos.
De ſimulacro de conſparſa farina.
De ſimulacris de pannis factis.
De ſimulacro quod per campos portant.
De ligneis pedibus vel manibus pagano ritu.
De eo quod credunt, quia feminæ lunam commendent, quod poſſint corda hominum tollere juxta paganos.

FINIS.

INDEX

Rerum memorabilium in

MONUMENTIS

PADERBORNENSIBUS

contentarum.

A.

Abbatis & Conventus Corbeienſis tranſactio cum Epiſcopo Paderbornenſi, quoad jus Diœceſanum in Monte Martis. 108

Acidulæ Triburgenſes à Bernardo Rottendorffio Archiatro Monaſterienſi V. C. eleganter deſcriptæ. 269. *earundem, ut & Smechtanæ virtutes medicæ admirandæ.* ibid.

Acidulæ Smechtana, accolis Metbrunne, *ſive hydromeli dicta, à* Ferdinando *Principe verſu eleganti celebrata.* 262. *itidem à Joanne Torckio Præpoſito Mindenſi &c.* ibid. *ejuſdem virtutes à Tabernæmontano deſcriptæ.* 263

Adrianus IV. PP. confirmat decimas, aliaſque donationes Eresburgo & Corbeiæ factas. 116

Advocati libera electio confirmatur Epiſcopo Paderbornenſi ab Ottone Imp. & Henrico Rege. 235. 236. 238

Ædes ſacræ per Saxoniam à Leone III. Pontif. Max. in primo ejus adventu conſecratæ. 117

Alarici pietas erga templa & res ſacras. 119

Alexandri Papæ IV. monitorium contra Corbeienſes. 12[illegible]

Alexandri Severi de Chriſto ſenſus. 120

Alienatio rerum Eccleſiæ prohibita. 152. 153

Aliſo caſtellum à Druſo conſtructum. 2. 7. *ejus antiquitas.* 7. *amplitudo, ingens opus.* 8. *proprius ſitus ad Luppiæ & Aliſonis confluentes.* 3. 9. 10

Aliſone Romanorum olim tribunal & forum, imò urbs. 8. *J. Lipſii de Aliſone opinio exploſa.* 3. *Itemque diverſæ aliorum opiniones de Aliſonis ſitu refutatæ.* 9

Aliſo præſidium contra Sicambros. 3. 4. *& contra Tencteros &c.* 3. *à Germanis captus & deſtructus.* 11. *à Romanis reſtauratus.* ibid.

Aliſo non caſtelli ſolùm nomen, ſed etiam fluvii. 2. *Aliſo & Alma idem fluvius.* 11. *Aliſo monumentorum Weſtphaliæ vetuſtiſſimus.* 3. *Aliſo an à Carolo M. inſtauratus?* 11. *pagum Elſen & Neuhuſium ambitu ſuo olim comprehendit.* 10. *Aliſonis caſtelli ruinis crevit Paderborna.* 11. *Aliſonis veteris modica nunc veſtigia.* ibid.

Ambra ſive Emmera, fluvius Diœceſis Paderbornenſis. 199. *quæ oppida alluat.* ibid.

Ambrones populi, illorum ſedes ad Ambram in Diœceſi Paderb. 199. *à Cheruſcis occupatæ.* 200. *Ambrones Cimbrorum in Italiam irruentium ſocii.* ibid. *Propè Aquas Sextias à Mario deleti.* ibid.

Amiſia nomen fluvii & oppidi. 3

Amiſius in hiſt. Romana celebris. 52. *ejus ortus in diœceſ. Paderborn. varias olim & nunc gentes & loca alluit.* 53. 54

Amœnitas Paderbornæ augetur à limpidiſſimis Paderæ fontibus. 185

Angarienſe Canonicorum collegium, transfertur Hervordiam. 149

Angarii, eorum Dux Bruno. 144. *Angarii von den Angeren dicti.* 145. *Angariorum ſedes diverſæ.* ibid.

Angerort & Angermunt oppida ab Angariis

fortè

fortè nomen ducunt. ibid.
Angli celebris olim Germaniæ populus. 91
Anſivarii, aliter Ampſivarii, ab Amiſio fluvio ſic dicti. 53
Aquila præcipuum Romanæ militiæ ſignum. 8. *ubi præferri & ubi defigi, quando velli & moveri ſolitum.* ibid.
Aquilæ Romanæ cæſo Varo raptæ. 29. *earum binæ nunquam à Romanis recuperatæ.* 30.31. *tertiam Dio repertam tradit Claudio Cæſare, quod à Lipſio prætermiſſum & aliis.* 30
Aquæ indolem ducunt à venis metallorum per quas labuntur. 246. *Aquarum miraculum apud Germanos à Plinio deſcriptum.* 247. *Aquarum præſtantia.* 249
Ara Druſi haud procul Aliſone. 4
Archiepiſcopus Colon. & Epiſcopus Paderbornenſis amicorum operâ pacem redintegrant. 67
Archiepiſcopus Col. Fridericus & Adolphus Clivenſis iteratò diœceſin Paderbornenſem hoſtiliter invadunt, quibus Wilhelmus Epiſcopus mille militum lanceas objicit. 67
Archidiaconus Horehuſanus, ejuſque Synodus. 106. & 108
Archidiaconales ſedes in Diœceſi Padernenſi ſex. 134
Ardenna Celtis ſilva dicitur. 49
Arethuſa fons. 245
Aribo Moguntinus Archiepiſcop. fraude circumvenit Meinwercum Paderb. Epiſcop. 161. & 162. *Paderbornæ in Natali Chriſti concionem habet ad populum inter Miſſarum ſolemnia.* 181
Arminius & Sigemerus familiares Vari. 27. *Arminius raptor filiæ Segeſtis.* 26. *ejus genus, mores, laudes &c.* 27. 28. *Arminii laudes barbaris carminibus à Saxonibus decantari ſolitæ.* 79
Arnoldus de Brencken, Vir genere nobili & doctrinâ conſpicuus. 222
Arpus Cattorum Princeps. 2
Aſſuerus Abbas Prumienſis. 17
Auguſtus Cæſar graviſſimè perculſus Varianâ clade. 33

B.

Bacenis ſilva. 35
Baduradus Epiſc. Paderbornen. Corbeienſem Eccleſiam conſecrat. 128. *reliquias B. Landolini è Diœceſ. Cameracen. Bocæ infert.* 140
Bardo Archiepiſc. Moguntinus Paderbornæ ſermonem ad populum faciens obitum ſuum prædicit. 182
Bardevicum ampla olim urbs. 55
Bartholdus nobilis de Büren mediam partem caſtri Wevelsburg ab Epiſcopo Paderbornenſi in beneficium accipit, quam Simon nobilis de Büren vendit Ruperto Epiſcopo Paderbornenſi. 229
Bathildis Heroïna Saxonica auctor Corbeiæ aureæ Gallicæ. 130
Bavarorum mos in aliena terra velle, quod in ſua volunt. 183
Bavo Abbas Corbeienſ. impetrat à Ludovico Rege jus publici Mercatus & Monetæ in Monte Martis. 114
Beatrix Abbatiſſa in Herſſen. 189
Beatrix uxor Erponis Comitis de Padberg. 141
Bellum Francorum contra Saxones laborioſum & diuturnum. 172. 173
Bellum ob ſucceſſionem in Ducatu Limburgenſi inter Principes geſtum. 279
Bernardi Epiſcop. Paderbornen. cum Widekindo Abbate Corbeienſi controverſia ratione Deſenbergæ arcis. 165. 166
Bernardus de Hörde Eques Bocam arcem facit feudum ligium Eccleſiæ Paderborn. 142
Bertoaldus Saxonum Dux prope Viſurgim à Clothario Rege Francorum occiditur. 76
Bertholdus de Büren Præpoſitus Abbatiæ Werthinenſis. 229
Blankenroda Suſatenſi bello vaſtata. 206
Boca arx à Carolo M. Aliſonis caſtelli ruderibus ſuperſtructa ad Luppiam. 140. *ejus hoſpitio clara.* 142
Boca arx hodiedum, vico & præfecturâ inſignis. 140. *Pagus diœceſis Paderborn.* 143. *Bocæ cœptum ab Erpone Comite de Padberg Monaſterium ordinis S. Benedicti in Fletorp transfertur.* 140. 141. *Bocæ arcis ſacellum ſacris reliquiis ornatur.* 142. *Bocam ar-*

cem, emortuâ ſtirpe Bernardi ab Horde, recuperat Theodorus Furſtenbergius Princeps Paderbornenſis ibid. Incenſam à Suecis denuo inſtaurat Theodor. Adolphus Princeps Paderbornenſis. ibid.

Bodeka primò Monaſterium Canonicarum Virginum à S. Meinolpho conditum. 220. 221. Bodecenſis monaſterii miſerandus ſtatus à Wilhelmo de Monte Epiſcopo Paderbornenſi in meliorem mutatur. 223. Bodecenſis Monaſterii reſtauratio. 222

Bruchium ad Ruram Dynaſtia. 59

Bructeri unde dicti. 61. in majores & minores diviſi. ibid. Minores Luppia perlabitur. 14. 15. ſæpe nomen, ſæpe ſedes mutarunt. 59. eorum ſedes ad ſilvam Hercyniam. ibid. & ad Ruram fluvium. ibid. haud procul Teutoburgienſi ſaltu in Diœceſi Paderbornenſi habitarunt. 60. in Weſterwaldiam progreſſi. 59. horum reliquiæ circa Rhatingam & Duſſeldorpium. ibid. rem ſtrenuè contra Varum egêre. 36. ſed prælio navali in Amiſia à Druſo victi. 53. inter primarios Francorum populos olim numerati. ibid.

Bruno Widechindi frater arcis Brunsbergenſis conditor reputatur. 124. ante fratrem Widechindum ſacra Chriſtiana amplectitur. ibid.

Brunsberg arx omnium firmiſſima ad Viſurgim à Carolo oppugnatur. 125. Abbatiæ Corbeienſi ab antiquo ſubjecta. 126. ejuſdem fama hodiedum ſupereſt. 124

Brunſwicenſes Duces Huxariam Corbeienſi Abbatiæ rebellem defendunt, & muniunt. 136

Buckenborg & Boucke, malè a quibuſdam accipiuntur, pro arce Boca. 142

Burchardus Epiſcop. Monaſterienſis anno 1105. captus à Friderico Comite Arnsbergenſi. 226

C.

Capitulatio Caroli M. de partibus Saxoniæ. 329

Caroli Craſſi Imp. diploma Heriſienſi Parthenoni datum, vetuſtatem pagi Smechtani aſtruit. 263

Caroli Martelli & Pipini filii ejus in Saxones expeditio. 100

Caroli Martelli Auſtraſiæ Principis expeditio in Saxones. 77. quos tributarios facit. 15

Carolomannus in Saxones movet. 77

Carolus M. iteratò Siburgum & Eresburgum arces expugnat, Brunisbergam oppugnat. 125. Coloniam venit. 18. devincit Saxones prope Thietmallum ſuo ductu. 42. Loco Irminſulæ in Monte Martis Deo & S. Petro Baſilicam condit. 112. expeditio ejus ad confluentes Warnæ & Viſurgis. 99. 100. Sæpe ad Luppiam caſtra metatur. 15. frequens ei commoratio ſtatioque Paderbornæ. 173. 185. Paderbornæ excipit Leonem III. PP. à ſuis Romæ malè multatum. 174. 178. tria propè Luppiam, 17. itemque Paderbornæ Concilia celebrat, legatos audit, jus dicit, bella decernit. 173. 174. Ludæ Natalem Domini celebrat. 201. & in caſtris ad Ambram fluvium. 100. Heriſtalli ad Viſurgim legatos excipit. 214. 215. 216. Saxonibus in campo Sintfeld ſubactis parcit, & in Gallias transfert. 210. Carolus M. boni Principis idæa. 150. Romano-Catholicus & Romanorum Pontificum religioſus cultor, & doctrinæ ſectator. 99. Partem Saxoniæ ſuis armis devictæ, tempore Adriani PP. offert Deo, & S. Petro vovetque fundationem Epiſcopatus Oſnabrugenſis. 117. 118. Dividit Saxoniam in Diœceſes. 152. ejuſdem, ut & Ludovici Pii Imp. decreta circa immunitatem bonorum Eccleſiæ. 153. ejuſdem de Epiſcoporum in hoſtes profectionibus Canon illuſtratus. 95. ejus clementia, juſtitia, religio. 150. 151. 152. Severitas erga rebelles toties Saxones. 151. Una die ad Alleram quatuor millia & quingentos Saxonum capite plecti jubet. 151. Frequens ejus de Saxonibus triumphus. 43. nullæ in Saxonia urbes ævo Caroli M. 55

Carolus IV. Imp. viſitat ſepulchrum Widechindi M. in Engern, illud renovari & interpolari facit. 146

Caſpars Furſtenbergii poſteritas. 298

Caſtellum ad Luppiam a Carolo M. conditum quodnam? an Vecktelar. an Bukenburg arx ditionis Schawenburgicæ, & non potius Boca ad Luppiam? 140. 142

Caſtrum ad Luppiam à Carolo Magno extructum.

ctum. 17. De eodem in Monumento Bocæ ſuſius. 140
Caſtellum in Cattis à Druſo poſitum ad Rhenum. 2
Caſtellum, urbs, aliaque loca commune ſæpius cum amne nomen habent. 3
Caſtellani in Warburg. 163
Caſtrum Driborg adhuc ſtetit anno 1309. 192
Catti, nunc Haſſi, Haſſones, Heſſi, Aimoino Aſſi. 158. olim gens Suevorum. 157. partem diœceſis Paderbornenſis occupant. 158. Cattorum virtutes, mores ac belli ſtudia deſcripſit Corn. Tacit. ibid.
Cella S. Goaris adjudicata Prumiæ. 17
Chamavi & Angrivarii in fines Bructerorum immigrarunt. 59
Cheruſci utramque Viſurgis ripam incoluerunt. 5.23. eorum ſedes ad Albim Claudiani ævo. 36. virtutem ſuam in pugna adverſus Varum præcipuè exeruere. ibid.
Chriſtophorus Bernardus Epiſcopus Monaſterienſis & Corbeienſium Adminiſtrator Baſilicam Corbeienſem collapſam reſtaurat ex fundamentis. 121
Chuonradus Imp. retractat ſuo diplomate donationem Comitatus Dodiconis, imprudenter Archiepiſcop. Moguntino factam, eumque reſtituit Eccleſiæ Paderborn. 161
Cives Montis Martis agnoſcunt Epiſcopum Paderbornenſem ſuum in ſpiritualibus ordinarium ſuperiorem, ejuſque Archidiaconum. 105.106
Cives Soſatenſes juramentum præſtitum perfidè violant. 66
Clades Variana à plurimis hiſtoricis celebrata. 22. proprius ejus locus. 24. Aliſoni vicinus. 23
Cleinenberga oppidum. 6
Clodio Rex Francorum Cameraco potitur ac Tornaco. 156
Clotharii, & Dagoberti Franciæ Regum contra Saxones bellum. 75
Collegium Heriſienſe locum in monte Driburgenſi concedit Virginibus ſacris, poſtea Gerdenam tranſlatis. 188.189
Colonienſis Archiepiſcopi & C. Clivenſis exercitus à Paderbornenſibus fugatur & cæditur, cæſis viris 420. equis 800. 65
Colonienſi Archiepiſcopo nulla juriſdictio in Monte Martis. A.C. MCCXXVIII. 107
Comitum nomen ævo Carolino. 143
Comes Arnsbergenſis Antebellator Weſtphaliæ inter Rhenum & Viſurgim. 227
Comites Lippienſes beneficiarii ſeu Vaſalli Epiſcoporum Paderbornenſium. 47
Comitum Oldenburgicorum, à quibus originem trahit Baronum Furſtenbergiorum familia, brevis genealogia. 276
Conradus Comes de Arnsberg diœceſin Paderbornenſem infeſtans, in prælio contra Bernardum Epiſcopum Paderbornenſem occumbit. 223
Conradus Prior Provincialis Theutoniæ Ordinis Prædicatorum. 132
Corbeia ad Viſurgim à Corbeia Gallica nomen accepit. 130. primùm trans Viſurgim conſtrui cœpta in ſilva Sollingenſi. 126. deinde è Sollingâ ad Viſurgim tranſlata & conſtructa. 127. intra fines Diœceſis Paderbornenſis probatur jam olim conſtituta. 128. nutrix fuit olim Apoſtolicorum virorum fideique Doctorum. 129. Corbeienſes Monachi magnam olim Saxoniæ partem, Inſulam Rugiam, aliaſque Septentrionales gentes ad Chriſti fidem traduxere. ibid. Corbeienſis ditionis ſtatus in ſpiritualibus & temporalibus. 136. Corbeienſes exemptionem obtendentes, jubet Alexander IV. PP. literas exemptionis proferre; ſin minus, parêre Epiſcopo Paderbornenſi. 129. Corbeienſis Monaſterii Rectores cum ſuis ſubjectis eximuntur ab expeditione militari. 114. Advocati liberè eligendi jus accipiunt. ibid. Liti & coloni Abbatis Corbeienſis immunes ab omni judiciaria poteſtate. 114. Corbeienſes Rectores Eresburgenſis Præpoſituræ reſtaurant baſilicam à Carolo M. ibidem olim conſtructam, ſed pulvere nitrato ab Haſſis hoc ſæculo disjectam. 121
Cornelii Taciti Annalium lib. 5. priores Corbeiæ ad Viſurgim reperti, & Leoni X. oblati. 79
Craſſiana clades à Parthis illata. 29
Cunigundis Regina Paderbornæ coronata à Willigiſo Archiep. Mog. 183

D.

Dapiſer & Pincerna Epiſcop. Paderborn. 166

Decurſiones militares ad honorarios tumulos 62

Delbruggia ultima Bructerorum ſedes. 58. 59. *inſignis Diœceſis Paderborn. pagus.* 58. *inacceſſis fere incincta paludibus.* 64

Delbruggii injuriá feroces & indomiti à Gryphiandro dicti. 58. *induſtrii & militiæ apti.* ibid. *viriliter hoſtibus ſeſe objiciunt.* 64

Dellina amnis Diœceſis Paderb. vulgò Dalcke *hodie dictus.* 49

Denarii ſynodales. 108

Deſenbergæ inſignis ſitus, & opportunitas. 165. *quandonam primùm vaſtata.* ibid. *paruit olim Carolo M.* 164. *in poteſtatem Henrici Imp. venit.* 165. *conſenſu Epiſcopi Paderbornen. & Abbatis Corbeienſis diruitur.* 166. *à Spiegelius diu inhabitata.* ibid. *ejus ruinæ indicant nullius ſtructuræ robur interitum evadere.* 167

Deſcriptio elegans Paderæ fontium. 184

Deſcriptio pompæ quâ Carolus M. excepit Paderbornæ Leonem Pontif. Max. 175. 176. *&c.*

Deſcriptio prælii inter Wilhelmum Epiſcopum Paderbornenſem & Archiepiſcop. Colonienſem initi anno 1410. *in Vicinia Delbruggiæ.* 64

Dethmoldia clade Varianâ celebris. 24

Diedenhille oppidulum. ejus ſitus. 40. 41

Dies Varianæ cladis nominalis. 35

Dimola fluvius limes Haſſiæ & Weſtphaliæ. 70. *Eresburgum & magnam Diœceſis Paderb. partem perlabitur. In Viſurgim, haud procul Heriſtalio ſe effundit.* 104

Diploma Zuenteboldi Regis. 45. *Henrici Regis.* 46. *Witeldi Abb. Corb.* 105. *Coſſ. Eresbergenſium.* ibid. *Henrici Rom. Regis.* 107. *Alexandri PP. IV.* 129. *Ludovici Imp.* 130. 131. *Erponis Comitis in Padberg.* 141. *Dodiconis Comitis.* 158. *Henrici Imperatoris.* 160. *Conradi Imperatoris.* 161. *Simonis Epiſc. Paderborn.* 163. *Bernardi Epiſc. Paderborn.* 165. *Henrici Imp.* 180. 181. *Bernardi Epiſc. Paderborn.* 188. 189. *Immadi Epiſcopi Padernborn.* 198. *Wenemari de Furſtenberg.* 222. *Henrici Regis.* 224. *Ottonis Epiſcop. Monaſterien.* 228. *Ottonis Imperat.* 235. *Henrici Regis.* 236. 237. *Caroli Imperat.* 263. *Leopoldi I. Imperat.* 273. *Caroli Magni Imp.* 325. 327

Diploma S. Henrici, quo Comitatum Habolt Meinwerco Epiſcopo Paderborn. donat. 46

Diploma ſeu Privilegium Caroli M. Imp. Eccleſiæ Oſnabrugenſi datum, ex autographo expreſſum. 325. *Ejuſdem Caroli M. diploma eidem Eccleſiæ conceſſum ex autographo.* 327

Diſpargum Chlogionis Francorum Regis ſedes. 156

Diſſidium inter Spiegelios, ob Deſenbergam ortum Simon Epiſcop. Paderbornen. componit. 166

Dithmarſen pagus Diœceſis Paderbornenſis à Marſis nomen obtinuit. 37

Diverſæ gentes in fœdus & nomen Saxonum conceſſerunt. 92

Diviſio Parochiæ S. Othelrici in urbe Paderbornenſi. 132

Diviſio ſedium Archidiaconalium in Diœceſi Paderbornenſi auctoritate Sedis Apoſtolicæ facta. 133

Dodico Comes, donat B. Meinwerco Comitatum ſuum. 159

Dollartus lacus. 53

Driburgum olim dictum Iburgum. 187. 188

Driburgum, ſive Iburgum, præcipuum munimentum Saxonum. 191. *Inſtantiâ Leonis PP. donatur à Carolo M. Eccleſiæ Paderbornenſi.* 192. *Driburgi olim fuit Cœnobium religioſarum virginum à Bernardo Epiſcopo Paderbornenſi in Gerden tranſlatum.* 188. 189

Driburgenſes accidulas eleganti carmine celebravit Jo. Rotgerus Torckius Præpoſ. Mindenſis &c. Anno 1671. 193

Druſi in Sicambros irruptio. 5. *ejus à Sicambris periculum.* ibid. *per Rhenum* L. *caſtella diſpoſuit.* 7. & 8. *prope Aldenbecam periclitatur, à Viſurgi revertens.* 71. *Albim tranſire parans oſtento revocatur.* 73. *ab Albi revertentis mors.* ibid. *moritur inter Salam & Rhenum. quis ille Sala fluvius?* ibid.

E. *Eber-*

E.

Eberhardus Marcanus hoſtili incurſione Weſtphaliam vexat. 280. *Werlæ mœnia dejicit, Furſtenbergâ arce potitur. à Siffrido Archiepiſcopo Colonienſi eam ob cauſam bello fatigatur.* 280. *Hoveſtadium caſtrum invadit ac diruit.* ibid.

Elſen pagus. 10. *ejus appellatio olim varia.* ibid.

Elſen ſive Ileſen familiæ equeſtris olim nomen. ibid.

Embda nobile in Friſia Emporium ad Amiſii oſtium. 53

Engelbertus Comes Marcanus inſtauratam Furſtenbergam iterum evertit. 281

Enger vicus, ſedes olim Widechindi M. 145

Epiſcopatus à Carolo M. fundati, & à cæteris Impp. & Regibus aucti, ævo S. Heinrici multùm attenuati, ideò ſe Meinwerco Epiſcopo ejuſque Eccleſiæ tam liberalem eſſe fatetur. 159

Epiſcopatus Paderbornenſis ſingulari Dei providentiâ conſervatus, direptis extinctiſque magnam partem aliis Saxoniæ Epiſcopatibus. 258

Epiſcopi armati caſtra ſequuntur. 77. & 78. *ſuo ductu & milite contra paganos proficiſci ſoliti.* 98

Epiſcopis an interdictum intereſſe militaribus expeditionibus, & an iis pugnare permiſſum. 95. *Epiſcopo interdicta alienatio rerum Eccleſiæ ſuæ.* 153

Epiſcopos Saxoniæ ob animarum regimen Principes cœli, Ludovicus Pius Imp. Principes effecit regni. 152

Epitaphium Eliſabethæ Spiegel ex Peckelsheim, conjugis Caſpari à Furſtenberg, Archiſatrapæ Weſtphaliæ. 316. *Othiliæ Furſtenbergiæ Abbatiſſæ Heriſienſis & Olinghuſanæ.* 317. *Friderici de Furſtenberg Canonici Moguntini.* 318. *Godefridi de Furſtenberg Canonici Moguntini.* ibid. *Friderici Furſtenbergii Archiſatrapæ Weſtphaliæ, Bilſtenii, & Waldenburgi Dynaſtæ &c.* 319. *Annæ Catharinæ de Petra, conjugis Friderici lib. Baronis de Furſtenberg.* 320. *Friderici lib. Baronis de Furſtenberg, Satrapæ in Bilſtein, Waldenburg & Fredeburg &c.* 321. *Urſulæ Baronis de Furſtenberg Decaniſſæ Heriſienſis.* 322. *Theodori Adolphi Epiſcopi & Principis Paderbornenſis, in æde Cathedrali, è regione Mauſolei Theodoriani ſepulti.* 309. *Annæ à Weſtphalen conjugis Friderici de Furſtenberg.* 315. *Friderici de Furſtenberg Satrapæ in Werle, Bilſtein & Waldenburg.* 314. *Caſpari de Furſtenberg, Archiſatrapæ Weſtphaliæ, Arensbergæ in templo Wedinghuſano tumulati.* 313

Ereſburgum ſive Stadberg ad Dimolam. 103. *celebre fano Saxonum.* 110. *Ereſburgi Caſtri ſitus proprius deſignatus.* 104. *ejus varia appellatio & etymon.* 103. *Ereſburgum cum tota Saxonia Deo & S. Petro à Carolo M. oblatum.* 115, 116. *Ereſburgi frequens ſtatio Caroli M.* 104. *Ereſburgi idolum Martis, Irminſul dictum. hujus etymon explicatum.* 111. *Ereſburgum urbs poſt terna excidia, noſtrâ ætate poſtremum paſſa à Suecis & Haſſis.* 109. & 118. *Ereſburgenſes cives accuſati à Scabinis, non in ferro candenti, uti altàs conſuetum, ſed manu duodecimâ purgationem præſtabunt.* 105. *Ereſburgenſes cives ex ſubjecta villa Horehuſen in montem migrant.* 105. 109. *juriſdictioni Epiſcopi Paderbornenſis ſe ſubtrahunt.* ibid. *eidem Epiſcopo certis conditionibus ſe ſubjiciunt, quoad jus diœceſanum.* 105. 108. *Ereſburgenſis templi encomium.* 119. *ejuſdem deſtructio barbara.* 120. *Ereſburgum quando nomen mutarit.* 107

Erfurtum à D. Bonifacio paganorum ruſticorum urbs appellata. 55

Erpo de Padberg Comes injurius in Crucifixi imaginem in Horhuſen divinitus punitur. 141. *Vovet fundare Monaſterium Becæ.* ibid.

Erneſtus Bertramovillius fortiter Paderbornam defendit, & Haſſorum obſidionem ſuſtinet. 257

Errores variorum, in deſignando cladis Varianæ loco. 22. *Errores ſive opiniones de Francorum origine.* 83

Erygrus apud Dionem quis fluvius. 74

Exempla Epiſcoporum qui expeditionibus militaribus

taribus interſuerunt, 96
Exempla barbarorum hoſtium templis & rebus ſacris parcentium. 119
Exterenſtein ſive Picarum rupes. 71

F.

Falſitas eorum retecta, qui nuper ſcribere auſi Carolum M. non undequaque ſedi Apoſtolicæ Romanæ ejuſque doctrinæ fuiſſe adhæſiſſe. 99
Ferdinandi Bavari Epiſcopi Paderbornenſis encomium. 258
FERDINANDUS à Furſtenberg Epiſcopus & Princeps Paderbornenſis, Coadjutor Monaſterienſis S. R. I. Princeps &c. 297. ejus laudes. 194. anno 1668. ſopitis controverſiis, ſtabilit ſucceſſionem Paderbornenſ. Eccleſ. in Comitatum Pyrmontanum. 199
Fletorpenſis Monaſterii Advocatia non ſit hæreditaria. 142
Fluvii plures trecentis diœceſin Paderbornenſem irrigant. 14. Fluvii præcipui diœceſis Paderbornenſis. ibid.
Fons apud Smeci tam hominibus innoxius, avibus exitialis. 247. Fontis melliti apud Smechtanos virtutes. 246. Fons Padulus FERDINANDO Principi ſalutaris. 252. Fons apud Friſios noxius. 247. Fons Eresburgi impetratus Caroli M. precibus, ejus rei veritas excuſſa. 112. Fons reſonus vernaculè Bullerborn, Bulderborn &c. dictus. 242. ejus per intervalla fluxus. 248. Fontium miracula circa Paderbornam. 245. Fontes in Diœceſi Paderbornenſi in modum ferventi aheni bullientes. 246. Fontium diverſorum natura mirabilis. 248. Fontis Tulliani deſcriptio & inſcriptio. 248. 289. Fontes, eorumque capita olim ſacri. 18. Fontes olim ſacrificiis culti. ibid.
Franci à Trojanis reliquiis originem non trahunt, neque ab exteris gentibus, neque ex Scandinavia, neque ex Franconia. 83
Francorum Regum vetus ſedes Diſpargum, hodiernum potius Duisburgum cenſendum eſt fuiſſe, quam Deſenberga in Diœceſi Paderbornenſi. 156
Francorum virtus, & diffuſum latè imperium. 93. eorum nomen apud hiſt. Auguſtæ ſcriptores tantum celebre poſt imperium Gallieni. 82
Francorum Regum inſignia primò tres bufones, deinde Leones, poſtremo Lilia. 208
Francorum veterum virtus bellica. 126
Franciæ regionis flumina ab Apollinare recenſita. 86
Francis familiare peregrina nomina noſtris locis inferre. 101
Francorum adhuc gentilium lex & pœna in templorum violatores & incenſores. 120
Franci è caſtro Deſenberga reſiſtunt infeſtantque Saxones. 165
Francia vetus quærenda eſt inter Rhenum Viſurgim & Albim, & cumprimis in Weſtphalia. 84
Francia quadrifariam diviſa, in Tranſrhenanam, Gallicanam minorem & majorem, & Franciam novam. 87. Franciæ veteris fines. 86
Franckon liberum hominem lingua Germanica ſonat. 85
Franciſca armorum genus Francis. 126
Franciſcus Abbas Corbeienſis anno 1507. oppignorat Archiepiſcopo Colonienſi alteram medietatem montis Martis. 118
Franciſcus Wilhelmus Furſtenbergius Archicommendator Ord. Teutonici per Weſtphaliam &c. 297
Fridericus Archiepiſcopus Colonienſis, & Adolphus Comes Cliviæ hoſtiliter invadunt Delbruggiam. 64
Friderici Furſtenbergii dynaſtæ in Bilſtein & Waldenburg poſteritas & liberi. 295
Fridericus Furſtenbergæ Dominus conditor arcis Waterlappiæ. 278. ejus ſitus. ibid.
Fridericus & Wenemarus fratres auctores Furſtenbergiorum in Waterlapp. & Furſtenbergæ nova. 283
Fridericus Furſtenbergius S. R. I. liber Baro, ejus vitæ & geſtorum brevis ſynopſis. 296
Fridericus de Brencken miles. 229
Frimersheim Dominium, confirmatur Abbatiæ Werthinenſi à Zuenteboldo Rege. 45
Fulda nomen fluvii & oppidi. 3
Furſtenbergica familia primordia generis debet armis & militiæ, progreſſum & incrementum

tum literis. 299

Furſtenbergii in Waterlappia & Furſtenberga nova, iiſdem trabibus utuntur in ſcuto gentilitio, ſed Galeæ coronae diſtincta. 283

Furſtenbergicæ familiæ deductio hiſtorica à Comitibus Oldenburgicis. 272. 275. Auctores qui id ſolidè probant. 273

Furſtenbergici quorum illuſtre ab antiquo nomen & fama. 283

Furſtenberg caſtrum ſæpe deſtructum ac reparatum, demque deſolatur. 277. 278. 281

Furſtenberga vetus toties adverſum Martem excidiaque experta deſeritur à Furſtenbergicis Dominis, novaque conſtruitur ad radices montis. 283

Furſtenbergii fœdus ineunt cum Archiepiſcopo Colonienſi ejuſque ſociis contra Ludovicum Bavarum, 282

Furſtenbergii Nobiles ex Waterlapp Monaſterium Bodecenſe incendunt, ſed mox damnum illud reſarciunt. 222

G.

GAw, & Börde, quid Germanis. 143

Gerdenſe Monaſterium Virginum prius in monte Driburgenſi conſtructum fuit. 189

Germani olim ſolum facile crebroque mutabant. 200

Germanorum fortitudo & fides vindicata. 28. 29

Germanorum mos Heroum facta populari cantu celebrare. 78

Germanorum ſigna bellica, ferarum imagines &c. 208

Germania & Alemania in pagos olim diviſa, itemque Helvetia. 143

Germanicus Cæſar, Druſi filius Viſurgim tranſit. 74. cæſarum clade Varianâ legionum reliquias, uno tumulo condidit. 62. in Bructeris Druſi patris aram reſtituit. ibid. ejus de Tendorige Sicambrorum Principe triumphus. 7. Viſurgim non ſine periculo cædis accedit. 125

Gerviliebus Epiſcopus Moguntinus patris ſui Geroldi itidem Epiſc. Moguntini interfectorem, in medio Viſurgis alveo interficit. 78

Godefridi Henſchenii S.J. viri doctiſſ. de Dieſthemio & Diſpargo opinio. 157

Godefridus ultimus Comes Arnsbergenſis unà cum conjuge ſua Comitatum ſuum vendit Eccleſiæ Colonienſi. 227

Godefridus Wendelinus Eccleſiæ Tornacen. Canon. & Officialis ſcripſit comment. ad Leg. Salicam. 157

Gothi & barbari in parcendis Catholicorum templis, & ſacrorum ſpoliis moderatiores, quam noſtra ætate Hæreticorum milites. 119. & 120

Græci Romanique tropæa figere ſoliti. 209

Gregorius II. PP. in epiſtola ſua Bructeros Borthoros appellavit. 59

Guilielmus Furſtenburgius ex Waterlapp Ordinis Teutonici in Livonia magnus Magiſter & Princeps inclytus. ætate jam gravis ſucceſſorem delegit Gothardum de Ketteler. 284. Vellinum arcem munitam ſedem ſibi conſtituit. in ea obſidetur à Moſchis. in quorum poteſtatem venit, prodita à proprio milite arce. Principis dura captivitas, pietas, conſtantia in fide Romano-Catholica. 285. Wolfgangus Princeps totius Ordinis Teutonici magnus Magiſter, Legatione ad Moſchorum ducem miſſa Guilielmum redimere magna auri copia fruſtra conatur. Legatorum nomina &c. 285. 286

Guntherus Comes Swalenbergenſis & Theodorus Baro Itteranus de Epiſcopatu Paderbornenſi contendunt. 281

H.

HAmeko abbas S. Pauli Paderbornæ. 189

Harmesborg arx ab Harmanno nomen accepit. 200

Haſſi inhiant opimiori Paderbornenſis Diœceſeos agro. 257

Haſſicus miles Uffeno duce pulvere nitrato ſubvertit templum S. Petri in Monte Martis anno 1646. 118

Hathumarus & Badur adus Epiſcopi Paderbornenſes authoritatem ſuam interponunt ædificationi Corbeiæ. 127. 128

S. Heinricus Imp. confirmat ſuo diplomate donationem Comitatûs, B. Meinwerco à Dodicone factam. 161

Heinrici Imp. diploma datum Eccleſiæ Oſnabrugenſi. 237. ejuſdem diploma Paderbornenſi Eccleſiæ datum. 236

Henricus Auceps Rex German. Werlæ declinat furorem Hungarorum. 223. Inducias paciſcitur. Tributum exactores cædit. [illegible]

Henrici Regis diploma Hervordiæ datum. 224
Henricus Rex anno MCCXXVIII. *adjudicat Abbati Corbeienſi poſſeſſionem Montis Martis contra Archiepiſcopum Colonienſem.* 107
Henricus Virneburgius Archiep. Colonienſis. 281
Henrico Aucupe regnante, multæ urbes conditæ ſeu munitæ. 55
Henricus Paderbornenſis Epiſcopus à Friderico Colonienſi Archiep. Mareſcallus Weſtphaliæ conſtitutus. 227
Henricus de Werle Epiſc. Paderbornenſ. 141
Henricus de Gerdenen fundator Monaſterii Gerdenſis. 189
Heriſtallum Saxonicum frequens Caroli M. ſtatio. 215. *à caſtris Caroli M. hic poſitis nomen accepit.* 214. *ab Heriſtallo Francico appellatum.* 171. *cum quo gloria famaque certat.* 216. *Heriſtalli deſignata à Carolo M. Sedes Epiſcopalis. cauſa hujus facti.* 215. *diu fuit poſſeſſio Nobilium Falckenbergiorum.* 216. *à Theodoro Furſtenbergio Epiſc. & Principe Paderbornenſi redimitur* 17666. *aureis in uſum Eccleſiæ ſuæ.* 216
Heriſienſis Parthenonis fundatio, immunitas, prædia. 264
Hervordienſe Monaſterium Virginum, unà cum Unwani Epiſcopi Paderbornenſis conſilio ab Henrico Rege reſtituitur priſcis bonis. 224
Hervordia & Corbeia intra jurisdictionem Epiſcopi Paderborn. 224. & 225. *ab Hungaris devaſtatur Hervordia.* 224
Hermannus de Loen Wichboldi Archiepiſcopi Colonienſis affinis. 280
Hermannus Abbas Corbeienſis medietatem Montis Martis oppignorat Archiep. Colonienſi anno 1230. 118
Hermingsburg arx prope Schier ab Arminio conſtructa. 201
Hildigardis Reginæ mors. 43
Hildegarii Archiepiſcopi Colonienſis cædes, & ſepultura. 93. 94
Hiſtoria fundationis monaſterii Poledenſis. 221
Hiſtoriæ monumenta cæteris prævalent. 79
Honorarii tumuli illuſtribus viris conſtituti. 62
Horna oppidum Lippienſis Comitatus. 71
S. Hülffe ſacellum à Carol. M. in memoriam victoriæ de Saxonibus reportatæ ſtructum in monte Oſnegg. 43
Hunnorum in Germaniam irruptiones. 223
Hunoldus à Plettenberg Miles. 280
Huxaria ab anno Chriſti DCCCXXII. *Corbeiæ ſubjecta dono Impp.* 132
Huxaria una ſedium Archidiaconalium Diœceſis Paderbornenſis. 132. 134
Huxeri ſive Huxaria olim villa regia. 130

I.

IDiſtaviſo campus ad Viſurgim, & prælii locus Germanico delectus. 74
Immunitates & jurisdictio omnium Epiſcoporum per Franciam & Saxoniam, uti à Carolo M. Oſnabrugenſi data, agnoſcitur ab Henrico Rege. 235
Impp. Romani in tutelam corporis ſui Germanos ſoliti adhibere. 29
Imperii Romano-Germanici inſigne, aquilæ duæ concorporatæ, non una tantùm biceps. 32
Inſcriptiones Theodorianæ. Arcis Neuhuſanæ. 300. *Arcis Wevelsburgi.* ibid. & 230. *Heriſiæ exornatæ.* ibid. *Academiæ Theodorianæ.* 301. *Ferdinandeæ, Arcis & jurisdictionis Buranæ.* 302. *Templi Parochialis in Tudorp.* ibid. *Ædis S. Michaëlis Archangeli.* ib. *Templi Parochialis in Corbeke.* 303. *Sacelli SS. Philippi & Jacobi in monte Furſtenberg.* ibid. *Templi Parochialis in Obernkirchen.* 304. *Monaſterii Braculenſis PP. Capucinorum.* 305. *Templi Monaſterii in Graffſchafft ord. S. Benedicti exornati.* ib. *Templi in Cleinenberg reparati.* 306. *Templi Buſtorffiani arâ maximâ & porticu exornati.* ibid. *Templi Parochialis Neuhuſii.* 307. *Sacelli S. Philippi Nerii.* 308. *Ædis S. Agathæ V. & M. in Siddeſſen.* ibid. *Cœnobii & Templi PP. Prædicatorum Warburgi reſtituti & ornati.* 310. *Templi S. Crucis exſtructi in Altenbeca.* ibid. *Sacelli S. Annæ in Amerungen.* 311. *Templi Parochialis in Lichtenaw.* ibid. *Templi cum Monaſterio PP. Franciſc. ſtrictioris obſervantiæ, à fundamentis exſtructi Paderb.* ibid. *Nummus antiquus cum inſcriptione Franciæ apud Spanhemium.* 85
Joannes Adolphus Furſtenbergius Camerarius & Canonicus Paderbornenſis, Hildeſienſis, & Monaſterienſis, Præpoſitus S. Crucis in Hildesheim, Satrapa in Bilſtein &c. 297
Joannes a Plettenberg Mareſcallus Weſtph. 280
Joannes Schneberg ex Bokendorp Paderb. diœceſ.

Re-

Regem Sueciæ perimit. ejus facti indicia. 217
Joannis Sporckii Comitis patria Delbruggia, ejus laus. 58
Joannis Werthii laus. ibid.
Jodute idolum Saxonum. 136
Irminſula à Carolo M. deſtructa. 112
Irminſulæ deſcriptio. 111
Julinum & Wineta urbes olim amplæ, vix nunc veſtigia ſua monſtrant. 55
Jul. Cæſaris in Cheruſcos, Suevos, & Sicambros expeditio. 5. *Jul. Cæſ. bis cum exercitu Rhenum tranſiit.* 7
Juriſdictio abſoluta confirmatur Epiſcopo Paderbornenſi ab Ottone Imp. & Henrico Rege. 235. 236. 238. *Juriſdictio Epiſcopi Paderbornenſis ſacra, in ſubjectas Corbeienſi Abbatiæ Parochias, pluribus argumentis vindicata.* 128. *Juriſdictio politica à Carolo M. data Epiſcopis, ex diplomatis Oſnabrugenſis Eccleſiæ aſſeritur.* 325. & 327

K.

KNockenbecke & Rodenbecke rivi unde dicti. 24

L.

LAmboytus obſeſſam ab Haſſis Paderbornam feliciter liberat. 258
Lancaſtriæ Ducis in Boruſſiam cum multo auro præmiſſus miles, prope fontes Luppiæ, à Joanne de Padberg, Hunoldo à Plettenberg. & Comite de Retberg diſpoliatur cæditurque. 135
Lano fl. non conveniunt, quæ de Luppia in hiſtoricis memorantur. 14
Lapis altaris à Leone III. PP. conſecratus, Dethmoldiâ ſive Thietmallo Paderbornam à B. Meinwerco deportatus. 47
Legio I. auxiliatrix è Sicambris conſlata. 6. *Legio Romana quot millibus militum conſtiterit.* 33
Leo III. PP. confirmat ſedem Epiſcopalem Paderbornæ, prædicit deinceps ab infeſtatione gentilium Eccleſiam immunem fore. 178. *Leo III. PP. Paderbornæ in Eccleſia ibidem recens conſtructa conſecrat altare.* 178. *Eccleſias in Saxonia dedicat, variaque loca peragrat.* 117. *quando Eresburgi fuerit.* 116. *& conſecrarit Baſilicam Eresburgi à Carolo M. conſtructam.* 113
Leopoldus I. Auſtriacus Imperator Fürſtenbergiam familiam, antiquitate, nobilitate, opibus, meritiſque inclytam evehit ad dignitatem gradumque liberorum S. R. Imp. Baronum. 273
Lex Salica vetat ſpoliari Eccleſias, & Sanctorum reliquias profanari. 120
Libera Epiſcopi Paderbornenſis per Clerum electio confirmatur ab Ottone Imp. 235
Limes inter Sicambros & Cattos. 6
Lipſpring arx nomen accepit à Luppia. 16
Lipſpringa oppidum diu conditum poſt arcem. ib.
Loco, quo olim Aliſo ſtetit, nova arx, & domicilium Epiſcoporum Paderbornenſium conſtructum. 11
Lucanus correctus. 89
Ludæ varia appellatio. 198. *Luda in litteris Immadi Epiſcopi Paderbornenſis nuncupatur Liuithi.* ibid. *Ludam ſive Lugdam à Carolo M. ad ſimilitudinem Lugduni dictam fingit Pideritius.* ibid. *Ludæ primi domini fuere Comites de Hallermundt, deinde Domini de Homburg.* 199
Ludovicus & Lotharius Augg. donant Montem Martis Abbatiæ Corbeienſi. 113
Ludovicus Pius Imp. donat Corbeienſi Monaſterio Huxeri, Eresburg & Meppium Abbatiolas, aliaque prædia. 104. *Ludovici Pii Imp. encomium.* 152
Ludovicus Imp. donat Corbeiæ jus mercatûs publici, & monetæ. 131
Ludovicus Imp. diplomate ſuo eximit Corbeiam Saxonicam ab omni poteſtate judiciaria, aliiſque oneribus. 130
Ludovicus Rex concedit Abbati Corbeienſi jus publici mercatus in Monte Eresburgi ſive Stadberg. 114
Luppiæ varium etymon 14. *quæ loca alluat.* ibid. *celebris apud Hiſtoricos* 15. 19. *clade Variana inclaruit.* 29. *Oritur in diœceſi Paderbornenſi ſub Lipſpringa caſtro.* 15. *prope Weſaliam Rheno miſcetur.* ibid. *ejus aquis Saxones baptizati.* 18

M.

MAgna flumina à modicis fontibus originem ducunt. 54
S. Magni Martyris templum in Herhuſen. 141
Mallus, ſive mallum idem quod judicium, ſive placitum. 45

Malovendus Dux Marſorum. 37
Marathonis campi Perſarum cæde nobiles. 209
Marcalo locus ad Viſurgim ubi Saxones olim conveniebant. 143
Marci Reguli fides laudata. 66
Marſi eorum ſedes, virtus bellica. 37
Mattiaci fontes, nunc Wysbadenſes dicti. 246
Mauritius Falckenbergius frater Theodorici, in prælio ad Lutzam primus Regem Sueciæ ex equo dejicit. 217
Mauſoleum Theodori Epiſcopi & Principis Paderbornenſis in æde Cathedrali. 312
S. *Meinulphus Archidiaconus Eccleſiæ Paderbornenſis fundator Monaſterii Bodecenſis.* 220
Meinwercus Epiſcopus Paderbornenſis dedicat Herivordiæ baſilicam S. Mariæ quæ vocatur ad crucem, in ſua diœceſi ſitam. 225
Mendena Furſtenbergæ arci vicinum oppidum bello Weſtphalico capitur ac vaſtatur, quin & ipſa Furſtenberga Marcano Comitatui infeſta ſolo æquatur. 283
Merovingi Francorum Reges è Sicambris orti. 7
Miltiadis tropæa in campo Marathonis. 209
Mindam Carolus M. venit Heriſtallo. 215
Miniſteriales Vaſalli Epiſcopi Paderb. 164
Monaſterii Flechtorp origo in Comitatu Waldecenſi. 141. *Conditor idem Comes de Patberg qui Bocenſis Cœnobii.* ibid.
Monaſterium Bodecenſe Canonicarum Virginum tranſlatum ab Epiſcopo Paderbornenſi ad Canonicos Regulares. 223
Monaſterium in Groninga & Kemnade Corbeienſibus perpetuò adnectitur. 116
Mons Eresburg cum tota Saxonia Deo oblatus. 115. 117. *Fratribus ibi adunatis à Carolo M. donatur ab omni humana poteſtate liber.* 116. *attributis eidem decimis circumquaque ad duas Raſtas Saxonicas.* ibid.
Mons Hunnorum. 41
Mons Lulli. ibid.
Mons Martis ſeu Ereſburgum ceſſit Archiepiſcopo Colonienſi, ex contractu duorum Abbatum Corbeienſium. 118
Monumentum à monendo dictum. 167. *Monumenta ingenii ſola æterna.* ibid. *Monumenta ſepulchrorum ſecundùm viam locari ſolita.* ibid. *Monumentis literarum loca celebria ſolum æternari.* ibid.
Monumentum Acidulæ Driburgenſis. ib. *Acidulæ Smechtanæ.* 261. *Aliſonis.* 1. *fontium Amiſii.* 51. *Bocæ ad Luppiam.* 139. *Brunsbergæ prope Huxariam.* 123. *Cladis Varianæ.* 21. *Delbruggiæ.* 57. *Deſenbergæ.* 155. *Driburgi.* 187. *Eresburgi vel Montis Martis.* 102. *Heriſtalli Saxonici.* 213. *Ludæ ad Ambram.* 197. *Luppiæ fontium.* 13. *Oldenburgæ in monte Furſtenberg, primæ Baronum de Furſtenberg in Weſtphalia ad Ruram ſedis.* 271. *Paderæ fontium.* 16[illegible]. *Paduli fontis prope Neuhuſium.* 251. *Rhemæ ad confluentes Warnæ & Viſurgis.* 81. *Reſoni fontis.* 241. *Sendæ deſerti.* 233. *Teutoburgienſis Saltus.* 39. *Viſurgis.* 69. *Wevelsburgi.* 219
Monumentum in lapide marmoreo Snellenbergæ conſpicuum. 301
Monumentum Widechindeum, ut nunc eſt, graphice repræſentatum. 147. 148
Mors infelix Friderici Comitis Arnsbergenſis vexatoris Epiſcoporum & religioſorum. 226

N.

Neccaro non conveniunt, quæ de Luppia memorantur in hiſtoricis. 14
Nehemium oppidum evertitur. 279
Nero Druſus hyberna ad Luppiam habuit. 16
Neuhuſanæ arcis inſcriptio. 254
Neuhuſium domicilium Epiſcoporum & Principum Paderbornenſium. 252. *illo ipſo loco ſitum ubi olim Aliſonem caſtellum Druſus contra Sicambros exſtruxit.* ibid. *à Vrangelio expugnatur, unà cum urbe Paderbornâ Haſſis traditur, horum de ſubtrahendo Neuhuſio conſilia improbat & intervertit Vrangelius.* 256. *pignoris loco retinetur ab Haſſis.* 257
Nicotiana herba maritimis populis medicinalis. 247
Nili fontes occulti, cur Nilus è tenebris fluere dictus. 18
Nimia quæ ſit ad Viſurgim, quo loco conventus Saxonum habitus. 94
Nobilium de Ketteler ſedes Sithen. 100
Northudi trans Albim populi. 215

O.

Oldenburga Furſtenbergiorum Baronum prima ſedes unde dicta. 272. *ejus ſitus, antiquitas, munitiones.* ibid.
Optimus Dei cultus, optimus animus. 121

Ordi-

Ordinatio Commiſſariorum Apoſtolicorum de obedientiis, & præbendis Vacantibus in Eccleſia Paderbornenſi. 135. 136
Oſnegge montis ſitus. 43. 48
Othilia Furſtenbergia Abbatiſſa Heriſienſis & Olinghuſana. 294
Ottonis Imp. diploma datum Eccleſiæ Paderbornenſi, in quo deſertum Sendæ Sinede nuncupatur. 235
Otto III. Imp. Wildeshuſii majorum ſuorum monumenta inſpicit. 149
Otto Epiſcopus Neuhuſium reſtaurat. 254. *& poſt eum alii deinceps Epiſcopi aliis atque aliis ædificiis ornant. Theod. denique Furſtenbergius ingenti ſumptu magnifice exædificat.* 254
Otto Epiſcopus Monaſterienſis. Itemque Otto Epiſcopus Paderbornenſis. 228
Otto Ritbergius Epiſcopus Monaſterienſis. 280
Otto Cardinalis legatus Sedis Apoſtol. 132

P.

P*Adera, aliàs Patra, Pather, Pater, dictus, & vulgò Pader.* 169. *Padera in ipſa Paderbornenſi urbe pluribus fontibus ſcaturit.* 169. *ejus deſcriptio.* 170. *nomen ſecundùm nonnullos derivatur à Pado Italiæ flumine.* ib.
Paderbornæ nomen vetuſtum. 171. 172. *à fonte Paderæ ductum.* 136. 171. *diverſa olim ejus appellatio.* 169. *encomium.* 185. *Regalis Sedes dicta.* 179. *plurium Imperator. & Regum, Ottonum, Henricorum, Conradi, Friderici, Caroli IV. grata frequenſque ſtatio.* 181. 182. 183. *à Ludovico Pio frequentata, ibidem comitia placitaque ab eodem habita, legati auditi, &c.* 179. *in Synodo Paderbornæ à Carolo M. coacti baptizantur Saxones.* 174. *Paderborna eripitur Haſſis, qui cum ſubſidio Suedico fruſtra illam rurſus intercipere conantur.* 257. *Paderbornæ magnum decus à Padera in ipſa ſurgentis fontibus.* 170
Paderbornenſes cives ſtrenuè contra Colonienſem militem agunt. 65. *Ottoni Epiſcopo bellum inferunt, Neuhuſium ſuccendunt, munitiones ſubruunt.* 253
Padi ſimilitudo aliqua cum Padera. 170. 171
Pagi quando in Ducatus & Comitatus tranſierint. 143
Pagi Varii ſive regiunculæ diœceſis Paderb. ibid.
Pagorum ſitus per nomina Comitatuum deſignabatur olim, exempla ejus rei varia. 143. 144
Pagus Huthagoë ad Ambram. 100
Pagus erat olim major vel minor tractus, vel pars regionis. 143
Pather in voce Patherborna, unde tractum. 172
Pax Burgenſis. 166
Perniciies alienata Eccleſiæ Paderbornenſi à cooptatione potentioris Principis, 206
C. Philippus à Kettler Decanus, J. Wilhelmus & J. Henricus Barones de Sintzig, Canonici Paderbornenſes præſervant Lipſpringam arcem & oppidum ab excidio Suecico. 16
Pipini expeditio in Saxones. 93
Pontes Aggereſque quibus militares viæ olim ſtratæ. 23. 60. & 62
Populi inter Viſurgim & Rhenum olim celebres. 144
Præbendæ Canonicales majores in Cathedrali Eccleſia Paderbor. XXIV. *& ſex minores.* 135
Præpoſitura Montis Martis exempta declaratur ab Epiſcopo Paderbornenſi. 108
Principatus, & bonorum Principum encomia. 149. 150
Privilegium Leonis III. PP. datum Eresburg. in dedicatione Baſilicæ à ſe conſecratæ. 115
Pruſſi arcebant olim à lucis & fontibus ſuis Chriſtianos. 18
Ptolemæus primus Saxonum meminit. 89
Pugna rixæque graves ortæ Paderbornæ in coronatione Reginæ Cunigundis. 183
Purgatorium Weſtphalorum. 41
Pyrmontani fontes celebrantur ac frequentantantur à Principibus viris. 202. *horum encomium ac virtutes.* 203

Q.

Q*Uinam Germanici nomen, à Germanis debellatis reportaverint.* 61
Quinctilianus, Aſconius, Silius Ital. aliique auctores Germanis vitam debent. 79

R.

R*Ema ad Viſurgim à Rhemis Galliæ dicta.* 171
Remæ à Carolo M. templum conditum. 101
Rum, Ruma, alterque olim dicta. 93
Res Eccleſiæ patrimonia pauperum. 153
Retharius Epiſcopus Paderbornenſis. 236. 237
Rhenus Imperii Romani limes. 2. 34
Roma à parvis initiis in immenſam accrevit potentiam.

tentiam. 54

Romæ Schola Saxonum inſtituta. 118

Romani in Germania multas urbes & oppida condiderunt, in quibus hiberna, forum & congreſſus cum barbaris habuerunt, etſi horum nulla ampliùs mentio apud hiſtoricos. 8

Romani ſoliti ſunt victas gentes in alias oras deportare. 210

Romanorum præſidia Claudius Cæſar cis Rhenum referri juſſit. 11. 74

S.

Sachs cultelli Saxonum. 125

Sacellum in vertice montis Furſtenberg à FERDINANDO *Epiſcopo ac Principe Paderbornenſi &c reſtitutum.* 272

Sacellum divini auxilii S. Hülffe non ſolùm prope Diepholdiam, ſed etiam prope Dethmoldiam à Carolo M. ſtructum. 44

Saltus Teutoburgienſis. 24

Saltz ad Salam, locus confecti belli Saxonici. 47

Sanctorum reliquiæ in caſtris aſſervari, & cum exercitu circumduci ſolitæ. 98

Saſſen idem quod cæſariem radere. 126

Saxonia tota in Weſtphalos, Angarios & Oſtphalos olim diviſa. 144. *item in pagos complures.* 142

Saxonum nomen unde ductum. 92. *Saxonum origo à variis varia aſſignata, ut plurimùm perperam.* 88

Saxones primi in Cimbrica Cherſoneſo, ubi nunc Holſatia eſt, ſedem habuere. 89. *antiquorum Saxonum ſedes cis & ultra Viſurgim* 91. *Saxones indigenæ ſunt Germani.* 89. 90. *à Saſſis dicti.* 126. *Saxones Francis tributarii.* 100. *In campo Sintfeld ſe dedunt Carolo M.* 208. *Ad Thietmallum & Haſani à Carolo M. victi.* 42. & 43. *Juxta Brunisbergam Carolum prohibere conati tranſitu Viſurgis.* 125. *Veterum Saxonum carmina barbara.* 78. *piraticam olim exercuere.* 89. *eorum in acie habitus, arma.* 125. *Saxones qui longitudinem ſpathæ excedebant occiſi à Francis.* 76. *tributi loco* 500. *vaccas Francis dare annuatim juſſi.* 100. *infeſti olim Haſſis, conantur Fridiſlariæ incendere templum Chriſtianorum.* 157. *Saxonum ſuperſtitio in cultu fontium* 18

Sæculum hoc Magnis Urbibus fatale. 255

Scharſahs & Sas novaculam olim Saxonibus ſignificabant. 126

Scelerata caſtra unde dicta. 73

Schidroburgi fundata primùm à Carolo M. ſedes Epiſcopalis, poſt varias tranſlationes tandem ab Ottone M. Magdeburgi confirmatur. 202

Schidroburgum caſtrum Saxonum, ad Ambram fluvium. 201

Schira prædium Blombergenſis Monaſterii in profanos uſus converſum. 202

Scramaſaxi gladioli Saxonum. 126

Scyre Saxonibus olim quod pagus, vel diſtrictus alicujus regiunculæ. 143

Sendæ deſerti varia in antiquis diplomatibus appellatio. 235. *ejus amplitudo.* 234

Sepulchrum primorum Epiſcopor. Paderb. reſtauratum in Crypta ædis Cathedralis. 307

Sicambrorum prima ſedes. 5. *Sicambri in diœceſi Paderbornenſi habitarunt, cùm Druſus Aliſonem caſtellum muniret.* 6. *finitimi Cheruſcis olim, ubi nunc Dethmoldia.* 41. *eorundem ad Ruram ſedes.* 5. *in Galliam tranſlati.* 6. *eorum pars aliqua num in antiquis ſedibus relicta?* ibid. *J. Cæſaris caſtra in Eburonum finibus oppugnant.* 5. *infeſtiſſimi Romani nominis hoſtes.* 4. *à Claudiano & Apollinari Franci vocati ſunt Sicambri.* 85. *Sicambrorum virtus militaris.* 4 *Sicambrorum legio.* 5. *Sicambra cohors.* ibid.

Siffridus Epiſcopus Paderb. fert ſuppetias Widekindo Abbati Corbeienſi contra Nobiles de Amelungſen & Comitem de Waldeck impedientes inſtaurationem Arcis Brunisbergæ. 124

Sigeburch caſtrum Ruræ imminens. 191

Signa vellere quid? 8

Sintfeld campus celebris apud Hiſtoricos. 206. *fuit olim cultior & fertilior.* ibid.

Simon Epiſcopus Paderbornen. concedit civibus novi oppidi Warburgenſis facultatem illud muniendi. 163

Slangius ductor Suecorum ab Hatzfeldio Cæſareano duce exuitur ad fontes Luppiæ. 234

Sophia Abbatiſſa Gandersheimenſis benedicitur Paderbornæ. 183

Spathæ aut bipennes Francis olim in uſu. 126

Statutum Synodale Caroli M. de Epiſcoporum expeditionibus in hoſtem. 96. 97

Stemma Baronum Furſtenbergiorum in Waterlapp,

lapp, Snellenberg, Furſtenberg &c. 287
Stricta Lippa. 171
Stukenbroick pagus diœceſis Paderb. 49
Suevi confines Cheruſcorum & Cattorum populi. 73
Suffridi Petri de nomine Saxonum opinio rejecta. 91

T.

Tacitus Imp. Corn. Taciti hiſtoriarum libros per ſingulos annos decies exſcribi juſſit, & in bibliothecis reponi. 79
Tanfanæ templum. 37
Teuderium Ptolemæi num ſit Paderborna. 136
Teuteberg Romanâ clade inclytus. 28
Teutenmeyer. 40
Teutoburgium vetus, Dethmoldia poſtmodùm dictum, ejus etymon. 40
Teutoburgienſis ſaltus per quas ditiones ſe porrigat. 41. 242. ubi propriè quærendus? 40. Teutoburgienſem propè ſaltum trium cæſarum legionum oſſa inſepulta. 42
Teutonici Montes in extremis Bructerorum. 41
Theodoricus Hunonis & Conradi Comitum Oldenburgicorum frater, conditor familiæ Furſtenbergicæ. 276. ſedem ſibi legit ad Ruram. ibid. Oldenburgam arcem exſtruit. ibid. Hujus poſteri abolent ſenſim titulos Comitis Oldenburgici atque Alveſlebiani, & à vetuſto Montis habitati vocabulo, Dominorum de Furſtenberg cognomen aſſumunt. 277
Theodoricus Archiepiſc. Colonienſis clam impetrat à Martino V. PP. literas unionis, quibus Epiſcopatum Paderb. conjungere voluit Colonienſi. ſed has reſcindit Eugenius IV. PP. 206
Theodorus Furſtenbergius Epiſcopus & Princeps Paderbornenſis. ejus encomium. 294. recuperat arcem Wevelsburg 36000. Imperialibus nummis. 230
Theodorus Adolphus de Reck Epiſcopus & Princeps Paderbornenſis Wevelsburgum ex parte reparat. Sacellum ibidem reſtituit. 231
Theodorus Caſparus Furſtenbergius Canonicus Senior Moguntinus, Spirenſis & ad S. Albanum Moguntiæ. 297
Theodorus Falckenbergius Guſtavi Adolphi Sueciæ Regis aulæ Mareſcallus. 217
Thietmalle, quid ſonet linguâ Theudiſcâ. 47
Thietmalle diverſimodè olim ſcriptum. 44
Thietmallum unde dictum. 40. à loco placiti ſeu judicii. 46
Thietmarus Bernardi Saxoniæ Ducis frater ob Herivordiam diſpoliatam vexatamque, mulctatur à B. Meinwerco Epiſcopo. 225
Tiberii, Druſi fratris expeditio contra Caniſates, Attuarios, Bructeros. 73
Triumphus Romæ de Sicambris actus. 6
Tropæa Caroli M. in campo Sintfeld. 205
Tumultuarii ſive Reſoni fontis deſcriptio. 242. 243. &c. miraculum illius fontis nunc ceſſat. 244
Tungrenſes Plinii fontes fortè moderni ſint Spadani. 246

V.

Vaccæ inferendales unde dictæ. 100
Vallis Oſſenthal. 49
Vandali & Burgundiones à Probo victi, & in Britanniam deportati. 211. Franci etiam à Conſtantino in Gallias.
Varus cum legionib. non procul Aliſone cæſus. 4. circumventus à Germanis & cæſus. 23. Q. Varus cum 3. legionib. cæſus. 9. Dies Varianæ cladis cur incerta. 35. Diverſis locis Varus cæſus, pugnâ in triduum productâ Duce Arminio. 35. Magnitudo cladis Varianæ expenſa. 32. Varus ſibi ipſi manus infert. 24. ejus cadaver effoſſum & ſemiuſtum laceratur. 25. mores ejus Germanis inviſi. 26. natales & mores: avaritia & ſuperbia. 25. ſecuritas & fiducia nimia reprehenſa. 26
Varisberg, Vari mons, Varenholtum, Variburgum, Varendorpium à Varo nomen putantur duxiſſe. 27
Vaſta loca quæ dicantur. 41
Velegonis mons. 94
Vechtelar an arx Carolo M. ad Luppiam conſtructa. 140
Viburg locus necis Hildegarii Archiepiſcopi Colon. idem Driburg & Viberg. & caſtrum Witberg. 94
Viatorem compellandi formula. 41
Vici & Caſtri Engern excidium. 146
Vici Engern ſitus, antiquitas, varia Dominorum mutatio. ibid.
Vicus & Schola Saxonum Romæ, Carolo M. & Leone Pontif. 118

Victo-

Victorum eſt parcere victis. 210
Villæ Saxonicæ quænam in maximas excreverint urbes. 55
Viſurgis fluvii varia appellatio. 70. *clade variana quare nobilis?* 124. *Francorum armis inclaruit.* 74. *augetur fluvius, Dimolâ, Beverâ, Nethâ, Grovâ, Scelpâ, Saumerâ, Emmerâ, Luterâ, Alphâ, Wehrnâ, Beghâ.* 70.71. *Viſurgim quoque acceſſerunt Impp. Maximus, Probus Diocletianus &c.*
Velradus Præpoſitus Eccleſiæ Paderborn. 133
Upſprung vicus diœceſis Paderbornenſis. 16
Urbes Epiſcopales in Saxonia quæ. 55. *Urbes Epiſcopales opibus auctæ, Dominis ſuis mox graves, iiſdem migrandi aliò neceſſitatem impoſuerunt.* 252. *Urbes amplas quid in ruinam præcipitet.* 55. *Urbium magnarum fata & excidia.* ibid. *Urbium olim celebrium occaſus.* ibid. *Ut flumina ſic urbes, cùm maximè excreverint, occidunt.* 54

W.

WAldburgis prima Heriſienſis Parthenonis Antiſtes. 264
Walramus Juliacus Archiepiſ. Colon. ſucceſſor Henrici, alienatur à Ludovico Cæſare. 282. *inimicitias ſuſcipit cum Godefredo Arnsbergenſi & Adolpho Marcano Comitibus, quibus tamen conciliatur, Wilhelmi Juliacenſis & Adolphi Montenſis Comitum operâ.* 282
Warburgum ad Dimolam. 158. *& ſeqq. ſitum Olim in Comitatu Doſſeconis.* 159
Warna fluvius Viſurgi miſcetur ad pagum Remen in Comitatu Ravenſburgico. 87
Wartbergum, quaſi montis ſpecula dictum. 159
Wenemarus de Furſtenberg certis conditionibus cum Henrico Spiegelio Epiſcopo Paderbornenſi tranſigit, datis ſecuritatis literis. 222. *Wenemarus Furſtenbergius à Friderico Colonienſi Archiepiſcopo conſtitutus ſummus militiæ præfectus, & Arnsbergenſis provinciæ Supremus Satrapa.* 227
Wermodus Archiep. Trevirenſis. 17
Werthinenſis Abbatiæ libertas à telonio in Rheno fluvio. 45
Wevelsburgum arx in diœceſi Paderbornenſi. cognominis item locus in Helvetiis. 220. *Hunnonorum primâ irruptione conſtructum, vetuſtate deinde collapſum, inſtauratur à Friderico Comite Arnsbergio, qui ibidem S. Norbertum detinebat.* 226. *poſt Comites Arnesbergenſes, Dominos accipit Waldecenſes, à quibus ad Eccleſiam Paderbornenſem tranſiit.* 229. *oppignoratur Friderico de Brencken Militi.* ibid. *rurſum oppignoratur Dominis de Buren.* ibid. *à Suecis expugnatur, vaſtatur & exuritur.* 231
Wibolaus Abbas Corbeienſis. 105
Widechindus rebellis. 12. *Widechindus M. quo anno obierit.* 146. *Widechindi cineres Hervordiæ nunc ſervantur, monſtranturque.* 149. *Widechindi reliquiæ non fuère unquam Paderbornam tranſlatæ.* ibid.
Widekindus Abbas Corbeienſis. 124
Widekindi Corb. opinio de Saxonum origine rejecta. 88
Wilhelmus Furſtenbergius Corepiſcopus Trevirenſis, Præpoſitus Monaſterienſis, Canonicus Salisburgenſis, Paderbornenſis & Leodienſis &c. Camerarius intimus Clem. X. 297
Wintfelt & Sintfelt malè confundunt nonnulli cum deſerto Sendæ. 234. *Wintfeld campus propè Hornam Weſtphaliæ oppidulum victoriæ cognomine inſignis* 28. *Wintfeld, idem ſonat quod campus Victoriæ.* 209
Winnenberg à Victoria Caroli M. in campo Sintfeld reportata nomen accepit. 208

Y.

YBurg tertia ſedes Archidiaconalis Epiſcopatus Paderbornenſis. 134

Z.

ZUentebolдus Rex privilegium dat Abbatiæ Werthinenſi ad Ruram. 45

ERRATA TYPOGRAPHICA.

In præfat. Auctoris in margine, pro Avernerus, *lege* Wernerus. *pag.* 13. *lin.* 2. *pro* hoſpes. & alte. *leg.* hoſpes. Sæculum. *pag.* 32. *lin.* 29. *pro* extitiabilem, *leg.* exitiabilis. *pag.* 49. *in penult. pro* Teutoburg infra ſaltem, *leg.* Teutoburgienſem ſaltum. *pag.* 55. *lin.* 21. *pro* Bardov. *leg.* Bardev. *pag.* 74. *lin.* 15. *pro* initium, *leg.* iatum. *pag.* 115. *lin.* 24. *pro* conſecuto. *leg* conſecuto. *ibid. lin.* 27. *pro* coronavit. *leg* coronarit. *pag.* 230. *pro* Joannes Horrion, *leg.* Fridericus Rough S. J. *pag.* 234. *lin.* 3. *dele numerum ante vocem* Delettes. *pag.* 265. *lin. ult. pro* Juſtinianus, *lege* Iuſtinianus. *pag.* 296. *lin.* 15. *pro* Libro, *lege* Liber. *In indice lit. A. lin.* 3. *pro* Diœceſi Paderneenſi, *leg.* Paderbornenſi.

ADDENDA
MONUMENTIS,

Pag. 16. §. 5. in fine.

Cæterùm Theodorum Furstenbergium, Epiſcopum & Principem Paderbornenſem, Canonicis Paderbornenſibus prope hoc oppidum, jus exercendæ Jurisdictionis Criminalis, ſeu locum ſupplicii eatenus deſideratum, conceſſiſſe, patet ex his literis poſteritatis memoriâ digniſſimis.

Wir Thumbprobſt / Thumbdechen vnd Capittel der Thumbkirchen zu Paderborn / thuen kund vnd bekennen öffentlich / daß der hochwürdiger Fürſt vnd Herr / Herr Dieterich erwehlter vnd beſtättigter Biſchoff des Stiffts Paderborn / vnſer gnädiger Fürſt vnd Herr / vns auff vnſer vnderthäniges ſuchen / vermüge mit S. F. G. auffgerichteten Capitulation, zu vnſerm Schloß vnd Hauß Lipſpringe / zu hinrichtung der veruhrtheilten Mißthäter eine gerichtsſtätt oder locum ſupplicii gnädiglich concedirt vnd bewilliget / laut J. F. G. hierüber mitgetheilten conceſſion, lautendt wie folgt.

Von Gottes Gnaden wir Dieterich / erwehlter vnd beſtättigter Biſchoff des Stiffts Paderborn / thuen kund vnd bekennen hiemit vor vns vnd vnſere nachkommen an vnſerm Stifft Paderborn / daß wir zu folg vnſer Capitulation, den Würdigen vnd Ehrenveſten vnſern lieben andächtigen / Thumbprobſten / Thumbdechen vnd Capittel vnſer Thumbkirchen zu Paderborn / auff jhr vnderthäniges Anſuchen in krafft vnſer / von der Römiſcher Käyſerlicher Majeſtät / vnſerm allergnädigſten Herrn tragenden regalien / jedoch vnſchädlich oder vnabbrüchig der Käyſerlicher Lehenſchafft concedirt / nachgeben / vnd begnadigt haben / thuen ſolches hiemit / wie daß beſter geſtalt ſein ſoll / daß gemelt vnſer Thumb-Capittel zu jhren Schloß vnd Hauß Lipſpringe allernegſt darbey locum ſupplicii oder

einen peinlichen executions Platz gebrauchen vnd haben mögen / an denſelbigen alle malefitz vnd peinliche thaten / welche ſich an gerürtem Hauſe / oder in der Stadt Lipſpringe / gleichfals in jhren Dörfferen / daſelbſten ſie biß anhero den Angriff gehabt / zutragen / mit gebührlicher ſtraff durch jhre weltliche Befelchhabere oder Beambten beleggen zu laſſen / vnd wollen vnſerm Thumb-Capittel vorgemelt / dieſer vnſer gnädiger conceſſion handthabung thun / vnd darjegen nichts handelen oder vornehmen laſſen. Hinwieder ſollen ſie auch dieſer conceſſion mit mißbrauchen / keines weges dieſelbe vberſchreiten / noch in einigen ſchein vns damit an andern enden vnd örteren vorgreiffen: Vortan / das peinliche Gericht dermaſſen verwahren vnd beſtellen / daß nach recht vnd außweiſung der peinlichen Gerichtsordnung allemahl procedirt vnd verfahren werde. Zu Vrkund dieſer allen / haben wir dieſe conceſſion, verliehung vnd begnadigung mit vnſerm Handtzeichen vnd angehengtem Secret-Ingeſiegel beveſtigt. Geben vnd geſchehen vff vnſerm Schloß Newhauß den ſechszehenden Decembris, in Jahren nach Chriſti vnſers lieben Herrn vnd Seligmachers Geburt / ein tauſend fünffhundert achtzig vnd ſechs.

Demnach gereden vnd bezeugen wir hiemit vor vns vnd vnſere nachkommen / daß ſolche vns beſchehene gnädige verwilligung auſſerhalb obinſerirten conceſſion nit gezogen noch gebraucht werden / wir auch an dem ort / da dieſe gerichtsſtätt hingelegt / weder an hochheit / oder peinlichheit keiner Gerechtigkeit hierdurch vns anmaſſen / ſondern vns deſſen allein gebrauchen ſollen vnd wollen / was dieſelbige conceſſion vns bewilligt vnd nachgibt. Zu Vrkund der Warheit haben wir vnſers Capittels Ingeſiegel hieran wiſſentlich hangen laſſen. Geben im Jahr vnd Tag wie in hochgemeltes vnſers Gnädigen Fürſten vnd Herrn conceſſion geſchrieben ſtehet.

L. S.

Quas in Latinum verſas hic ſubjungimus.

Nos

NOs Præpoſitus, Decanus & Capitulum Cathedrale Eccleſiæ Paderbornenſis, notum facimus & palam profitemur: Quòd Reverendiſſimus Princeps ac Dominus D. Theodorus, electus ac confirmatus Epiſcopus diœceſis Paderbornenſis, Princeps & Dominus noſter clementiſſimus, nobis ad ſupplicem petitionem noſtram, in vim initæ cum ſua Celſitudine Capitulationis, arci & domui noſtræ Lipſpringenſi pro executione condemnatorum delinquentium, locum ſupplicii clementiſſimè conceſſerit & conſenſerit, vigore ſuæ Celſitudinis deſuper datarum literarum conceſſionis, tenoris ſubſequentis.

Dei Gratia Nos Theodorus, electus & confirmatus Epiſcopus Paderbornenſis, notum facimus & hiſce profitemur pro nobis ac noſtris ſucceſſoribus in diœceſi noſtra Paderbornenſi, quòd in vim capitulationis noſtræ, Reverendis ac honorabilibus Dilectis nobis devotis Præpoſito, Decano & Capitulo Cathedralis Eccleſiæ noſtræ Paderbornenſis, ad ſupplices eorundem preces, virtute noſtrorum à Cæſarea Majeſtate Domino noſtro clementiſſimo gratioſiſſimè nobis conceſſorum regalium, attamen citra damnum & præjudicium Cæſareæ feudalitatis, conceſſerimus & gratiosè indulſerimus, ac hiſce indulgemus, prout meliori modo fieri poteſt; ut memoratum noſtrum Capitulum Cathedrale proximè ipſorum caſtrum Lipſpringam, ſupplicii ſive criminalis executionis locum habere, eoque uti, ubi quævis maleficia & criminales exceſſus in prædicta arce vel oppido Lipſpringa ſuiſque pagis, in quibus jus capturæ hactenus exercuit, committendos, condignis pœnis per ſæculares commiſſarios & miniſtros ſuos plectere poſſit: in qua modò dictâ gratioſâ conceſſione noſtrâ Capitulum noſtrum Cathedrale manutenebimus, nihilque adverſus eam agemus aut fieri patiemur. Econtrariò Capitulum prædictum hâc conceſſione noſtrâ non abutetur, neque hanc ullo modo excedet, aut alibi quocunque prætextu nobis præjudicabit. Præterea judicium criminale taliter conſtituet & ordinabit, ut juxta jus & ordinationem criminalem ſemper procedatur. In horum omnium fidem, conceſſionem & gratiam hanc noſtram, manus propriæ ſubſcriptione ſigillique noſtri appenſione communivimus. Datum actumque

in

in arce noſtra Neuhuſio, XVI. Decembris, Anno Chriſti Salvatoris noſtri MDLXXXVI.

Quapropter hiſce promittimus ac profitemur pro nobis & ſucceſſoribus noſtris, quòd hanc gratioſè nobis indultam conceſſionem, ultra ejus tenorem non extendemus, nec uſurpabimus, neque in eo loco pro executione ſupplicii deſtinato, ullum jus ſuperioritatis aut jurisdictionis criminalis per illam nobis arrogabimus; ſed illo duntaxat jure utemur, quod nobis hæc conceſſio indulget ac permittit. In argumentum veritatis Capituli noſtri ſigillum hiſce ſcienter appendi fecimus. Datum anno & die in ſupradictâ Clementiſſimi Principis ac Domini noſtri conceſſione expreſſis.

Pag. 55. lin. ultimâ, poſt verba: abſorbentur à mari.

Qui Urbium, idem Rerumpublicarum & Regnorum ex modicis initiis ortus progreſſuſque ad potentiam. In quo non aliud prius demirere, quàm ipſorum Regum ac Cæſarum fata, familiarum nimirum occaſus & viciſſitudines, dum ſceptra ab unâ regnatrice domo tam citò tranſlata ad aliam. Quàm brevis poſſeſſio in Auguſti, Conſtantini M., Theodoſii M., Caroli M., Ottonis M., aliiſque Cæſarum filiis ac nepotibus? In nullâ adhuc Auguſtorum familiâ conſtantior Imperii corona, quàm in Auſtriacâ ex XIV. Cæſarum ſucceſſione. Quàm id divino munere, tam ſalutari Reipubl. Chriſtianæ bono, agnoſcit Chriſtianus orbis. Quoquò id demum recidat, Taciti dictum ſolatio ſit, lib. 3. Ann. *Principes mortales eſſe, Rempublicam æternam.* Uti magna flumina intra ſuos alveos decurrunt; cætera quæ humana ſunt, *certis eunt temporibus, naſci debent, creſcere, extingui.* Seneca in Epiſt. Imò citiùs ac ſæpius, ut Lucan. lib. I.

In ſe magna ruunt. Lætis hunc Numina rebus
Creſcendi poſuere modum.


PANEGYRICUS
Die natali Academiæ Theodorianæ Paderbornenſis, Reverendiſſimo. atq; illuſtriſſimo
Principi
THEODORO.
Epiſcopo Eccleſiæ Paderborn.
S.R.I. Principi,
Fundatori ejus munificentiſſimo.
à
Collegio academico Societatis
Ieſu oblatus. et in tres Libros
diviſus
Editio altera.
L. viſſcher fec.

REVERENDISSIMO CELSISSIMOQUE

PRINCIPI
FERDINANDO,
EPISCOPO PADERBORNENSI,
COADJUTORI MONASTERIENSI,
S. R. I. PRINCIPI,
COMITI PYRMONTANO ET LIB.
BARONI DE FURSTENBERG,

Chriſtianus Theodorus à Plettenberg ex Lenhauſen, Canonicus Hildeſienſis gloriam & felicitatem.

PANEGYRIN, Celſiſſime Princeps, quam Joannes Horrion è Societate Jeſu vir doctiſſimus Theodoro Epiſcopo & Principi Paderbornenſi, magno patruo Tuo dedicavit, elegantiori nunc

typo, multiſque munditiis ornatam & expolitam Tibi ſiſto, gravibuſque de cauſis eam Tuis potiſſimùm auſpiciis denuò in publicum produco, atque per omnes Germaniæ noſtræ, imò totius Europæ vel potiùs orbis terrarum regiones atque provincias oſtento. Etenim non ſolùm genius meus tot nominibus Tibi obſtrictus atque mancipatus hoc mihi ſuadet & imperat, ſed etiam ſummâ virtute atque doctrinâ clariſſimorum & immortalium virorum, Leonis Allatii, Lucæ Holſtenii, Rottendorffii, utriuſque Gronovii, Wallii, Maſenii, Heinſii, Holtermanni, Corvini & aliorum, qui ſuis operibus quantumvis luculentis ſemperque victuris æternum nomen Tuum præſcribendum eſſe cenſuerunt, graviſſima auctoritas, & heroïcâ indole, virtute ac eruditione Tuâ ſubnixum judicium ad id-

ipſum

ipſum me excitat & impellit. Viderunt enim viri illi ſapientiſſimi, totaque Reſpublica literaria intelligit, neminem hac tempeſtate ſacri Romani Imperii Principem eſſe, qui optimarum literarum ſtudia, viroſque ſummis ingeniis exquiſitâque doctrinâ præditos magis amet, & in ſinu atque deliciis habeat, eorumque lucubrationes ad confluentes Luppiæ & Aliſonis velut ad Permeſſidos undas devolantes, majori comitate excipiat, quàm Epiſcopum & Principem Paderbornenſem. Quam quidem longè ampliſſimam laudem ac gloriam tuam etſi livor & obtrectatio conetur arrodere; maximorum tamen Imperatorum ac Principum, Julii Cæſaris, Auguſti, Veſpaſiani, Trajani, Adriani, Antonini, M. Aurelii, Caroli M. Ludovici Pii, Friderici I. Maximiliani I. aliorumque laudatiſſima

exempla præclarè tuentur, qui doctiſſimos ævi ſui viros, Salluſtium, Titum Livium, Athenodorum, Joſephum, Plutarchum, Arrianum, Suetonium, Cornelium Tacitum, utrumque Plinium, Eginhardum, Paulum Warnefridum, Ottonem Friſingenſem, Cuſpinianum, Stabium, Pyrcamerum, alioſque hiſtoriarum & antiquitatum ſcriptores eximiâ benevolentiâ ſunt complexi. Quamvis autem hæc erga bonas literas egregia voluntas in principibus viris clara ſemper æternaque ſit habita, ea tamen in Te multò pulchrior eniteſcit, quia Tu ipſe es omni liberali doctrinâ politiſſimus, quam aſſiduâ exercitatione & continuis ab ineunte ætate laboribus atque vigiliis Tibi comparaſti. Nullum eſt enim illuſtrium diſciplinarum genus, in quo non ſis diligentiſſimè verſatus, ita ut novem Muſæ

in

in Te uno bonis artibus univerſis erudiendo atque exornando certatim omnes induſtriæ ſuæ nervos contendiſſe videantur. Teſtem volo non tantùm Germaniam noſtram, ſed etiam Italiam, & inprimis urbem Romam, ubi exquiſitiſſimâ eruditione Tuâ non ſolùm imi ſubſellii viros, ſed etiam majorum gentium Præſules, Principes, Cardinales, ipſum denique ſummum Pontificem Alexandrum VII, quantum erat hominum literatorum literatiſſimum, adeò Tibi devinxiſti,ut inter primores cubiculi Pontificii miniſtros allectum familiariſſimè Te ſemper adhibuerit, & quidquid ex immenſis ſupremi imperii curis & occupationibus vacui ſe temporis obtulit, id Tuæ potiſſimùm conſuetudini, ac ſuaviſſimis de re literaria ſermonibus impenderit. Plura dicerem, niſi vererer grave

ve fore modeſtiæ Tuæ, omnia quæ in Te ſunt virtutis & induſtriæ ornamenta ab illaudato cliente prolixè laudari. Et certè quid opus eſt in illa celebritate nominis Tui, & vulgata eruditionis fama multa adferre in medium? Sunt in manibus divini ingenii tui monumenta, quæ omnis æternitas intuebitur, quibus nobilitati Germanicæ oſtendiſti, *nullam in univerſo mundo poſſe eſſe fortunam, quam literarum non augeat glorioſa notitia.* Ideò quicquid uſquam eſt hominum eruditorum ad Tui nominis venerationem provocaſti. Quid enim (ut nihil dicam de carminibus Tuis, quæ ad veterum Poëtarum acumen, & Latini ſermonis nitorem ac elegantiam proximè accedunt) MONUMENTIS TUIS PADERBORNENSIBUS, ob reconditam eruditionem & quandam incredibilem varietatem rerum & copiam, atque ſua-

Caſſiod. lib. 10. Var. Epiſt. 3.

ſuavitatem orationis admirabilius? quid limatius? quid venuſtius? ut nullum ſuperſit antiquitatis monumentum, quod invicta tua ſedulitas & ſagax induſtria non deprehenderit? Quamobrem ſapientiſſimo ſummorum virorum judicio nullum illuſtrius in diœceſin tuam à te beneficium potuit proficiſci, quàm quòd hactenus latentes nobiſque incognitas tot antiquitates ab oblivione perpetua vindicaſti. *Cum* enim *omnibus illis, qui civitates vel populos imperio ſuo ſubjunctos habent, ſummo ſtudio ſummâque curâ in id incumbendum ſit, ut ſuæ gentis & nationis res geſtas, bella, fœdera, pacta, leges & mores teneant.* Id à Te, Princeps Celſiſſime, tantò majori cum gloria perfectum eſt, quantò graviores eâ gratiâ labores ſuſcepiſti atque exantlaſti. Erit itaque hoc monumentum nomini tuo perpetuum, quod nullus iniquioris fortunæ

Nicolaus Ciſnerus. J. C. in præfat. in Joan. Avent.

** ca-

caſus, nulla vetuſtatis invidia, nulla futuri temporis longinquitas poterit abolere. *Cætera monumenta ad breve tempus perdurant variis caſibus obnoxia, hiſtoriæ virtus per univerſum orbem diffuſa, ipſum, quod cætera conſumit, tempus ſui cuſtodem habet.* Verùm enimverò in hac ipſa Academia Tua, quam Theodorus magnus patruus Tuus ſanctiſſimorum Præſulum Baduradi, Meginwerci atque Imadi anteceſſorum ſuorum erga bonas literas eximio ſtudio ſanctiſſimoque inflammatus exemplo, cujuſque natali die hic Panegyricus, quem Tibi elegantioribus formis recuſum conſecramus, in lucem editus eſt, in hoc, inquam, celeberrimo Muſarum domicilio, in urbe hujus provinciæ principe conſtituit. Quali Tu, quantâque curâ ac diligentiâ omnes bonarum artium diſciplinas provehere, & ad ſummum perfectionis apicem per-

Diodorus Siculus.

perducere conaris? Ita quidem, ut id, quod Herricus apud Altiſiodorum Galliæ Monachum ad Carolum Calvum olim ſcripſit, mutatis nominibus tibi ſit acclamandum: *Multa ſunt tuæ monimenta clementiæ, multa ſymbola pietatis. Illud autem vel maximè æternam tibi parat memoriam, quòd* Patrui Tui magni Theodori *ſtudium erga immortales diſciplinas non modò ex æquo repræſentas, verùm etiam incomparabili fervore tranſcendis, dum quod ille ſopitis eduxit cineribus, tu fomento multiplici tum beneficiorum, tum auctoritatis uſquequaque provehis.* Excipe igitur, Celſiſſime Princeps, illo Tuo ſereniſſimo boniſque literis ſemper arridente vultu volumen iſtud, in quo Majorum Tuorum res in toga ſagoque pro patria ac Eccleſia fortiſſimè geſtas magna cum voluptate conſpicies, repeteſque nobiliſſimæ gentis Tuæ à vetuſtiſſimo Comitum Oldenburgicorum ſtem-

Browerus in Antiq. Fuldenſ. c. 9.

mate deductam originem, Theodori magni patrui tui religionem, pietatem, juſtitiam, prudentiam, fortitudinem, atque in omnes honeſtas diſciplinas flagrantiſſimum ſtudium intueberis; Caſpari avi tui ſapientiam, fidem ac Orthodoxæ religionis ſtrenuam propugnationem; Guilielmi Livoniæ & S. R. I. Principis invictam animi magnitudinem, & in adverſis admirabilem firmitatem atque conſtantiam; Friderici proavi integritatem, doctrinam, prudentiam, dicendi vim; Joannis celeberrimi Aſceterii Sigebergenſis Antiſtitis Oeconomicæ rei peritiam, & in veteri diſciplina reſtituenda diligentiam contemplaberis. Ac ne ſingula familiæ tuæ lumina celebrando ſim longior, hîc, inquam, leges Majorum tuorum laudes atque encomia, quæ nulla unquam obliterabit oblivio.

Tu

Tu verò, Princeps Celſiſſime, in quem omnes Majorum Tuorum virtutes admirabilis Dei Opt. Max. benignitas ac munificentia congeſſit, & quodammodo ad compendium contulit, fruere eximiis animi Tui dotibus, fruere famâ Tui, fruere dulcibus ante omnia Muſis, & ad ſummam uſque ætatem pervive; & feliciſſimis, Te ſpirante, populis impera. Padernornæ Idib. April. MDCLXXI.

INDEX
LIBRORUM ET CAPITUM.

LIBER PRIMUS.
De Academia in Weſtphalia fundata.

Cap. I. *PRoœmium.* pag. 1
II. *Quanti Weſtphaliæ ingenia fecerit D. Carolus Magnus.* 3
III. *Ante, & poſt Academias conditas è Weſtphalia egregios ſapientiæ magiſtros prodiiſſe.* 5
IV. *Humaniores litteras in Germania præcipuo Weſtphalorum ſtudio refloruiſſe.* 8
V. *Weſtphali naturâ propenſi, & habiles ad doctrinam.* 10
VI. *Quibus rebus Weſtphali ad progreſſum in litteris adjuventur.* 12
VII. *De aliena à veteri Religione Academia in Weſtphalia tentata.* 14
VIII. *Novum Euangelium cum ſummo Academiarum odio natum.* 16
IX. *Philoſophia in Academiis non reſpuenda.* 19
X. *De retinenda Academiarum inter ſe concordia.* 22
XI. *De Pontificis Maximi in approbandis Academiis auctoritate.* 24
XII. *Contra Jordanem Canonicum Oſnaburgenſem, qui unam in orbe terrarum Pariſienſem Academiam volebat.* 26
XIII. *Cur expediat plures Catholicas Academias inſtitui.* 28
XIV. *Gratiæ totius Weſtphaliæ nomine.* 31

LIBER SECUNDUS.
De Academia Paderbornæ conſtituta.

Cap. I. *PRoœmium.* 35
II. *Academiæ fundatio Epiſcopum maximè decet. Paderborna Epiſcopalium Weſtphaliæ urbium dignitate prima.* 36
III. *Religio Chriſtiana Paderbornâ manavit in univerſam Weſtphaliam. Bonæ litteræ in Weſtphalia ab initio comitatæ religionem Chriſtianam.* 38
IV. *Olim quoque & inferiores & ſublimiores doctrinæ Paderbornæ floruerunt.* 41
V. *Viri ſanctitate & doctrinâ illuſtres, qui è Paderbornenſi Gymnaſio prodierunt.* 43
VI. *Paderborna Imperatorum in Weſtphalia proprium domicilium.* 47
VII. *Nihil Paderbornæ eorum deeſſe, quæ ad Academiæ ſplendorem & commoditatem requiruntur.* 52

VIII.

VIII. Newhauß *Illuſtriſſimi Principis Fundatoris domicilium ſitum eſſe, ubi olim Nero Claudius Druſus Auguſti privignus Caſtellum Aliſonem contra Sicambros condidit.* 58
IX. *Summa rerum in Aliſone caſtello geſtarum, dum illud Romani tenuerunt.* 61
X. *In quorum poteſtatem venerit Aliſo à Romanis deſertus.* 69
XI. *De occupato à Saxonibus Aliſone, & origine Paderbornæ.* 73
XII. *Inſtauratum videri Aliſonem à D. Carolo Magno.* 77
XIII. *Aliſo ſedes Epiſcoporum Paderbornenſium.* 80
XIV. *Gratiæ nomine civitatis Paderbornenſis.* 82

LIBER TERTIUS.

De Illuſtriſſimi Principis in fundanda Academia conſilio.

Cap. I. *PRoœmium.* 85
II. *Illuſtriſſimum Principem, in fundanda Academia, ſuæ, & Majorum præclaræ indoli reſpondere voluiſſe.* 87
III. *Miſerum ſtatum, in quo à primo Eccleſiam Paderbornenſem offendit, Principem in cogitationem Academiæ impuliſſe.* 93
IV. *Illuſtriſſimum Principem fundanda Academia paci, & tranquillitati publicæ conſultum iviſſe.* 97
V. *Illuſtriſſimum Principem, in Academiâ inſtituendâ, Eccleſiaſticorum, & Religioſorum hominum commodum & dignitatem ſpectaſſe.* 110
VI. *Propriè dictam Academiam ſine Juriſprudentia eſſe poſſe.* 114
VII. *Illuſtriſſimum Principem, condendâ Academiâ, eximiam ſuam in Societatem Jeſu voluntatem declaraſſe.* 116
VIII. *Gratiæ Academicæ juventutis nomine.* 123

P A-


FURSTENBERG
WESTPHALEN.
PLETTENBERG.
HÖRDE
IUDICIUM MELIUS POSTERI
TATIS ERIT
Theodorus Furstenbergius Dei et Apostolicæ Sedis Gratia
Episcopus Paderbornensis, et S R I. Princeps. natus An. M D X L VI.
electus V. Juny. An. M D L X X X V. defunctus IV. Decemb. An. M D C
X VIII. et sepultus Paderbornæ in æde Cathedrali.

PANEGYRICUS, NATALI DIE ACADEMIÆ THEODORIANÆ PADERBORNENSIS,

oblatus ejus munificentiſſimo Fundatori,

Reverendiſſimo atque Illuſtriſſimo Principi,

D. THEODORO

EPISCOPO PADERBORNENSI S.R.I. PRINCIPI, DOMINO, AC PRINCIPI CLEMENTISSIMO.

LIBER I.

De Academia in VVeſtphalia fundata.

CAPUT I.

Proœmium.

LIcet jam, Reverendiſſime & Illuſtriſſime Princeps, tandem aliquando huic florentiſſimæ Juventuti erumpere preſſam adhuc animis, clauſamque lætitiam, & ſua erga Celſ. V. ſtudia, condito ampliſſimo in hac Urbe optimarum artium domicilio jampridem inflammata, publicâ gratulatione teſtari. Quanquam enim alterum jam annum hoc maximo, præſtantiſſimoque beneficio ſanè frequentes utebamur, quoniam tamen necdum publicè propoſitis iis literis, quibus Pontifex Maximus, & Cæſar Academiæ nobis immunitates & jura concedunt, neceſſarius

quidam ſplendor deerat, nos quoque gaudia ac vota noſtra tantiſper in hominum lucem, atque oculos proferre verebamur. At hodierno die quis jam obſcurè ferat ſenſum animi ſui, cùm ad earum litterarum promulgationem ex omnibus propè Weſtphaliæ partibus concurſus in hanc Urbem fiant? cùm tot mortales in te inhient, tibique gratias agere geſtiant, à quo liberis ſuis potiores omni avitâ paternâque hereditate eſſe paratas opes intelligunt? cùm omnia DEI immortalis altaria, atque templa, perpetuam ſe jam tibi doctorum, præſtantiumque virorum facultatem & copiam debitura fateantur? cùm denique ipſa adeò oppida atque vici videantur, ſi fieri poſſet, ejicere ſe ſedibus ſuis, atque ad hoc novum patriæ decus, hanc arcem diſciplinarum, hoc munimentum avitæ religionis, ſeminariumque reip. coram intuendum velle pervolare? In hac communi lætitia, atque plauſu nemo non intelligit, quantum flagitii ſimus admiſſuri, ſi ad quos hæc præcipuè tua merita pertinent, non omnibus, quibus licuerit, gratulationis officiis perfungamur. Quanquam hic omnium ardor, atque concurſus non modicam ipſe per ſeſe nobis præbet gratulandi materiam. Eſt enim primus benefaciendi fructus, non indigno benefeciſſe: proximus non ingrato. Quos quidem immortalis tui beneficii fructus, jamnunc, Princeps Illuſtriſſime, te ferre ſentimus, & gratulamur ex animo, quandoquidem animadvertis, te, hâc primâ Weſtphaliæ Academiâ moliendâ non in gentem aliquam inertem, atque à Muſis abhorrentem, aut magnitudini beneficii æſtimandæ imparem, ſumptum, atque jacturam feciſſe. Hæc enim hodierna alacritas, & fauſtæ precationes omnium ordinum, perinde atque in communi quadam & eximia fortunæ proſperitate gratulantium, ſatis oſtendunt & quanto vulgo ſapientiæ amore teneantur, & hoc tuum beneficium quanti omnes faciendum putent. Sed cave exiſtimes, Princeps Illuſtriſſime, repentinum hunc eſſe quendam animi impetum jam primùm tantæ rei novitate commotum. Eſt enim quædam indoles virtutis & ſapientiæ, præclaris majorum inſtitu-

ſtitutis, exempliſque corroborata, quæ animos ad bonarum artium cupiditatem ſponte ſuâ aſſiduò rapit, quarum ſe tantam modò facultatem tuo beneficio nactos eſſe gloriantur. Repetenti ſiquidem mihi memoriam præteriti temporis, atque animo recolenti, quæ adhuc fuerit in Weſtphalia magnitudo ingeniorum, quis ardor diſcendi, quæ laborum patientia, ſubit in mentem mirari, quo tandem fato acciderit, ut amantiſſima laudabilium doctrinarum natio tam diu integrum, atque perpetuum earum emporium deſiderarit. Qua de re exiſtimavi nihil me alienum ab hujus diei ſplendore & lætitia eſſe facturum, ſi pauca apud Celſitud. V. verba facerem: idque ut mihi bonâ tuâ veniâ liceat, etiam atque etiam rogo. Cognoſces enim ex iis quæ dicam, ſi omnes, qui jam inde ex eo tempore, cùm primum Weſtphalia veritatis Chriſtianæ lumen aſpexit, has oras tenuerunt, modò à mortuis exiſterent, nihil ex iis, qui nunc adſunt, de ſtudio erga te, atque officio, nihil agendis gratiis eſſe conceſſuros. Erit deinde cur præcipuam tibi quandam felicitatem gratulemur, qui DEI ſingulari munere id abſolveris, atque perfeceris, quod antea tot viri graves, ac ſapientes vel tacitis votis optarunt, vel aliquâ duntaxat parte tentaverunt. Diſcet denique noſtra juventus quouſque jam progredi in bonarum artium ſtudiis oporteat, tam certis, & expeditis abs te diſcendi præſidiis comparatis, ſine quibus noſtri majores tantâ ſunt in iis ingenii, & laborum contentione verſati.

CAPUT II.

Quanti VVeſtphaliæ ingenia fecerit D. Carolus Magnus.

SUnt enim ita ferè comparati præſtantes animi: citò arripiunt, quæcunque ad veram laudem, decuſque pertinent, ſibique turpe ducunt ſemel conſpectam in pura luce veritatem mediocri ardore complecti. Neque eò contenti, ſimul cum veritate, omnia perſequuntur, atque appetunt præſidia & adjumenta veritatis. Vix Chriſtiana veritas Weſt-

phalis illuxerat, cùm ita non ejus modò, ſed etiam liberalium artium, quarum illa comitatu plurimùm gaudet, & operâ utitur, amore ſunt capti, ut brevi Carolum Magnum non magis bellicæ virtutis, quàm politæ pacatæque doctrinæ peritum, & acrem æſtimatorem, in eam ſpem adducerent, nulli cæterarum, quæ in ejus eſſent imperio, gentium, hanc ſapientiæ & eloquentiæ gloriâ inferiorem futuram. Nam cùm per id tempus inter ſuos, & Orientalis Imperatoris liberos nuptias conjunctum iri confideret, optaretque religioſiſſimus Princeps uti hac affinitate ad utriuſque Imperii Eccleſias certâ ac ſtabili inter ſe concordiâ vinciendas, neque, in tanta populorum, qui ei parebant, multitudine, viri eruditi deeſſent ac diſerti, quibus id negotium cum dignitate mandari poſſet, tamen eam habuit opinionem ingenii & induſtriæ noſtrorum hominum, ut illos potiſſimùm tantis rebus ſuſtinendis, atque tractandis idoneos eſſe judicaret. Neque verò unum duntaxat ſibi ex eis legatum delegit, (quod tamen in gente præſertim admodum nuper CHRISTO conciliata perhonorificum fuiſſet) verùm in Weſtphalia quoddam Orientalium Oratorum ſeminarium inſtituendum putavit. Itaque iis tabulis, quibus primam in Weſtphalia Epiſcopalem Eccleſiam Oſnabrugi collocat, diligenter ſanxit, ne unquam in ea Latinarum, Græcarumque litterarum ſtudia intermitterentur, quòd inde, conciliatis aliquando nuptiis, potiſſimùm ſibi placeret, quandocumque ex uſu & dignitate Reip. foret, legatum in Orientem decernere. Quâ re prudentiſſimus Imperator ſatis oſtendit, quid jam tum ſibi de Weſtphalorum ingeniis polliceretur, quos primùm efflorеſcentes arbitraretur, in luce ipſius facundiæ, omniſque liberalis ſcientiæ inventricis Græciæ, iis ipſis artibus, quas illa maximè venditare ſolet, totius Occidentalis imperii dignitatem tueri, & illuſtrare poſſe. Neque verò Carolum fefellit opinio. quanquam enim illud ejus de nuptiis conſilium Græcorum levitate non proceſſit, non tamen ideo deſtiterunt unquam noſtri homines uſque eò præſtanti labore ad ſummam eruditionis

Krantzius Metrop. l. 1. cap. 2.

nis

nis gloriam eniti, dum, quorum gratiâ Carolus illuſtre linguarum gymnaſium condiderat, ſubtiliorum quoque diſciplinarum publicam ſedem aliquando mererentur.

CAPUT III.

Ante, & poſt Academias conditas è VVeſtphalia egregios ſapientiæ magiſtros prodiiſſe.

ID quàm maturè ſint promeriti vel ex hoc licet intelligi, quòd cùm cæteras ferè gentes, cùm primùm ad Chriſtiana ſacra, civilemque cultum traducuntur, complures annos exterorum magiſtrorum diſciplinâ antè formari neceſſe ſit & perpoliri, quàm ex iis ulli ad ceteros docendos idonei poſſint exiſtere, tamen hujus tanta fuit ſoli benignitas, ut ſimul coli cœperit, ſimul ſapientiſſimos antiſtites proferre. Quid enim Hatumaro, quid Badurado hujus Eccleſiæ primis Epiſcopis earum artium defuit, quæ in laudatiſſimis populorum magiſtris prædicari ſolent? At hos ex eorum numero fuiſſe accepimus, quos gente perdomitâ Carolus obſides acceperat. Ab his acceptam pietatis litterarumque gloriam plurimi, quorum memoria Eccleſiarum cœnobiorumque litteris conſecrata eſt, non modò propagarunt ad poſteros, verùm etiam in longinquas & barbaras gentes incredibili labore ſparſerunt. Neque enim ignorare potes, Princeps Illuſtriſſime, Weſtphaliæ primaria Collegia, ac cœnobia, atque inprimis finitimam terris tuis Corbeiam, eorum propè omnium fuiſſe gymnaſium, qui ulteriorem Saxoniam, Vandaliam, Daniam primis Chriſtianæ fidei præceptis & bonis artibus imbuerunt. Hinc enim Anſgarius, Rembertus, Adalgarius, Unno, Sigebertus, aliique viri immortalitate digniſſimi prodierunt, qui morum ſanctimoniæ, & ſcientiæ copiis, quicquid inter Viſurgim, & ultimos Borealis oceani ſinus terrarum jacet, impleverunt. Neque vetuſtis modò illis temporibus tales Weſtphalia viros pariebat, verùm etiam ante annos circi-

Adamus Brem. Chronica Corbeienſia.

circiter trecentos, cùm nobiliſſimus equeſter ordo dignâ ſuis natalibus, ſuâque animi magnitudine in Livoniam expeditione ſuſceptâ, populos ad eam diem à CHRISTI ſacris averſos debellare, & ſubjugare decreviſſet, unà cum iis multi indidem pii, eruditique homines ſunt profecti, qui quos illi armis vincerent, ipſi religione, & humanitate excolerent. Cujus rei, ut hiſtoriarum monumenta deeſſent, teſtes eſſe poſſunt nobiles, & locupletes Livoniæ Eccleſiæ, quæ ſe ad noſtram uſque memoriam Weſtphalis ferè præſulibus regendas dediderunt. quippe viſum eſt illis æquum eſſe, ut illi Eccleſiarum opibus fruerentur, quorum eas majores ſuo labore, doctrinâ, præclariſque exemplis inſtituiſſent. Hujuſmodi hominum incredibile dictu eſt, quantam copiam aluerit Weſtphalia, cùm in Eccleſiæ Collegiis, religioſiſque domibus omnis Chriſtianè vivendi, rectè ſentiendi, atque dicendi ratio traderetur. Sed cùm in iis domiciliis ii fere ſoli formarentur, qui ſanctioris vitæ genus inire ſtatuiſſent, perſpicuum eſt non perinde ad multos ejus diſciplinæ fructum permanaſſe, atque ſi noſtrarum Academiarum more, omnibus honeſtarum artium amantibus adoleſcentibus promiſcuè patuiſſent. Verùm hoc incommodum iis temporibus fuit Weſtphaliæ cum pluribus regionibus commune. At poſtquam Principum beneficio ea gymnaſiorum publicorum forma, quæ hodie eſt in uſu, tandem increbuit, proprium ejus malum fuit, in tanta præſtantium ingeniorum ubertate Academiâ carere. Quanquam Weſtphaliæ Academia defuit, Academiis Weſtphali nunquam defuerunt. Si enim ex quæ in Germania & antiquitate, & celebritate nominis cæteris antecellunt, eorum imagines recenſeant quorum ſunt ingeniis, & laboribus plurimùm excultæ, reperient ab ipſis incunabulis plurimum ſibi ſplendoris à Weſtphalis acceſſiſſe. Certè, ut alios prætercam, cùm paucas etiam Academias haberet Germania, ad Concilium Conſtantienſe, quò conſtat delectum eruditorum hominum florem conveniſſe, à duabus primariis duo Weſtphali viri eruditione & auctoritate præſtantes publicè communi conſenſu

ſenſu miſſi memorantur. Aderat è Colonia Agrippinenſi Theodoricus de Monaſterio Theologiæ Doctor, qui & verba in conventu habuit ad Patres, & in eorum numerum eſt allectus, qui in peſtilentem Joannis Huſſi doctrinam Concilii auctoritate, anquirerent. Aderat ex Heidelbergenſi gymnaſio Conradus de Suſato & ipſe Theologiæ Doctor, atque apud Ludovicum Comitem Palatinum gratioſus in paucis, qui voluntate totius Concilii ad Petrum cognomento de Luna, qui ſe Benedictum XIII. ferebat, in ordinem redigendum, in ultimam Hiſpaniam, inter alios, legatus eſt profectus. Erfurtum verò inter præcipua ſua lumina commemorat Godeſchalcum Greſemundum Meſchedenſem, clarum inprimis rerum divinarum ſcientiâ, cujus germanus eodem tempore Moguntiaci Medicus ac Philoſophus habebatur eximius Theodoricus. Sed hujus famam in eadem Academia filius obſcuravit, & ipſe Theodoricus, quem Eraſmus alicubi hominem appellat ab ipſa natura ad humanitatem, ad bonas litteras, ad eloquentiam illam verè Atticam, ſculptum ac factum. Sed quid neceſſe eſt omnium Academiarum tabularia excutere, cùm ſat multa à Weſtphalis relicta teneamus in eorum libris eximiæ litteraturæ documenta, è quibus cognoſci liceat, quantum vivi Doctorum exedras ornaverint, quorum tanto intervallo, defunctorum lucubrationes, legentium & laudibus & profectu celebrantur? Ac recentibus quidem Academiis cùm vigeret etiam illud minus comptum, & amœnum, ſubtile tamen, & argutum diſputandi ſcribendique genus, Theologiam, ut de ea præcipuè loquamur, ſcriptis illuſtrarunt, præter Suſatenſem, & Meſchedenſem, de quibus memini, Henricus de Coeſveldia, Wernerus Rollevincius, Henricus de Hervordia, Hermannus de Soldis Oſnabrugenſis, Hermannus in Campo, Henricus de Werlis, & alii complures, quorum extant plena eruditionis, ut iis temporibus, ingenii monumenta.

Seſſ. 15.

Seſſ. 16.

Trith. de ſcript. Ecleſ.

Annot. ad ep. 9. S. Hieronym.

C A-

CAPUT IV.

Humaniores litteras in Germania præcipuo VVeſtphalorum ſtudio refloruiſſe.

AT verò poſtquam NICOLAI V. PONT. MAX. auſpiciis cultiora litterarum ſtudia primùm in Italia revixerunt, cùm pleræque omnes Academiæ Germaniæ, rationibus ſanè levibus retardatæ, quas alicubi perſequitur ac refellit Æneas Silvius, ea admittere, & tractare cunctarentur, Weſtphali noſtri tempus hoc demonſtrandæ ſuæ in bonas litteras voluntatis, minimè prætermittendum rati, relictas ab aliis, atque deſpectas non modò ſibi recipiendas, ſed etiam ornandas, atque omni ope toti Germaniæ commendandas exiſtimarunt. Princeps tam illuſtris facti Rodolphus à Langen, vir equeſtris in Weſtphalia ordinis, & in maxima Eccleſia Monaſterienſi Canonicus fuit. Is enim cùm unà cum Mauritio Comite Spilembergio Canonico Colonienſi, & Rodolpho Agricola, in Italia Franciſco Philelpho, Theodoro Gazæ, aliiſque utriuſque linguæ inſtauratoribus dediſſet operam, tantoſque haberet progreſſus, ut is, quem modò nominavi, Agricola ab hoc demum viro *aliquando*, ut ipſe loquitur, *priſcam inſolenti Italiæ, & propemodum occupatam bene dicendi gloriam extorqueri poſſe* confideret; reverſus in patriam nihil habuit antiquius, quàm ut ad quarum artium quaſi mercatum quendam erat profectus, earum ſuis popularibus copiam faceret. Ille igitur fuit, ut cecinit quidam,

Lib. de educ. Liberor. ad Ladiſlaum regem c. 6.

In epiſt.

Alexander Hegius in epigramm.

Primus Melpomenen qui rura in Weſtphala duxit.

In Weſtphala autem? imo verò, ſi verum amamus, omninò poſt reſtitutas litteras, primus Germanorum eruditum carmen ſcribere cœpit. Scripſit & multa ſoluto ſermone perquam diſertè, & veteres illos elegantium artium auctores propè primus, quaſi poſtliminiò, juventuti reſtituit. Etenim Conradum, è Comitibus Ritbergenſibus, Monaſterienſem Antiſtitem, magni animi Principem, ſuâ auctoritate perpulit,

lit, ut in ludo litterario, qui erat in ea urbe ad D. Pauli, repudiatis barbaris & incultis minimè idoneorum magiſtrorum præceptiunculis, exemplo, atque inſtituto earum ſcholarum, in quibus erat in Italia verſatus, vetuſti ſcriptores utriuſque linguæ explanarentur. Res variis, ut fit, conſultationibus in id tempus extracta eſt, quo in ea Eccleſia Scholaſtici munus ſuſtinebat vir magno natalium, & prudentiæ ſplendore Wennemarus Horſtius, ex ea ipſa familia, quæ ampliſſimum hujus nunc Eccleſiæ Decanum tulit; is aſcitis in eam rem viris litteratis è Langii ferè diſciplina, atque contubernio, univerſum Gymnaſium Timanno Camenero, cujus extant de Philoſophia naturali commentationes, adminiſtrandum dedit. Neque verò hic Weſtphalorum ardor unius urbis finibus coërceri potuit, ſed annitente eodem inprimis Langio, ludis, in celeberrimis quibuſque oppidis, apertis, omnibus utriuſque linguæ, omniſque politioris litteraturæ copiis Weſtphalia redundavit. Quid quòd Weſtphalorum ſtudio, ac labore in alias quoque Germaniæ oras permanarunt? Siquidem Daventriæ verſabatur Alexander Hegius homo Weſtphalus, cui Langius, quondam ejus condiſcipulus, è bibliotheca, quam ſecum ornatam, & locupletem ex Italia detulerat, libros à doctiſſimis illis Italiæ magiſtris nuper editos in lucem, ſanè quàm benignè & ultrò mittebat. His cùm ille aſſiduò volvendis fieret quotidie eruditior, diſcipulos, atque æmulos ſtudiorum ſuorum habuit Deſiderium Eraſmum Roterodamum, Joannem Murmellium, Ludovicum Bavingum, alioſque complures. In his Conradus quoque Goclenius Paderbornenſis fuit, qui poſtea in nobiliſſima Academia Lovanienſi è primis fuit ejus Collegii profeſſoribus, quod ad illuſtrandas linguarum præſtantiſſimas ſapienter inſtitutum, trilingue dicitur; plurimumque ſuâ ætate, dicendi laude præſtitit. eum hujus artis præcepta tradentem, audiit inter alios Adolphus Comes Schaumburgius, qui deinde Colonienſis Antiſtes renunciatus, veteris fuit religionis inſtaurator & vindex, plurimumque, Princeps Illuſtriſſime, jam

tum exſplendeſcentem indolem in tenera tua dilexit ætate. Tulit præterea Paderbornenſis ager eâdem tempeſtate Ludovicum Dringebergium, qui ad excitandas eaſdem manſuetiores litteras, magnis propoſitis præmiis Seleſtadium in Alſatiam evocatus, Joannem Reuchlinum, Beatum Rhenanum, Jacobum Wimphelingium, alioſque erudiit, qui deinde inſigni ſcientiæ famâ claruerunt. In Bataviam primus eadem præclara ſtudia, eodem hortante, & adjuvante Langio, Antonius Liber Suſatenſis invexit, è cujus diſciplina Alardus Amſterodamus, doctiſſimus ac politiſſimus Lovanienſis Theologus, aliique clari in litteris homines prodierunt. Quo quidem tempore nihil mihi Weſtphaliæ videtur ad immortalem gloriam præter te unum, Princeps Illuſtriſſime, defuiſſe. Si enim tui ſimilis quiſpiam Mæcenas fuiſſet exortus, qui ſeveras illas veterum Academiarum doctrinas hâc novâ humanitatis, & eloquentiæ dulcedine temperaſſet, unoque utraſque domicilio collocaſſet, næ is facilè omnibus numeris abſolutam Academiæ formam primus Germaniæ demonſtraſſet.

CAPUT V.

VVeſtphali naturâ propenſi, & habiles ad doctrinam.

EQuidem ſic ſentio: quantum inter frugiferas arbores, & eas interſit, quæ præter foliorum ſpeciem, & umbram nihil afferunt, tantum ea gymnaſia quæ ſciendi ſtudia, cum linguarum cognitione conjungunt, iis præſtare, quæ ſoli poliendo ſermoni, ſunt conſecrata. Neque id noſtrates fugit, quorum ut quiſque eſt ingenioſiſſimus, ita non contentus his minoribus artibus, ad ſublimiorum rerum diſciplinas nativo quodam impetu, quando domi facultas non datur, in longinquas terras rapitur. quod enim eſt in Germania, aut ſuperioribus annis fuit paullò florentius gymnaſium? quis doctorum hominum cœtus? quis denique diſcendi, ac proficiendi locus, qui non Weſtphalorum ſit ingeniis illuſtratus? Illi verò quos rei familiaris inopia patrios fines egredi non ſinit, non

ſatis

ſatis illâ aviditate, quâ in his litteris percipiendis ſunt verſati, quarum erat domi copia, declararunt, quid in iis ſtudiis eſſent facturi, quæ continent naturale quoddam pabulum præſtantium animorum? Quibus tametſi Weſtphalia adhuc publicas ſedes nullas poſuerat, tamen quàm crebri in ea ſunt, & celebres ludi? qui concurſus, ardorque diſcentium? quæ certamina æqualium? quæ cohortationes, & gratulationes parentum? quis labor, & aſſiduitas magiſtrorum? Academias profectò commemorare poſſum, quæ celebritate, & frequentiâ nullo modo ſint cum puerilibus Weſtphaliæ ludis comparandæ. Quem enim horum nominare poſſis, qui vaſtitatem, & ſolitudinem, ut illæ, metuant? quò, dilabentibus civium populariumque liberis, externos, & peregrinos auditores propè pretio conducere neceſſe ſit? qui fucatæ libertatis illecebris, & indecoris immunitatibus ad pelliciendam juventutem indigeat? Weſtphalorum ea ſemper fuit diſcendi cupiditas, ut & ſuis gymnaſiis complendis ſoli ſufficiant, & plurimùm inde redundet in externa. neque verò multùm prenſandi parentes, ut filios ſuos ad ſtudia incumbere patiantur, quippe cùm ipſi quoque ruri, atque in mapalibus nati, qui nullam doctrinæ partem attigerunt, non temerè quemquam filiorum litterarum prorſus expertem velint. Itaque diu aliis eſt priùs ſtudendum, quàm ſtudia amore eſſe digna cognoſcant: Weſtphalos jam inde ab ipſis incunabulis quidam ad diſcendum genius exſtimulat. ut vel inde conjecturâ liceat aſſequi, quantus ſit in Weſtphalia proventus illuſtrium ingeniorum. Eſt enim ingenium quidam mentis oculus, qui quo magis luce gaudet, atque exire geſtit è tenebris, hoc eſt ſanior, & ad cernendum, ac perſpiciendum acutior. Ejuſmodi cùm tanta ſit in Weſtphalia multitudo, quibus, Illuſtriſſime Princeps, velut inuſitatum jubar optatam hodierno die lucem affers, non eſt metuendum ne unquam deſint, qui ad eam accipiendam, & fruendam anhelent, ſeque ob immortale hoc patriæ decus æternas tibi gratias debere fateantur.

CAPUT VI.

Quibus rebus VVeſtphali ad progreſſum in litteris adjuventur.

NEque verò minore contentione Weſtphali ſtudia perſequi ſolent, quàm arripuerint. eſt enim huic genti cognata incredibilis quædam induſtria, quæ exterorum quoque hominum præconium meruit. Sunt enim ab Eraſmo hæc ipſa ſcripta in epiſtola ad Thomam Morum ſummum illius ſæculi lumen. *Weſtphalus*, inquit, *populus, ut vulgò rudior habetur* (nempe à tuis Batavis, mi Eraſme, politis ſcilicet hominibus) *ita multos nobis dedit ſummis ingeniis, minimeque vulgari doctrinâ præditos. Non aliud genus mortalium patientius laborum eſt.* Rara profectò ſingulariſque laus. Quæ enim duæ res tam ægrè in uno homine, ne dicam gente, copulantur, quàm ingenii magnitudo, & laboris contentio? ferè enim qui ingenioſi, iidem ſibi præfidentes, plurimùm otio ſe dedunt, ne minus ingenii habere videantur, ſi plus laboris aſſumpſerint. Atqui contrà fieri oportuit. Ut enim quò fœcundior eſt ager, hoc operam coloni remuneratur uberiùs: ita præſtantiſſimum quodque ingenium hoc eſt fructuoſius, quò diligentiùs, inſtantiuſque colitur. Neque verò parum affert momenti ad promovenda ſtudia Weſtphalorum, celeritati ingeniorum adjuncta modeſtia, & ab effrenatis motibus alieni mores. Sic enim pleroſque omnes natura comparavit, ut facilè imperare animo ſuo, ſuæque vitæ modum tenere condiſcant. quo quidem nihil eſt ad accipiendos ſapientiæ ſatus accommodatius. Ejus rei video ab harum rerum prudentibus duo argumenta ſanè luculenta proferri. Alterum, quòd cùm plures ferè è Weſtphalis, quàm cæteris Germaniæ populis, quotannis propter diſcendi cupiditatem in alienas terras demigrent, multi item quotannis in patriam ſe referant, incorruptam tamen adhuc, atque integram ab omni

omni depravato exterarum gentium more Weſtphaliam tueantur. Eadem ſemper in victu cultuque frugalitas: idem in moribus candor: eadem in dictis factiſque conſtantia. Longiſſimè enim abſunt ab eorum errore, qui tum demùm ſe præclarè peregrinatos arbitrantur, cùm quot gentes acceſſerint, totidem peregrinis vitiis obſiti revertuntur. Itaque cujuſmodi eum expreſſit Homerus, quem imaginem poſteris propoſuit Sapientiæ, tales pleroſque Weſtphalorum fingit natura, format educatio, confirmat induſtria, ut non magno negotio & Sirenum blanditias, & artes filiarum Solis prætervehantur impune. id qui norit eum demum ſcito certiſſimum ad abſolutam ſapientiam curſum tenere poſſe. Alterum quoque indicium facilis & pacatæ naturæ commemorant, quòd nulla Germaniæ gentium plures procrearit, qui in alienis rebuſpub. honoribus, atque muneribus vel minore invidiâ ſint ornati, vel majore omnium commendatione perfuncti. Nulla ſiquidem eſt non dico illuſtris, & ſplendida, ſed omninò paullò lautior Weſtphaliæ domus, quæ non aliquos è ſuis majoribus laudare poſſit, extra patriam in aliquo vel viri Principis Conſilio, vel alicujus reip. Senatu, vel aliquo denique Eccleſiaſtico, aut civili magiſtratu iis quoque faventibus verſatos, qui ſe præteritos jure queri poſſe videbantur. Sic enim induxerunt animum plerique mortalium, cujuſque commoda, atque ornamenta civitatis, civium eſſe oportere. ad ea ſi alienus aſpiret, omnibus eſt invidiæ telis expoſitus, quæ quiſquis evitare deſiderat, eum neceſſe eſt uſque eò animo ſuo poſſe imperare, ut neque ulla improbitatis ſignificatione nudum latus calumniis præbeat, & ſe facilè in tam excelſo virtutis faſtigio collocet, quod nulla invidia poſſit attingere. Quæ omnia, quid aliud ſignificant, quàm in Weſtphalorum indole innata atque incluſa ſingularis cujuſdam ſemina virtutis, quæ ſi tempeſtivâ culturâ tantiſper foveantur, atque adoleſcant, dum juſtam maturitatem aſſequantur, intellexiſti Princeps Sapientiſſime, brevi Weſtphaliam univerſam plurimis, & maximis ornamentis,

atque præſidiis non ad ſuam modò, verùm ad totius Chriſtianæ reip. utilitatem abundaturam.

CAPUT VII.

De aliena à veteri Religione Academia in VVeſtphalia tentata.

QUare nunquam tibi pro eo ac meretur hoc tamdiu optatum beneficium, gratiam Weſtphalia referet. Tu enim primus in media ejus luce campum aperuiſti, in quo noſtrorum hominum induſtria, in exiguum gyrum paucarum nuper diſciplinarum compulſa, liberè tandem ad omnem Sapientiam excurrere, cognoſcique poſſit. Tibi debebit omnis poſteritas, quòd quæ majores noſtri litterarum decora, atque præſidia peregrè petebant, ea jam domi, te auctore naſcantur, atque ita patriam, quam adhuc parentem tantùm, & altricem ſuam vocabant, deinceps, tuo beneficio, eorum quoque bonorum procreatricem ſint habituri, quæ ſola, cùm ſemel poſſidere cœperimus, nunquam noſtra eſſe deſinent. Eſt verò aliud quoque quod divinæ providentiæ gratulemur. neque enim mihi tam lætandum videtur, quòd aliquando hoc doctorum hominum ſeminarium in Weſtphalia ſit conditum, quàm quòd eam mentem veteris, atque Orthodoxæ religionis colenti Principi potiſſimùm injecerit. Neque enim defuerunt qui ſeceſſione ab Eccleſia Catholica factâ, Weſtphaliam poſt annos jam demum octingentos veritatem ſe docturos profeſſi, ſuis novis opinionibus, Academiarum more, non modò Eccleſiarum opibus, ſed etiam Eccleſiaſticis Principibus adminiſtris extruere gymnaſia laborarunt. Fuit in eo numero ſuperiore ſeculo Arnoldus Burenius, cujus extat oratio ſanè verboſa ad Franciſcum Monaſterienſem Epiſcopum, non ſine præfatione Philippi Melanchthonis. In ea principiò mirificè laudat Epiſcopum, quòd *incredibili totius propè Germaniæ admiratione*

ratione, *à Pontificia illa*, ut ipſe loquitur, *impietate ad puram Chriſti doctrinam* (Lutheri deliramenta dixiſſe oportuit) *ſe tranſtulerit.* deinde perſuadere conatur, *ut Weſtphalæ juventuti ludum aperiat*, *qui non ſolùm inferiorum artium tractatione, ſed etiam Theologicarum rerum*, *& Juriſprudentiæ profeſſione nobilitetur.* Addit incredibile eſſe, quanta futura ſit iſtius beneficii gloria: *Unum illum ex omnibus Epiſcopis*, *quibus unquam Weſtphala Eccleſia*, *atque Reſp. fuerit commiſſa*, *extitiſſe*, *qui primus in illam Eccleſiam ſacroſanctam Euangelii doctrinam*, *& in ſcholam*, *verè piam*, *& ſalutarem inſtitutionem*, *omnibus ineptiis impiiſque ſomniis ex illis deturbatis*, *intulerit.* Hæc ille. Ac ſanè ſi quod unquam fuit tempus oblatum Weſtphaliæ divinitus, quo meritò poterant omnium animi ad Academiæ cupiditatem erigi, hoc profectò illud fuit, cùm amplâ, & validâ inprimis Urbe ex Anabaptiſtarum fanaticorum hominum,& omnis honeſtæ doctrinæ conjuratorum hoſtium dominatu, in libertatem vindicatâ, omnes vehemens quoddam dementiſſimæ illius inſcientiæ, atque barbariæ, tam recenti malo, odium percepiſſent. Itaque poſt receptam urbem, eorum qui ludum in illa litterarium, de quo nuper dixi,celebrabant,duo admodum millia cenſa fuiſſe accepimus. Cùm ergo ad minorum, ut ita dicam, gentium artes, tanti concurſus fierent, quid futurum fuiſſe putemus conditâ Academiâ, in qua ſublimiorum quoque doctrinarum ſtudia viguiſſent? Sed nimirum hujus meriti gloriam DEUS tuæ Celſitudini, Princeps optime, reſervabat. Neque verò, quâ fuit in nos bonitate, commiſit, ut civitas vixdum illâ turbulentiſſimâ tempeſtate perfuncta, eis cathedras, & ſubſellia erigeret, qui primi ejus commovendæ duces extiterant. Quis enim eſt rerum illo tempore geſtarum tam rudis,qui neſciat Lutherianos priùs in Catholicos, quàm in Lutherianos Anabaptiſtas, coortos, his faces ad rempub. turbandam prætuliſſe? Quis ignorat huic ipſi Franciſco, ad quem ſcribit Burenius, non Anabaptiſtas modò, ſed etiam Lutherianos rerum novarum, & ſeditionis pœnas dediſſe? Ac fuit ille quidem deinde, neſcio quo illorum

Vide Laur. Fabricium exam. Inquiſ. Monaſt. c. 7.

rum

rum temporum fato, eò delapſus, ut haud dubiè eorum partibus faveret, quorum ſceleratos impetus antè compreſſerat: ne tamen ei Epiſcopatus, Pontificis Max. ſententiâ, ut erat inſtitutum, abrogaretur, ſupremum Canonicorum Collegium, ob magna viri in Eccleſiam merita, interceſſit, deditque operam ne quid præterea res Catholica detrimenti caperet. Verùm, quæ, malum, eſt hujus hominis impudentia? primuſne Franciſcus ſacroſanctam Euangelii doctrinam in Weſtphaliam intulit? itane? tot ſanctitate & doctrinâ illuſtres antiſtites, qui à fundata in his terris Chriſtiana religione Eccleſiam gubernarunt, expertes Euangelicæ doctrinæ fuerunt? quid? antequam Petrus Werthemius ad res novas moliendas Monaſterium Marpurgo mitteretur, ſcholæ ineptiis, & ſomniis refertæ erant?

CAPUT VIII.

Novum Euangelium cum ſummo Academiarum odio natum.

SCio quæ ille ſomnia intelligat. nempe Miſſam, Purgatorium, Sanctorum invocationem, & ſimilia Eccleſiæ Catholicæ dogmata, quæ ſapientiſſimus quiſque veterum Patrum complexus eſt, ut nemini poſſit eſſe dubium, quin illi potius ſomnient, qui iſta repudiant. At ego in hoc ipſo de quo agimus Academiarum negotio tam planum facio ipſos illos novi Euangelii architectos ſomniaſſe, ſeu potiùs deliraſſe, ut ex eo, quod iis circa has artes contigit, in quibus erant indè ab ineunte ætate verſati, conjici poſſit, eos cùm toti antiquitati in graviſſimis fidei decretis ſomnia objiciunt, omnino de poteſtate mentis exiſſe. Quæro enim ex Burenio, num hic ille Philippus, cujus præconio ſuam orationem commendari voluit, non aliquando Academias, & bonarum litterarum gymnaſia ſit execratus, & inſano odio perſecutus? Quæro num meminerit anno Salutis noſtræ M. D. XXI. æneis formis excuſam eſſe orationem Didymi Faventini nomine,

mine, contra Thomam Placentinum? num ignoret hujus *Ep. Lat.*
orationis ab ipſo Luthero auctorem laudari eum, de quo no- *tom. 2. ep.*
bis ſermo eſt, Philippum Melanchthonem? In ea porrò ora- *ad Spalat.*
tione hæc ſunt verba: *Ne nullæ eſſent in Chriſtianiſmo ſcholæ, Academiæ generalium ſtudiorum, quas modò Univerſitates vocant, conditæ ſunt. Atque hoc conſilio mirum eſt, quàm placeant ſibi, quàm ſalutare putent, quo non aliud repererunt neque pernicioſius, neque magis impium, & quod video non Pontificibus, ſed ipſi deberi Satanæ, qui ſi quo unquam, hoc certè caſu, egregiè impoſuit Chriſtiano populo. Equidem ſapientem virum fuiſſe judico Wiclephum Anglum, qui omnium primus, quod ego ſciam, vidit Univerſitates eſſe Satanæ ſynagogas. Et quid dici vel pium magis, vel ſapientius potuit?* Hæc Philippus alludens ad illud Wiclephi pronunciatum, quod inter alia Concilium Conſtantienſe damnavit: *Academias, Collegia Academica, ſtudia, &* *Seſſ. 15.*
inſignia magiſtralia vanâ gentilitate eſſe introducta, & tantum Eccleſiæ prodeſſe quantum prodeſt diabolus. Ac ne quis dubitaret num hoc odium eſſet ab ipſo genio novi Euangelii, ipſe
ejus parens Lutherus ſimul in Eccleſiam furere & baccha- *Lib. de ab-*
ri cœpit, Academias omnibus maledictis inſectabatur, & *rog. Miſſæ.*
exagitabat. Suntne hæc Lutheri verba? *Ex iſto fumo* (de quo *l. de inſti-*
S. Joannes in Apocalypſi) *prodeunt locuſtæ iſtæ, quæ omnes ca-* *tuen. pueris. Oper. in*
thedras occupant, omnia gubernacula adminiſtrant, ut Academiis *Iſ. 22. &*
ab initio mundi Satanas nihil excogitarit præſentius, ad vaſtan- *l. contra*
dam fidem, & Euangelium toto orbe. Ibidem eas comparat cum *Cathar. l. de Miſſa*
valle Tophet, & cum fano Moloch. Alibi appellat *aſino-* *privata.*
rum bipedum ſtabularia: alibi *portas, & januam inferi.* Eſt u- *In conc. ha-*
bi vocet *Antichriſti lupanaria: Diaboli tabernas: Synagogas ſy-* *bita Kal. Jan. 1522.*
nagogarum Satanæ. Adjunxit ad hæc & alia convitia, magna *Colmariæ*
& impudentia mendacia. An non eſt mendacium, Acade- *edita. l. contra*
mias *Ariſtotelem Chriſto æquaviſſe, quantùm ad auctoritatem, &* *Latonum.*
fidem? Verbo & ratione docendi ſolvere mandata Dei? Chriſtum *Lib. con-*
& novum Teſtamentum longiùs ex mundo exterminaſſe, quàm Judæos, & Turcas? denique in Academiis *ſub titulo doctrinæ Chri-* *tra Cath. Lib. de ab- rog. Miſſæ.*
ſtianæ non niſi pugnantiſſima Chriſtianæ fidei doceri? Videntur- *Conc. Kal. Jan. Col.*

ne Tibi, Princeps Illuſtriſſime, hæc vigilantium, an ſomniantium? prudentium, an inſanorum voces? Sed audi facta haud paullò dictis ſtultiora. Anno M. D. XXII. cùm Lutherus metu Caroli V. Cæſaris in Pathmum, ut ipſe inſolentiſſimè appellabat, ſeceſſiſſet, interea Wittembergæ Andreas Carolſtadius, & Philippus Melanchthon, Lutheriano œſtro perciti, cogitarunt quemadmodum doctrinam, quam Lutherus, ſi diis placet, devocaſſet de cœlo, factis perſequerentur. Ergò, cùm inter alia tam inſigne ejus in Academias odium haud dubiis argumentis perſpexiſſent, juventuti quæ in Academia Wittembergenſi ſtudia litterarum æmulabatur, auctores fuerunt, ut combuſtis libris, ſpretoque gymnaſio in opificum ſe diſciplinam darent. Neque dubitarunt, cujus ſuaſores fuerant, ejuſdem conſilii duces eſſe. nam Carolſtadius in villa haud longè ab urbe ex Doctore Theologiæ de improvisò agricola, ac ruſticus evaſit: Philippus qui Philoſophiæ magiſter erat, piſtori ſuam operam navare cœpit. *Hoc tantorum Theologorum decretum*, inquit Staphylus, *fusè longèque dimanavit in pleraſque urbes Germaniæ. Et, ut reliquas taceam, ſcimus Vratiſlaviæ, & Suidniciæ in Sileſia biennium ludos litterarios occluſos fuiſſe, & planè extinctos: nec quicquam ab iſtorum ſectariorum diſcipulis lectum, præter textum ſacræ Scripturæ.* At, inquient, Lutherus, & Philippus, mutatâ poſtea voluntate, auctores ubique fuerunt per Germaniam inſtituendarum ſcholarum, neque obſcurum eſt, eos qui eorum inſtituta ſectantur, paſſim gymnaſia habere publicè informandæ juventuti. Principiò non ideò non ſomniarunt, quòd aliquando ſuo illo ſomno excuſſi aliter, ac priùs cenſuerunt. Imò verò vel indè liquidò conſtat ſomnia fuiſſe, quòd tunc ab iis damnata & exploſa ſunt, cùm eos iſti ſapientiores fuiſſe confitentur. Deinde eſt quòd gratias Principibus agamus, qui cùm Anabaptiſtarum exemplo didiciſſent, quantum ad perturbandam remp. virium haberet novo Euangelio armata barbaria, maturè ne id malum latius ſerperet providerunt. Qua in re videntur mihi feciſſe, quod, ut ex Timæo narrat Athenæus, Prætores olim Agrigentini

Colloquium Altenburg. Surius. Staph. apolog. p. 3. de conſenſ. Euangelic. 6. Bielusta.

Lib. 2.

tini ebrioſis quibuſdam juvenibus. Cùm enim hi vino madidi in eam deveniſſent amentiam, ut cùm in taberna ſederent, triremi ſibi per mare vehi, & tempeſtate jactari viderentur, eâque perſuaſione ſupellectilem omnem, atque adeò lectos ipſos, velut allevandæ navis cauſsâ, projicerent foras, exciti tali inſolentiâ magiſtratus, inſanientes objurgarunt, ac ne ampliùs ad eum modum ſe vino replerent ſeverè monuerunt. Illi admoniti projicere quicquam deſierunt, ſed ita ut hærerent etiam nonnullæ reliquiæ delirationis. Nam & Tritones prætores appellabant, & ſe ingenti tempeſtate perfunctos querebantur, & iis ſe in patria, velut ſuis liberatoribus ſtatuas poſituros eſſe promittebant. Nimirum necdum vini, à quo illa væſania proficiſcebatur, vis tota remiſerat. Neque verò fuiſſet quiſquam tam væcors, qui his hominibus, quicquam ſupellectilis, quod non projectum, & perditum vellet, cuſtodiendum priùs daret, quàm eſſent omni priſtinæ aberrationis periculo liberati. Atque ſpectavimus quidem Lutherum, & Philippum novo Euangelio ebrios, non lances, & lectos, ſed optima noſtrorum inſtituta majorum, & pulcherrima reipubl. vel ornamenta vel ſubſidia abjicientes. num illi admoniti penitus ſe ab illa inſania removerunt? an non quaſdam ejus notas eſt intueri? denique an non illa è novo Euangelio profluxit? num igitur illa poteſt, niſi eo prorſus ſopito, atque extincto, omninò conquieſcere? Certè Eraſmi, quem credo iſti rectè de litteris exiſtimare poſſe non diffitentur, hæc fuit ſententia: Ubi regnat Lutheraniſmus, ibi litterarum eſt interitus. *Lib. 19. epiſt. ad Pyrckhemerum.*

CAPUT IX.

Philoſophia in Academiis non reſpuenda.

VErùm id jam non ago. ſatis mihi fuerit oſtendiſſe eos manifeſtò ſuâ confeſſione ſomniaſſe, qui Catholicis Academiis ſomnia objectare non ſunt veriti. Deinde non ſatis tutò iis hominibus Academiarum curam committi poſſe, qui tam flagitiosè delirarunt ut tanquam exitioſas reipub.

pub. damnarent, præſertim ſi nonnulla etiam in iis tantæ dementiæ uſquam veſtigia appareant. Dixi enim horum furorem perinde ut illorum Agrigentinorum non ſimul totum eſſe compreſſum. Id vel ex eo conſtare poteſt, quòd etiam poſtquam Philippus à furno ad ſcholas rediit, tantiſper honores Academici nemini more majorum mandati ſunt, donec Electoris imperio intermiſſus pluribus annis mos aliquando referretur. Sed videor mihi in Burenii quoque verbis quædam obſervare relictæ ſtultitiæ argumenta. Quid enim cauſſæ cenſes eſſe, Princeps Illuſtriſſime, cur Burenius nullam ſuâ oratione Philoſophiæ mentionem faciat? cur ante Theologiæ ſtudium ſolas inferiores artes requirat? Nimirum talem Academiam moliebatur in Weſtphalia, cujuſmodi ex Lutheri præceptis tunc inſtitui poterat, cùm tamen etſi de infinito illo Academiarum odio nonnihil remiſiſſe videbatur, tamen Philoſophiam, præſertim Ariſtotelis, necdum concoquere ullo modo poterat. Ita enim ille ſcripſerat anno M. D. XX. in libro de reform. Reipub. Chriſtianæ ad nobilitatem Germanicam: *Suadeo,* inquit, *ut libri Ariſtotelis, Phyſicorum, Metaphyſicæ, de Anima, Ethicorum, qui hactenus omnium optimi habiti fuere, penitus aboleantur & exterminentur; cum omnibus illis, qui rerum naturalium explicationem & cognitionem ſe tradere profitentur: cùm ex illis nihil vel naturalium, vel ſpiritualium rerum diſci, vel doceri queat.* Neque verò id poſtea mutavit. quamvis enim libellum compoſuit de inſtituendis ſcholis, tamen cùm earum formam deſcribit, multus ille quidem eſt in prædicando linguarum ſtudio; de Philoſophia reſtituenda nihil præcipit; ut ſatis appareat, nunquam cum eo in gratiam rediiſſe. Talis igitur, ut opinor, Academiæ ſpeciem cùm animo concepiſſet Burenius, quæ luſtrum eſſet inſcientiæ, non ſapientiæ domicilium, præclarè ſe meriturum de Weſtphalia ſperavit, ſi eam huic genti cupidiſſimæ omnis liberalis eruditionis obtruderet. Num verò exiſtimavit illam Weſtphalorum inſignem diſcendi aviditatem, propter quam eorum majores ſæpe remotiſſimas nationes adierunt, modicâ cogni-

cognitione linguarum, & paucis in aliquot Scripturæ ſacræ capita, non è veterum auctoritate, ſed è nuper exorta diſciplina petitis gloſſematis, expleri poſſe? Quid? nullumne unquam crediderunt Weſtphalorum in ſublimiores de divinis hypoſtaſibus, de præſentia CHRISTI in Euchariſtia, de procreatione rerum è nihilo, aliiſque ejuſdem generis locis eſſe venturum? aut omnes tam hebeti futuros ingenio, ut non ſentirent, hæc ſine accurata Philoſophiæ cognitione, neque ſatis liquidò explicari, neque adverſus hoſtes Chriſtiani nominis ſatis pro dignitate propugnari poſſe? Nam quòd eorum nonnulli reſpondent, Philoſophiæ diſciplinas ad liberalem quandam oblectationem animi percipi poſſe: ut in ſacris rebus ullus eis ſit locus, id verò minimè ferendum eſſe; hæc inquam oratio riſum profectò prudentibus movet. Quotidianæ enim inter eorum Theologos concertationes, turpiſſimis, ob rerum Philoſophicarum ignorationem, hallucinationibus refertæ ſatis oſtendunt, ebriis hominibus eos eſſe perſimiles, qui cùm ſe per dementiam negent duce, vel adminiculo ad ingrediendum indigere, ubique tamen titubant, atque offendunt. Quantò tandem abs te ſapientiùs factum eſt, Princeps Illuſtriſſime, cui cùm perſuaſum eſſet, illas quoque à profanis licet hominibus excultas doctrinas, DEI ad nos munere perveniſſe: CHRISTUM, qui ſit æterna veritas, ad illa quoque omnia, quæcumque illis rectè tradita ſint, ſuâ auctoritate comprobanda ad nos de cœlo delapſum: eſſe denique eas diſciplinas ad res divinas explanandas uberiùs, & validiùs muniendas perquam appoſitas; iccircò Academiam tuam, more majorum, iis omnibus artibus, quæ omnibus numeris abſolutum Theologum decent, inſtructam eſſe voluiſti? Ita enim retinetur admirabilis ille inter diſciplinas concentus, atque conſenſio, ut cùm aliæ ſint diviniori fidei lumine patefactæ, atque è cœlo aſcitæ, aliæ nativis ingenii viribus, & aſſiduo mortalium ſtudio perveſtigatæ, hæ illis pareant, atque ancillentur, & ſi qua in re lapſæ fuerint, ab illis corrigantur: illæ verò earum cùm præſidiis ad

S. Auguſtin. ep. 3. ad Voluſ.

compeſcendos hoſtes, tum ornamentis ad ſua illuſtranda, atque confirmanda utantur.

CAPUT X.

De retinenda Academiarum inter ſe concordia.

NEque ſolùm divulſæ ſunt, atque diſtractæ ipſæ diſciplinæ illorum ſomniantium importunitate & dementiâ, ſed etiam, quod quidem malum multò latiùs patet, ipſæ Academiæ, poſtquam hoc novum Euangelium ab inferis extitit, omnem funditus ſpem mutuæ concordiæ & conſenſionis amiſerunt. Atqui hæc fuit majoribus noſtris præcipua Academiarum condendarum cauſſa, ut veritas multorum ſapientum ſtudiis faciliùs reperiretur, & auctoritate certiùs muniretur. Sic enim homines ſapientiſſimi judicabant, cùm in omni diſceptatione, tum præcipuè, quæ de divinis rebus inſtituitur, eruditorum hominum conſentientes, conſpirantesque ſententias magni apud omnes ponderis eſſe oportere, præſertim ſi quod verſatur in quæſtione, diu fuerit antea magnis ingeniorum contentionibus agitatum. Id ſi in uno aliquo eruditorum hominum cœtu locum habet, quid in compluribus, non modò mœnibus, ſed terrâ quoque marique disjunctis? Jam verò ante Lutheri ab Eccleſia diſceſſum, quanta erat omnium Academiarum in iis quæ fide Catholicâ traduntur tuendis, propugnandiſque concordia? quàm multa, de quibus nihil dum certi Eccleſia decreverat, jam quodam Academiarum præjudicio explorata tenebantur? quàm multa in iis, quæ ex doctrinæ Chriſtianæ capitibus, adhibita aliarum quoque cognitione doctrinarum, aptè concludi viſa ſunt, jam pridem tam erant in Academiis recepta, ut iis non aſſentiri ſummæ impudentiæ ac temeritatis eſſe judicaretur? Hoc quaſi commune quoddam veritatis patrimonium pro ſe quælibet fideliſſimè cuſtodiebat, & quantum ſtudio ac labore conniti poterat, augebat. At verò ſimulatque exortus eſt Lutherus, qui apud imperitos hæc omnia

mnia tantâ gentium ac ſæculorum conſenſione comprobata atque firmata convelleret, tum verò ſimul excogitatum eſt aliud Academiarum genus, cui quoniam æternum eſt bellum cum veritate ſuſceptum, omnia derepentè litibus diſſidiiſque permiſcuit. Hujus generis Academiam Burenius popularibus ſuis optabat, quæ non modò à Catholicis omnibus diſſideret, ſed ne ſpem quidem ullam haberet conſtantis cum ſuis gratiæ ac pacis ineundæ. Ad quam enim illa tandem factionem, cùm inter illos ſint plurimæ, ſeſe applicaret? Ad Flaccianam, an Eberianam? ad Oſiandrinam, an Ubiquetariam? An, quod nonnullas feciſſe videmus, à Luthero ad Calvinum, id eſt de calcaria ad carbonariam repentè transiret? Hunc verò ipſum, qui ſe ſequi profitentur, quot jam ſunt partium? Cujus verò tandem rationis fuiſſet, cùm in Weſtphalia tot jam ſæculis Academia deſideraretur, quæ eſſet veritatis officina, falſarum in ea opinionum, & litium ſedem conſtituere? Eſt enim omnino, quod aiebat S. Auguſtinus: *In ventre Eccleſiæ veritas manet. Quiſquis ab hoc ventre ſeparatus fuerit, neceſſe eſt ut falſa loquatur.* Quocirca præclarè comparatum erat more inſtitutoque majorum, ne cuiquam dynaſtæ fas eſſet Academiam condere, niſi non modò Imperator, verùm etiam Pont. Max. auctor fieret. Exiſtimabant enim nihil eſſe præſentius ad ſedandas opinionum diſcordias & diſſidia doctrinarum, quàm ut honores, qui viris doctis tribuuntur, non modò ab ejus qui toti Imperio, ſed etiam qui totius orbis Eccleſiis præeſt, auctoritate pendeant: ut quoniam, ut eſt in ſolenni formula, *hic, & ubique locorum*, eos valere cupiunt, dent quoque operam, ne eorum doctrina cum totius orbis ſenſu, judicioque ulla in re diſcrepet.

In Pſ. 57.

CAPUT XI.

De Pontificis Maximi in approbandis Academiis auctoritate.

In conſil. Theolog. 2 part. pag. 165.

NOn placet hoc Philippo. Quid ita? *Nolunt*, inquit, *Pontifex, & Imperator propagari veram, & puram Euangelii doctrinam, qualem conſtat eſſe harum Eccleſiarum. Ideò his Principibus, & Scholis ſunt inimici. E contrà tamen hi Principes verè invocantes* DEUM, *debent facere officium ſuum, & conſtituere honeſta collegia docentium, & diſcentium litteras. Id præcipit* DEUS. At quis non videt ea non poſſe honeſta eſſe docentium collegia, quæ ideò abſque ſummorum Principum auctoritate conſtituuntur, quòd doctrina in iis tradatur ab illorum ſententia, & quod conſequens eſt, à conſenſione orbis terrarum abhorrens? Sed premit nos Philippus veteris Eccleſiæ conſuetudine. *Non eſt dubium*, inquit, *Eccleſiam Dei habentem ſcholas, & auditores, ſeu collegia docentium, & diſcentium poſſe, & debere dare teſtimonia auditoribus, ſicut teſtantur litteræ, quæ vocantur formatæ.* Vult inde confici, quemvis ſuorum cœtum, honores Academicos, ſine Pontificis, vel Cæſaris auctoritate mandare poſſe. *quia gradus nihil aliud ſunt; niſi hæc teſtimonia.* Non diſputo, quàm imperitè gradus Academici formatis veterum litteris comparentur, cùm hæ fuerint fidei, & communionis Catholicæ, illi egregiæ cujuſdam ſint, & præſtantis eruditionis teſtimonia. Sed faciamus inter hæc nullum eſſe diſcrimen. Nego valuiſſe formatas litteras à quocumque cœtu datas: contendo earum vim non ſolùm ſcribentis judicio, ſed etiam recipientis approbatione niti oportuiſſe. Itaque S. Auguſtinus, cùm Fortunius Donatiſtarum Epiſcopus, Eccleſiam ſuam Catholicam eſſe contenderet: *Quærebam*, inquit, *utrùm epiſtolas communicatorias, quas formatas dicimus, poſſet quò vellem dare?* atque addit: *Parabam autem, ut ſi conſentiret, ad illas Eccleſias à nobis tales litteræ mitterentur,*

Ibid. (beside "Eccleſiæ conſuetudine")

Epiſt. 163. (beside "Quærebam")

quas

quas in Apoſtolicis auctoritatibus pariter legeremus illo jam tempore fuiſſe fundatas. Falſum igitur eſt quemvis cœtum, qui ſibi Eccleſiæ DEI nomen arrogaret, formatas litteras, id eſt, ut Philippus interpretatur, doctrinæ teſtimonia, ſuis auditoribus dare potuiſſe, quæ apud rectè ſentientes pondus haberent, niſi eſſent Apoſtolicæ Eccleſiæ ſententiâ comprobatæ. Quæro igitur ex Philippo, num Eccleſia Romana, *in qua*, ut loquitur idem S. Auguſtinus, *ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus*, teſtimonia, quæ ab eorum cœtibus doctrinæ auditorum tribuuntur, admittat, & probet? Negabit, ſat ſcio. Quid ergò formatas nobis objicit, cum eæ ſolæ veterum teſtimonio formatæ Catholicam, veram, puramque doctrinam oſtenderent, quæ non eſſent à ſocietate Romani Pontificis alienæ? Ita enim Optatus Milevitanus, Auguſtino vetuſtior, ut oſtenderet ſuam Eccleſiam eſſe Catholicam, non Donatiſtarum; recenſitis ordine inde à S. Petro omnibus Romanis Pontificibus, uſque ad eum, qui ſuâ vivebat ætate, *cum quo*, inquit, *nobis totus orbis, commercio formatarum, in una communionis ſocietate concordat.* Errat verò Philippus, cùm ſperni, & repudiari Pontificis auctoritatem poſſe credit, eò quòd Chriſtiani, Juliani temporibus proprias ſcholas, & proprios cœtus diſcentium inſtituerint, tametſi ille *edicto prohiberet admitti Chriſtianorum liberos in ſcholis publicis.* Chriſtianorum enim ſcholæ, Juliani imperio, civilibus duntaxat immunitatibus, & commodis carebant, quæ ſola ab Imperatoribus proficiſci poſſunt: laudem verò certæ, & conſtantis de religione ſententiæ earum nulla amiſerat, quæ quidem Romani Pontificis auctoritatem ſequeretur. Neque enim minùs Juliani, ac poſtea Valentiniani, & Valentis principatu, Catholici, ut probarent, ſibi pro veritate, Donatiſtis pro mendacio dimicationem eſſe ſuſceptam, illa Optati oratione utebantur. *Quæ*, inquit, *apud vos veritas inveniri poteſt, cui Catholica videtur obſiſtere? aut quod apud nos eſſe mendacium poteris approbare, in una communione eſſe cum toto orbe terrarum? Nunquid poteris approbare mendacium, ſymbolum verum,*

Ep. 162.

Lib. 2. ad Parmen.

Ibid.

Lib. 7.

& unicum retinere & defendere? Nunquid poteris approbare mendacium Cathedram Petri, & claves regni cælorum à Chriſto conceſſas, ubi eſt noſtra ſocietas? Fateatur ergo Philippus, aut in veterum Formatis litteris nihil ad tuendas Academias poſitum eſſe præſidii, quæ ſine Pontificis auctoritate, nutuque fundantur, aut certè, ſi, ut par eſt, nefas eſſe putat à ſententia ejus ætatis diſcedere, quâ integram, puramque Eccleſiam fuiſſe confitetur; Burenianam certè orationem, quam ſuâ præfatione ſibi laudandam putavit, & totum ejus conſilium damnet neceſſe eſt. Quid enim ſtolidius, quàm eam Academiam in cœlos ferri, cui Pontificis auctoritas ludibrio ſit atque deſpectui, cùm graviſſimi & vetuſtiſſimi Patres, totius orbis conſenſu, teſtentur, abſque ea veritatem retineri nullo modo poſſe? Num verò magis Academia ſine veritate, quàm mundus ſine ſole conſtare poteſt? Meritò igitur te, Princeps Illuſtriſſime, poſteri omnes amabunt, atque in oculis ferent, qui cùm, hâc Academiâ fundandâ, viam aperire, & munire velles ad veritatem, eam unam tibi ſequendam putaſti, quâ tot innocentiſſimos, ſapientiſſimoſque homines ad illam perveniſſe, nemo, qui ſe modò ſapere profiteatur, auſit diffiteri.

CAPUT XII.

Contra Jordanem Canonicum Oſnaburgenſem, qui unam in orbe terrarum Pariſienſem Academiam volebat.

VErùm exorietur fortaſſe nonnemo, Princeps Illuſtriſſime, qui cùm in magni beneficii loco ponat, nullam adhuc in Weſtphalia pravis infectam opinionibus Academiam extitiſſe, neget tamen etiam rectè ſentientium numerum augeri oportêre. Sunt enim quidam homines ita tetrici ac moroſi, ut qua in re ipſi commodo aliquo ſint affecti, in ea cæteros abſque eodem verſari, ferre nullo modo poſſint. Atqui ii, ſi qui tamen erunt, fortaſſe Jordanis Canonici

nonici Oſnaburgenſis, qui Rudolpho Habisburgio Cæſare floruit, ſe auctoritate tuebuntur. Is in libro de tranſlatione Imperii ad Germanos, cenſuit, quemadmodum una eſſet Eccleſia Romana, quæ cæterarum mater eſſet ac magiſtra, ita ſatis orbi terrarum eſſe unam Academiam Pariſienſem, à qua bonæ omnes artes, quæ ad orthodoxam doctrinam tuendam & ornandam ſint opus, ab omnibus gentibus peti poſſint. Quæ opinio totius jam propè orbis conſenſu, & inſtitutis, tot jam exortis novis gymnaſiis pridem eſt confutata. Ac Pariſienſem quidem Academiam, propterea quòd antiquitate facilè cæteras omnes antecellat, ſemperque viris eruditiſſimis & graviſſimis abundarit, equidem omni veneratione complectendam eſſe judico; præſertim, quòd eam idem ille Carolus, eodem quo hanc noſtram, & finitimas Weſtphaliæ, Saxoniæque Cathedrales Eccleſias, animo illo ſuo verè magno, & incenſo de humano genere bene merendi ſtudio fundaverit. Sed vereor ne parum intelligant, qui hæc diſputant, in quo ſita ſit vera Academiæ nobilitas, qui totam ejus gloriam anguſtis unius urbis finibus terminari volunt: cùm hominibus eruditione præſtantibus, ex ea, velut equo Trojano, depromptis; atque in alias velut colonias dimiſſis ac diſtributis, latiùs multò & fructum ejus, & famam amplificatam ac diffuſam eſſe videamus. Certè hæc ipſa JESU Societas, quæ ut alia complura, toto orbe Chriſtiano, ita hoc Paderbornenſe gymnaſium tuâ, Princeps Illuſtriſſime, voluntate moderatur ac temperat, in Academia Pariſienſi primùm eſt exorta, & decem illi Patres, qui eam primùm certis legibus inſtitutiſque devinxerunt, in litteris Apoſtolicis, *in Univerſitate Pariſienſi graduati, & in Theologicis ſtudiis per plures annos exercitati fuiſſe memorantur.* Quòd ſi, è Jordanis præcepto, Lutetiæ in aliquo gymnaſio deliteſcentes, iis duntaxat doctrinæ ſuæ lucem impertiviſſent, quibus fuiſſet ad eos audiendos conveniendi facultas, nulla propè jam eſſet Chriſtiana natio, quæ non aliquot eruditorum hominum millia, quæ poſtea ex hujus Societatis diſciplina

Pauli III. *ann.* 1540. *Julii* 3. *ann.* 1550

prodierunt, deſideraret. Neque verò, propterea quòd Romana Cathedra à CHRISTO ſit conſtituta, *in qua una Cathedra*, ut loquitur Optatus, *unitas ab omnibus ſervaretur, ne ceteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent: ut jam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret:* non, inquam, conſequens eſt unam duntaxat Academiam eſſe debere. Quoniam enim fieri non poſſet, ut omnes Eccleſiæ partes, inſtar unius corporis, inter ſe cohærerent, niſi CHRISTI inſtituto, unius, quod ſub aſpectum caderet, capitis auctoritate tenerentur, ideò non dubitamus pronunciare cum D. Cypriano Martyre: *Deus unus eſt, & Chriſtus unus, & una Eccleſia, & Cathedra una ſuper Petrum Domini voce fundata.* Quòd ſi ad idem exemplum formandæ eſſent Academiæ, concluderetur non unam omninò ſolam, ut argumentabatur Jordanes, ſed unam quæ auctoritate, & imperio quodam ceteras contineret, & gubernaret eſſe oportere. Sed ne id quidem neceſſe eſt. Dum enim Academiæ inter partes Eccleſiæ, ut verè ſunt, cenſebuntur, licebit quidem opinionibus, de quibus in utramque partem integra religione certatur, inter ſe diſſentiant: in iis verò quæ capita ſunt ac firmamenta ſalutaris doctrinæ, ne diſtrahantur in factiones, eadem eas, quæ univerſam Eccleſiam, auctoritas colligabit.

Lib. 2.

Epiſt. 8. ad plebem.

CAPUT XIII.

Cur expediat plures Catholicas Academias inſtitui.

EST nihilominus hodie quoque nonnullis, quibus eſt privatus quæſtus reipubl. commodis potior, permoleſta Academiarum novarum omnis inſtitutio. queruntur enim neſcio quid de ſplendore & celebritate veterum gymnaſiorum, novis fundandis, quotidie detrahi. Quæ ratio ſi majores noſtros moviſſet, ne ea quidem extarent, pro quorum iſti honore decertant. Etenim ante annum à CHRISTO nato

to M. CCC. una, & fortaſſe altera erat in Germania Viennæ, & Auguſtæ Trevirorum Academia. Nihil tamen illæ cauſſæ dicere potuerunt, quin proximo conſequenti ſeculo Heidelbergenſis, Pragenſis, Colonienſis, atque Erfurtenſis fundarentur. Aucto, ut fit, numero, illuſtrior quoque cœpit eſſe earum utilitas. ergò poſt annum M. CCCC. Lipſienſis, Ingolſtadienſis, Lovanienſis, Roſtochienſis, Gripſwaldenſis, Friburgenſis, Tubingenſis, Moguntina ad veteres illas acceſſerunt. Num hæ tamen majoribus noſtris multæ viſæ ſunt? num à novarum ſtudio hâc veterum multitudine ſunt retardati? Nonne poſt annum MD. Wittembergæ? nonne Francofurti ad Oderam? nonne Dilingæ, Herbipoli, Græcii, & aliis Germaniæ locis novæ Academiæ extiterunt? Nimirum ſi, ut ait Sapiens, *Multitudo ſapientum ſanitas eſt orbis terrarum*, poterantne dubitare, quin è ſalute eſſet Reipub. quamplurimis locis accendi ſtudia ſapientiæ? Veniebat verò nonnumquam uſu, ut exorto bello, aut ſimili publicâ calamitate aditus ad longinqua gymnaſia adoleſcentibus intercluderetur, quibus multos ſæpe annos tam neceſſario fructu carendum fuiſſet, niſi proviſum eſſet à Principibus, ut uno obſepto, alia litterarum ſtudioſis paterent loca. Quid privatorum inopiam commemorem, quibus niſi oblata eſſent adjumenta diſcendi, quantas hodie reſpub. utilitates, & ornamenta requireret? Quid? quòd Eccleſiæ rationes ita flagitare videntur. Quâ enim illi re tam opus eſt, quàm eruditis Parochis? nam quod oppidum, aut quis vicus paullò frequentior tali non eget? præſertim hàc noſtrâ tempeſtate, qua niſi hominum animi doctorum præſidiis tegantur, vix eſt ut planorum, & impoſtorum manus evitent. Jam verò Parochi munus non valdè ab iis expetitur, qui complures annos ſtudia litterarum peregrè ſuis impenſis coluerunt. De publico verò, ſi quot ſatis eſſent, in hanc ſpem, procul patriâ alerentur, propè in immenſum prodirent ſumptus, cùm opportunitates deeſſe non poſſint, quibus minus difficulter ſuſtineantur domi. Adoleſcentibus verò ipſis u-

Sap. 6.

trum tandem ad diſciplinam eſt conducibilius, in ſuorum conſpectu arctè attentèque haberi,an inter alienos in ſumma impunitate verſari? præſertim cùm jam multiplicatis ubique ſcholis, & breviori repertâ ad eruditionem viâ, iis doctrinis hodie pueri imbuantur, quas vix olim viri deguſtabant. At illa ætas mollis ac tenera, non certè eſt ad peregrinandum appoſita. quippe facilè remotis cuſtodibus, alienos minuſque commodos mores induit. Id quod eſſet valde proclive, ſi ad paucas urbes immenſi adoleſcentium greges confluerent, qui neque propter imprudentiam ſibiipſis imperare, neque propter multitudinem à moderatoribus cognoſci, nedum regi poſſent. Quod enim ſapienter dictum eſt ab Ariſtotele, multitudinis, ut rectè gubernari poſſit, modum quendam eſſe oportere, id maximè in moderanda teneriore ætate valet, quæ ſine intenta obſervatione, aſſiduaque cuſtodia diffluit atque corrumpitur. Quod utinam hujuſce rei pauciora exempla haberemus, neque liceret Academias florentes olim, nunc rectorum ſocordiâ eò prolapſas commemorare, ut adoleſcentes, qui ad eas mittuntur, vix pluribus annis doctiores, at paucis menſibus certò flagitioſiores evadant. Nam quid attinet earum meminiſſe, quæ à majorum religione deſciverunt? videnturne vel hæ ſolæ ſatis juſtam novis inſtituendis cauſſam dediſſe? Certè cùm Joannes Huſſus perverſis Wiclephi opinionibus imbutus Academiam Pragenſem perturbaret, novamque ejus gubernandæ formam ſuis conſceleratis conſiliis opportunam moliretur inducere, in paucis diebus tria admodum Germanorum millia cum ſuis profeſſoribus, viris Catholicis, Lipſiam commigrarunt, ibique novæ Academiæ, in qua ſine religionis labe ſtudia litterarum tractarent, fundamenta jecerunt. Ita enim verum eſſe cenſebant, ut ſimul aliqua Academia ſeſe abruperit à ſocietate rectè ſentientium, eveſtigio exoriatur alia, quæ illius damnum novo ardore & induſtriâ diſſolvat atque compenſet. Et tamen poſtquam non modo in plurimis Academiis jactura eſt facta, verùm etiam tot populoſiſſimæ gentes à nobis avulſæ, novis quotidie de reli-

7. de rep. cap. 4.

Æneas Sylvius hiſt. Bohem. cap. 35. Nauclerus. Bonfin.

religione doctrinis ludos aperiunt, erit quiſpiam Catholicus tam à ſtudio avitæ religionis averſus, ut moleſtiam capiat animo, cùm à viris Principibus tot mortalium errorem miſerantibus, opportunis locis gymnaſia ſalubribus, nullâque peſte contaminatis litteris excitantur? At enim, inquiunt, Academiarum noſtrarum honorem, & antiquiſſimum decus tot novarum acceſſione infuſcari nolumus. Itane? tot populorum ſalus veſtro iſto fumoſo nomine vobis eſt vilior? Quid enim? quacumque circumtulerimus oculos, plena ſunt omnia naufragiis miſerorum. hîc ſi quis unde unde licuerit, validas, novas, omnibus rebus inſtructas naves contrahat, è propinquo pereuntibus ſignum oſtentet, adnatantes accipiat, omnique ope reficiat, vos ſcilicet, Viri Sapientes, indignum facinus exclamabitis: obſcurari illius navis gloriam, *quâ vecti Argivi delecti viri!*

Petebant illam pellem inauratam arietis. illam unam toto mari requiri, illam conſcendi debuiſſe. illam qui nanciſci nequiverit, eum ſcilicet fluctibus, diiſque marinis eſſe permittendum. Quantò Academiis veteribus eſſet glorioſius, prognatis novis, acuere ſtudia litterarum, intendere profeſſorum aſſiduitatem, juvenum animos laudabili æmulatione inflammare, denique partam à majoribus gloriam non ſocios laborum refugiendo, ſed induſtriâ omni vincendo, tueri ac propagare? Jam verò languentibus ſtudiis, laxatâ diſciplinâ, jacentibus bonis moribus, inſcitum eſt profectò bonas artes accuſare, ſi tam malis modis acceptæ, nova ſibi domicilia circumſpexerint.

CAPUT XIV.

Gratiæ totius VVeſtphaliæ nomine.

DE hac tamen, Princeps Illuſtriſſime, abs te conſtituta Academia, locorum intervalla, quibus ſane non modicis hæc urbs abeſt à veteribus gymnaſiis, omnem eripient querendi & indignandi locum. Quàm verò omnibus

bus Weſtphaliæ Ordinibus jucundum acciderit hoc beneficium tuum, ſatis hæc Academiæ tuæ natalem celebrantium, gratulantium, geſtientium frequentia, & inuſitati plauſus oſtendunt. Quis enim eſt omnino ſummorum, mediorum, infimorum, cujus non os ipſum, atque vultus exultantes tibi gratias agere videantur? Tu enim, Princeps Illuſtriſſime, unus poſt hominum memoriam, ita de Weſtphalia univerſa es promeritus, ut cùm ad te una duntaxat Epiſcopalis Eccleſia adminiſtranda delata ſit divinitus, tamen eas quoque in quibus Epiſcopale munus non ſuſtines, Epiſcopalibus jam tibi meritis, iiſque immortalibus obſtrinxeris. Quid enim tam dignum Epiſcopo, quàm in omnem retrò ætatem providere, ut omnibus ſcientiæ, & integritatis artibus erudiantur, qui ſunt aliquando in Eccleſiaſticorum hominum numerum allegendi? quàm divinarum humanarumque rerum cognitione præſtantes cùm inferioris loci Clericos, tum Scholaſticos, Decanos, Præpoſitos, alioſque magnates tanto antè fingere, & formare? Atqui hoc abs te commodum, Princeps Illuſtriſſime, non minùs ceteris Weſtphaliæ Eccleſiis, quàm huic tuæ, promptum eſt ac paratum. De quo quidem adſunt viri natalibus, virtute, dignitate ſpectatiſſimi, qui ſuarum tibi Eccleſiarum nomine gratulentur, & quod jucundiſſimum tibi gratiarum genus eſſe ſolet, hoc ſe tuo beneficio quamprimùm, ac deinceps perpetuò uſuros profiteantur. Quid? nobiliſſimus equeſter ordo, qui, jam inde à primis harum Eccleſiarum primordiis, ſuos in iis liberos DEO, Eccleſiæque commodis, & dignitati omnibus ſeculis conſecravit, quantas tibi gratias, & laudes habet, ac dicit, quòd illos in ipſis modò patriæ ulnis, ad omne Eccleſiaſtici hominis officium, & decus aſſuefacere, omnibuſque neceſſariis litteris perpolire tuo beneficio liceat, cujus antè gratiâ, magnâ patrimonii jacturâ, exiguo ſæpe profectu, longinquis gymnaſiis committebantur? Nam quid ego ſingulorum ſtudia atque gratulationes exequar? Quantas enim ſpes omnium mentibus hâc tuâ munificentiâ attuliſti? Quis nunc eſt

eſt tam humilis, atque inops, qui in hac tam prompta atque expedita ad eximiam quandam eruditionis laudem perveniendi facultate, non aliquos ſuorum poſterorum omni genere litterarum ornatos? non aliquod familiæ præſidium? non aliquod Reip. lumen jamnunc animo præcipiat, atque expectet? Jam verò, Princeps Illuſtriſſime, noli putare non eos quoque qui aliter atque nos de Religione ſentiunt, hujus gratulationis eſſe participes. Abjecerunt illi jampridem, atque deteſtati ſunt (præter Anabaptiſtas) veterem illam Lutheri ſui Academiis, & honeſtis diſciplinis maledicentis inſaniam. Vetant nos ſpem deſpondere ſalutis ſuæ, qui tametſi ab Eccleſia ſe removerunt, non tamen paſſi ſunt denſis illis ignorantiæ, ac barbariæ tenebris, quas ille, ne quando claram lucem aſpicerent, eis offundere moliebatur, ſibi ad eam aditum intercludi. Quòd ſi quis erit omninò in Weſtphalia, cui ſtomachum moveat hæc arx omnis ſalutaris doctrinæ, adverſus eorum errores abs te collocata, is reputet hoc eodem loco poſita quondam à Carolo Magno Auguſto caſtra, quibus univerſam Weſtphaliam ſibi, & CHRISTO ſubegit. Quis verò poſt illam victoriam fuit in Weſtphalia tam demens, qui negaret illa Caroli arma ſalutem Weſtphaliæ peperiſſe? quis ab eo victus eſt, quin gratias ſe debere victori fateretur? Ne dubita, Princeps Illuſtriſſime: DEUS caſtris non jam armorum, & militum, ſed ſalubrium doctrinarum in hac Urbe poſitis, indè ei ſalutem inſtaurare meditatur, unde primùm olim oblata eſt. Oppugnantur nunc hæc caſtra, ut quondam illa adverſariorum odiis, ſed ubi ſemel manus dediderint, agnoſcent contra ſuam ſe ſalutem dimicaſſe. Erunt etiam quibus quæ illis modò terrori ſunt, & moleſtiæ, in delicias quondam & mella vertantur. Jam enim proſpicio compluribus eventurum, quod de ſe, poſtquam à Manichæis ad Eccleſiam ſe retulerat, narrat D. Auguſtinus: *Lib. de util. cred. cap. 1.* *Nunc*, inquit, *ubera Eccleſiæ, poſt longiſſimam ſitim penè exhauſtus, atque aridus tota aviditate repetivi, eaque altius flens, & gemens concuſſi, & expreſſi, ut id manaret, quod mihi ſic affecto ad*

 recrea-

recreationem ſatis eſſe poſſet, & ad ſpem reducendam vitæ, ac ſalutis. Neque enim abeſſe poteſt, in tanta multitudine honeſtiſſimorum hominum, qui magnis ingeniis, integriſque moribus præditi, nullâ animi perverſitate, ſed ſolâ ignoratione veri, nobis ſe morantur adjungere, quin complures ſint futuri, quibus gravis illa, ſolida, conſtans Catholicæ Eccleſiæ doctrina, tot bonarum artium fulta præſidiis, inimicas veritati ſit opiniones detractura. Quibus detractis, ut nihil eſt veritatis cognitione dulcius, exardeſcent nimirum dolore, quòd vaniſſimarum rerum ſpecie tamdiu fuerint ab ea percipienda, fruendaque retardati. itáque inflammati amore ejus damni compenſandi, toti ad illam penitus intuendam & complectendam incumbent. Qui quidem æternùm tibi, Princeps Illuſtriſſime, gratias agent, quòd perfecto hoc Gymnaſio & aditum facilem aperueris reperiendæ veritatis: & eâ repertâ fontem puriſſimæ & liquidiſſimæ voluptatis.

FINIS LIBRI PRIMI.

P A-

PANEGYRICI,
DIE NATALI
ACADEMIÆ THEODORIANÆ
PADERBORNENSIS,

Ejus Illuſtriſſimo Principi Fundatori oblati,

LIBER II.
De Academia Paderbornæ conſtituta.

Caput I.
Procemium.

MIrificus ille, Princeps Illuſtriſſime, Weſtphalorum in omnem humanitatem, & ſcientiam liberalem amor, qui tam uberem hodie omnibus lætitiæ, & gratulationis afferre ſegetem videbatur, idem neſcio quid objecit quorundam mentibus, quod eas angat, neque ſinat penitus acquieſcere. Prædicant illi quidem tuum iſtum excelſum, totamque, quoad licet, Remp. bene promeritis comprehendere geſtientem animum, meritòque hanc Academiam tuam inter præcipua Weſtphaliæ decora numerant. Verùm ut quiſque quod valde diligit, id maximi æſtimat, ita ſunt nonnulli, qui verentur, ne Academiæ dignitati, quam ipſi omni ſibi ope ornandam eſſe ducunt, hic delectus abs Te locus non ex omni parte reſpondeat. Negant enim Paderbornam tam magnifico Academiæ nomini parem eſſe. Quibus principio promptum eſſet reſpondere, quandoquidem Dei voluntas ita tulit, ut Tuæ potiſſimùm Celſitudini condendæ

Academiæ animus eſſet, ac facultas, mirum nemini videri debere, ſi principem Imperii ac ditionis tuæ Urbem, præ aliis hoc ornamento decorandam putâris. Cui enim prudenti venire poſſet in mentem alienam te potiùs Spartam ornaturum eſſe, quàm tuam? Ad hoc poſſem iſtorum orationem refellere, qui Academiam, niſi in ampla urbe, collocari vetant, cùm in vicis quoque omni mœnium, ac portarum præſidio nudatis nobilia gymnaſia ſita fuiſſe prodantur. Atque hæc adeò ex Academiis in Remp. non rarò fluxit utilitas, ut quæ loca humilia, atque abjecta colere cœpiſſent, brevi in viſendam magnitudinem, celebritatemque creſcerent. Verùm hâc nunc quidem oratione non utar. Quanquam enim confidam ex hac inſtitutione Academiæ, inſignem cumulum ad Paderbornæ priſtinam dignitatem acceſſurum, me tamen dies hodiernus admonet, ne in animo cujuſquam hanc patiar opinionem reſidere, eorum ornamentorum, quibus opus eſt ad idoneam ſedem nobilium artium, ullum ei defuiſſe. Id quod ego tam firmis, illuſtribuſque argumentis me confirmaturum eſſe confido, ut tametſi in manu tua fuiſſet ac poteſtate, in qua Weſtphaliæ urbe Academiam poneres, ceteriſque omnibus conſultò Paderbornam antetuliſſes, nemo id injuriâ factum eſſe, jure queri poſſet.

CAPUT II.

Academiæ fundatio Epiſcopum maximè decet. Paderborna Epiſcopalium VVeſtphaliæ urbium dignitate prima.

ATque illud quidem nemo non rectè, & ordine factum fatetur, quod ab Epiſcopo, & ſacro Principe hoc tam ſalubre conſilium, & cura ſuſcepta ſit. eſt enim finitima procurationi ſacrorum, litterarum & doctrinæ cura. Nam cùm Epiſcopi proprium ſit ſalutaris doctrinæ tradendæ munus, ſitque ei, ſi quid minus ſanum vulgò feratur, omnis culpa præſtanda; præclarè ex eo ratiocinatur Alexius Comnenus,

In Novell. conſt. 6.

nus, eum cui publicè ſit docendi poteſtas, ad levandum onere Epiſcopum accedere. Non quòd, ut imperitè quandoque docuit Lutherus, renunciatio Doctorum in Academiis nihil diſtet ab ordinatione, & initiatione legitimorum Eccleſiæ Miniſtrorum & Paſtorum: Sed velut de Rege ſapienter ſcriptum fecit Xenophon, ei multis auribus, multis oculis opus eſſe, qui ſunt viri rerum uſu & prudentiâ excellentes, ita de Epiſcopo ſcitè dici poteſt, ei plura quoque ora eſſe oportere, quæ populum erudiant. Quocirca decernit ibidem Imperator, ut tametſi Conſtantinopoli vectigalia doctoribus ab Imperatore ſint conſtituta, ipſi tamen nonniſi ejus urbis Archiepiſcopi auctoritate ad docendi munus deligantur. Ex quo obſervat vir juris conſultiſſimus Petrus Toloſas, ita rectam rationem flagitare, ut qui in publicis Scholis juventutem erudiunt, ii ab Eccleſiæ Præſulibus poteſtatem, vectigalia à civili Principe conſequantur. In Weſtphalia autem cùm Imperator Carolus Magnus Epiſcopis jure ſuo ceſſerit, atque ita hos pópulos, ut ipſe loquitur, *pro amore illius, qui ei victoriam contulit, ipſi tributarios & ſubjugales devotè addixerit*, næ is Epiſcopus omnes penitus officii ſui partes intelligit ac perſpicit, qui turpe exiſtimat ex opibus, quas civilis Princeps bello partas ſponte Eccleſiæ commodis conſecravit, non quantum Reſp. flagitat, in doctrinarum cultum derivari, quem ille, ſi eas retinuiſſet, omni ope alere, & ornare ſui muneris eſſe duxiſſet. Ac licet omnes Weſtphaliæ Epiſcopi in eadem eſſe cauſſa videantur, tamen quoniam non videbuntur rationes Eccleſiarum expoſcere, ut in ſingulis Academiæ ſint: ubi id in quæſtionem vertitur, ad quem ex omnibus hæ partes ſint deferendæ, equidem cenſeo eum, cujus Eccleſia dignitate cæteris antecellat, præclarè facturum, ſi, cùm ita tempora Reip. poſtulabunt, ultrò eas ipſe ſibi depoſcet. Fere enim, cui excelſiorem locum majores noſtri tribuendum putarunt, ea Eccleſia opportunitate regionis, ſplendore, aliiſque rebus eſt ornata, ut cùm amplitudinem quandam ſuo Antiſtiti poſſit ejus nomen afferre, verendum non ſit, ne ſapien-

Lib. 8. de Inſtit. Cyri.

De rep. l. 18. c. 3. §. 8.

Apud Adam. Brem. cap. 10.

pientiæ cultoribus non ſit ornamento. Jam verò inter Weſtphaliæ Antiſtites Paderbornenſem obtinere longè principem dignitatis gradum, nemo eſt qui ignoret, niſi qui in ratione Conciliorum Eccleſiaſticorum, Conventuumque Imperialium, & omnis memoria vetuſtatis rudis ſit, atque peregrinus. Et erit quiſpiam qui miretur, in ea Urbe conſtitui primam Weſtphaliæ Academiam, in qua tot ſæculis ſit Eccleſia Cathedralis, cui cæteræ & antiquitate, & opibus, & provinciarum amplitudine, clienteliſque florentes non dubitent de honore concedere?

CAPUT III.

Religio Chriſtiana Paderbornâ manavit in univerſam VVeſtphaliam. Bonæ litteræ in VVeſtphalia ab initio comitatæ religionem Chriſtianam.

Ann. Francorum, Regino, alii, anno Domin. 777.

Apud Gobelin. in Coſmod. at. 6. c. 38.

DEinde cui dubium eſt, quin Chriſtiana religio Paderbornâ, velut à capite, in univerſam Weſtphaliam permanarit? Etenim gente universâ à Carolo Magno perdomitâ hìc prima Synodus eſt habita, in qua primoribus, magnâque populi multitudine baptiſmo luſtratâ, ſalutares primùm rogatæ leges, & jura ſancita ſunt. Itaque vir eruditus, & pius, qui Arnulfi Cæſaris ætate ſtudiis litterarum, & ſanctimoniæ florebat, pulchrâ ſanè imagine, Paderbornam eum locum eſſe ſcripſit, ubi duri ad eam diem, atque inſtar ſilicis indomiti Saxonum animi, ferro D. Caroli icti, tandem in ſcintillam Chriſtianæ fidei emicuerint. quæ ſcintilla in immenſum poſtea creſcens incendium, non Saxones modò omnes, ſed Vandalos quoque, aliaſque remotiſſimas gentes corripuerit. Unde idem exiſtimavit Paderbornenſi Eccleſiæ rubram crucem pro inſigni relictam eſſe, quòd in ea primùm Saxones, & Weſtphali cruentis Caroli prœliis compulſi, ſub hoc CHRISTI ſigno militare cœpiſſent. Quid tum poſtea? dicet quiſpiam. ſit ſanè Weſtphaliæ Religio primùm nata Pa-

ta Paderbornæ. num ideo Academiæ inſignibus una digna eſt? non equidem id nunc pugno: ſed tamen æquum eſſe cenſeo, ut qua ex Urbe tota olim Weſtphalia hauſit Religionis initia, in ea ne ægrè ferat domicilium conſtrui, unde omnium, quæ quidem religioni ancillentur, artium ratio petatur. Equidem ipſas artes exiſtimo, ſi rogarentur qua in Urbe Weſtphaliæ certam ſibi ſedem figi vellent, non aliam delecturas, atque eam, quam Religio, unde in omnes plagas ſe latè diffunderet, primam optaſſet. Etenim illæ poſtquam unà cum Religione indè ab ultima Britannia in has oras navigarunt, omniumque fuerunt ejus periculorum participes, tandem in hac Urbe unà cum illa primùm ſtabile domicilium collocarunt. Conſtat enim ſanctiſſimos illos viros, qui ex eadem prognati Saxonum gente, in Britannia, miſſam ſibi Româ & fidei, & doctrinarum lucem hauſerant, neutiquam commiſiſſe, ut cognati Saxoniæ & Weſtphaliæ populi alterutram ad ſe non importatam eſſe jure queri poſſent. Sic enim viderant à ſuis illis in Britannia præſtantiſſimis magiſtris uſurpari, ut arctiſſima ſemper retineretur inter Religionem, Doctrinamque concordia. Cujus inſtituti præcipuam ſibi laudem vendicat Theodorus Archiepiſcopus Dorovernenſis, qui natus Tharſi urbe Ciliciæ, à Vitaliano Papa initiatus, in Britanniam venit anno CHRISTI DCLXVIII. Is cùm ſacris profaniſque litteris eſſet inſigniter eruditus, haberetque ſuorum laborum ſocium, atque comitem Adrianum Abbatem natione Afrum, virum item doctiſſimum, mirificum ſtudiorum ardorem in Britannia omnium animis injecit. Audi enim quid de utroque narret venerabilis Beda. *Quia*, inquit, *litteris ſacris, ſimul & ſæcularibus, ut diximus, abundanter ambo erant inſtructi, congregatâ diſcipulorum catervâ, ſcientiæ ſalutaris quotidie flumina, irrigandis eorum cordibus emanabant, ita ut etiam metricæ artis, Aſtronomicæ, & Arithmeticæ Eccleſiaſticæ diſciplinam, inter ſacrorum apicum volumina ſuis auditoribus contraderent. Indicio eſt, quòd uſque hodie ſuperſunt de eorum diſcipulis, qui Latinam Græcamque linguam æquè ac propriam,* in-

Beda lib. 4. hiſt. cap. 1.

Lib. 4. hiſt. Eccl. Angl. cap. 2.

in qua nati ſunt, norunt. Neque unquam prorſus ex quo Britanniam petierunt Angli, feliciora fuêre tempora, dum & fortiſſimos Chriſtianoſque habentes Reges, cunctis barbaris nationibus eſſent terrori, & omnium vota ad nuper audita cœleſtis regni gaudia penderent, & quicumque lectionibus ſacris cuperent erudiri, haberent in promptu magiſtros qui docerent. Delectat me, fateor, Princeps Illuſtriſſime, hæc ſanctiſſimi, & eruditiſſimi Theodori memoria, vel eò, quòd te ejuſdem auſpicatiſſimi nominis Præſulem, ſentiam eandem temporum felicitatem Weſtphaliæ conciliare conari. Quid enim aliud agis, quid moliris, niſi ut Reſpub. pacis otio, & tranquillitate aliquando reddita, omni divinæ humanæque ſapientiæ ubertate perfruatur? Hujus è Theodori ludo prodierunt viri illi ſanctiſſimi Bonifacius, Suibertus, Ewaldi & alii, qui paullò poſt ejus exceſſum, ut hanc, vicinaſque terras CHRISTO ſubjungerent, indè ſunt profecti. Non enim illi ſolam religionis, verùm etiam omnis liberalis doctrinæ lucem ſe afferre profitebantur. Sed nimirum diu nimium noſtrates utramque ſunt aſpernati: diu fruſtra ſtabilem in Weſtphalia ſedem, & domicilium quæſierunt. Siquidem inter aſſiduos fremitus armorum, & rebellium bacchationes nuſquam tutò templa, nuſquam Scholæ ponebantur. Interea extra Weſtphaliam, qui è media patriæ jactatione eripi poterant, ſub idoneis magiſtris Weſtphali adoleſcentes Chriſtianis moribus, & doctrinis utcumque tingebantur. Nam Trajecti ludus erat, quem D. Gregorius regebat, D. Bonifacii Martyris auditor. In eo S. Ludgerus, qui deinde primus Monaſterii Antiſtes fuit, erudiebatur, & unà cum eo, ut ipſe loquitur, *quidam de novella Dei plantatione diebus noſtris inchoata Freſonum & Saxonum.* Wirceburgi quoque D. Caroli voluntate duodecim nobiliſſimi adoleſcentes, D. Burckardi præceptis imbuebantur, è quibus duo primi Paderbornenſis Eccleſiæ Præſules ſunt delecti. Quid quòd ejuſdem Imperatoris inſtituto Romæ ejuſdem gentis quaſi quoddam ſeminarium fuit, quod Schola Saxonum dicebatur, non longè ab æde S. Petri, ut in ipſa quaſi Catholicæ Religio-

S. Ludgerus in commem de SS. Bonifacio, & Gregorio. Vitæ Baron. in Mart. a.d 10. Nov.

ligionis arce unà pietatem litteraſque condiſcerent? At verò poſtquam Magni Caroli invictâ virtute in Paderbornenſi Synodo totius Weſtphaliæ conſenſu CHRISTI fides ſuſcepta eſt, noluit illa ſine comitatu bonarum artium ac diſciplinarum, quas conſtantiſſimas adverſis ſuis rebus comites habuerat, patefactos jam ſibi Weſtphaliæ fines ingredi. Idem igitur dies, eadem Synodus, eadem Paderborna omnium quæ deinde in Weſtphalia extiterunt, & templorum & Scholarum, uno eodemque decreto fundamenta poſuit. Parne erat eam ejus boni expertem remanere, cujus ipſa cæteris urbibus ac terris tamdiu fruſtra expetitam facultatem obtulerat? Poteſtne illa indigna videri, quæ omnium diſciplinarum honeſtarum vocibus perſonet, in qua primùm illa vox audita eſt conſentientis conſpirantiſque Weſtphaliæ, ut armis poſitis, abjectâ impietate, exturbatâ barbariâ, pax, religio, humanitas, & humanitatis parentes bonæ litteræ colerentur?

CAPUT IV.

Olim quoque & inferiores & ſublimiores doctrinæ Paderbornæ floruerunt.

VIde, Princeps Illuſtriſſime, quæ mens fuerit majorum tuorum, graviſſimorum hujus Urbis Antiſtitum, quibus non mediocri ſtudio fuit, in ea omnium artium ſtudia nutrire, quibus ſalutaris fides propagatur atque defenditur. Intelligebant enim Weſtphalis uſuveniſſe, quod alicubi confirmat Auguſtinus: *Multis*, inquit, *profuit (quod experimentis probavimus, & probamus) priùs timore vel dolore cogi, ut poſtea poſſint doceri.* Igitur quo in loco, terrore armorum fortiſſimi Imperatoris compulſa Weſtphalia, Chriſtiana ſacra ſuſceperat, in eo providendum ſibi putarunt, ne unquam deeſſent magiſtri exercitationeſque doctrinarum. Quæ tametſi nullo fere tempore omninò jacuerunt, fuit tamen cùm eo ardore celebrarentur, ut, præter hodiernum Academiæ

Ep. 20. ad Bonif.

nomen, nihil admodum deſiderares. Quâ enim tempeſtate, ut alios prætercam, Meinwercus ille Paderbornæ nobiliſſimum decus, ad clavum hujus Eccleſiæ ſedebat, non modò optimi Latinitatis auctores Salluſtius, Virgilius, Statius explicabantur, verum etiam florentiſſimi adoleſcentes, Rhetoricis, Dialecticis, Arithmeticis, Geometricis, Phyſicis, omni denique genere liberalis eruditionis informabantur. Ejus veſtigiis cùm alii deinceps Antiſtites, tum præcipuè is qui duodecimo loco huic Urbi præſedit, Imadus, ipſius Meinwerci è ſorore nepos, inſtitit; qui ſeveriſſimâ avunculi diſciplinâ, à pauxillo puero, ad omnem ſanctimoniæ ſapientiæque laudem inſtitutus, non commiſit, ut tanto viri ſanctiſſimi labore accenſa rerum pulcherrimarum ſtudia, ſuo tempore reſtinguerentur. Atque utinam vetuſtatis injuria, atque crebræ hujus Urbis & primariæ Eccleſiæ deflagrationes paullò plura nobis hujus tam præclaræ voluntatis reliqua monumenta feciſſent! eſſet profectò unde liquidò diſceremus ſapientiſſimas tuas, Princeps Optime, curas & cogitationes, cum præſtantiſſimis majorum tuorum conſiliis ita congruere, ut non tam eorum virtutem æmulando expreſſiſſe, quàm ipſos tanto intervallo vivos in Te, ſpirantesque retuliſſe videaris. Nunc autem, tuarum quidem virtutum formam integram, & undequaque emicantem ſplendorem intuemur: illorum autem quæ fuerit ſpecies, velut è reliquis nobilium ſtatuarum fruſtis conjecturâ aſſequimur. Cujuſmodi ſunt verſus, quos hic ipſe Imadus, de quo nobis eſt ſermo, inſcripſit veſtibulo voluminis pervetuſti, in quo ſunt Philonis Judæi nonnulla monumenta. Id volumen è miſerabili naufragio ornatiſſimæ bibliothecæ, quam ille bonis artibus adjuvandis extruxerat, tuo Princeps Illuſtriſſime munere, unà cum aliis præſtantiſſimis libris, in Collegio noſtro viſitur. Verſus porrò Imadi ſunt hi:

Vita B. Meinwerci. c. 52.

Eccleſiæ CHRISTI, *ſanctaque* DEI *Genetrici,*
Offert hunc librum devotus Præſul Imadus.

Quibus verbis oſtendit ſapiens Antiſtes, non ſibi modò curæ

ræ fuiſſe, ut perpetuò Religionem honeſtis artibus copularet, ſed etiam cùm immortalium ingeniorum partus ad locupletandam his talibus Eccleſiam perquireret, id perinde DEO gratum exiſtimaſſe, atque ſi aras & templa poneret. Qui ita de codicibus, mutiſque membranis ſentiebat, quid is ſe facere credebat, cùm ipſos adoleſcentum animos, quorum paullò poſt innocentiâ atque doctrinâ Eccleſiæ dignitas niteretur, optimis diſciplinis imbueret? Si enim qui rudes hominum animos CHRISTO conciliant, ii quoddam ſacrificii genus, ut eſt apud Apoſtolum, DEO faciunt, nihilne operantur, qui ipſos plurimorum magiſtros mox futuros omni eâ litteraturâ expoliendos curant, quâ ſit opus ad tam auguſtum, & humano generi ſalutare munus pro dignitate ſuſtinendum? Equidem nihil dubitem negare ullam hecatomben DEO perinde decoram gratamque eſſe potuiſſe, atque ornatiſſimus ille nobilium adoleſcentum cœtus, qui illis temporibus in Paderbornenſi Eccleſia, cùm omnium præſtantium artium ſcientiam percepiſſent, alii ad alias Eccleſias regendas vocati, illuſtribus ſuam quiſque promeritis ornaverunt.

Rom. 15. v. 16.

CAPUT V.

Viri ſanctitate & doctrinâ illuſtres, qui è Paderbornenſi Gymnaſio prodierunt.

IN iis fuiſſe legimus Unwanum Meinwerci, atque Imadi propinquum, qui è Choro Paderbornenſi, ut loquitur Adamus, aſſumptus, atque à S. Henrico Archiepiſcopus Bremenſis renunciatus, ſatis oſtendit, præclara ſe quædam Paderbornæ ſapientiæ & virtutis rudimenta poſuiſſe. Hic eſt enim ille Unwanus, qui Bernardum Saxoniæ ducem res novas adverſus Henricum ſanctiſſimum Cæſarem molientem, omnes Saxoniæ Eccleſias inaudito ſcelere vexantem, &, quod nefas eſt dictu, Vandalorum gentem per ſummam

Adam. Bremenſ. c. 86.

impietatem à Chriſtianis ſacris ad Ethnicam ſuperſtitionem minis armiſque cogentem fregit, ac domuit. Ille perpetuâ neceſſitudine doctiſſimis viris jungebatur, quos partim nuſquam ab latere ſuo dimittens, omnibus in negotiis adhibebat: partim ad traducendos ad CHRISTUM populos in Daniam, ac Norwegiam amandabat. In illo tanta erat fluxarum opum deſpicientia, ut non dubitaret, ingentibus Eccleſiæ ſuæ ſumptibus atque jacturis, Aquilonares Reges populoſque prenſare, & dum eorum animos CHRISTO conciliaret, ſuarum fortunarum detrimenta in lucro ponere. E-
Cap. 52. ducatus eſt deinde Paderbornæ cum Imado S. Anno Archiepiſcopus Colonienſis, ut refert auctor vitæ B. Meinwerci. neque refert, quòd ejus inſtitutio à Lamberto Schafnaburgenſi, & aliis, Eccleſiæ Bambergenſi attribuatur. Id enim eò factum eſſe ſuſpicor, quòd idem deinde Bambergenſis Eccleſiæ Scholaſticus fuit, atque ita cùm in utraque litteras didiciſſet, potius habita eſt ratio ejus, in qua præterea docuiſſet. Facilè quoque induxerim animum, propter incredibilem D. Henrici in utramque Eccleſiam amorem & pietatem, tantis munificentiæ documentis teſtatam, eâ tempeſtate ſingularem quandam Paderbornenſi, cum Bambergenſi Eccleſia amicitiam ac ſocietatem interceſſiſſe. nam poſt mortem quoque D. Henrici, Poppo Paderbornenſis Epiſcopus, qui Imado ſucceſſit, Bambergenſis Eccleſiæ Præpoſitus fuerat: ut jam non ſit neceſſe perveſtigare, quemadmodum fieri potuerit, ut idem S. Anno & Bambergæ, & Paderbornæ ſit eruditus. Porrò de S. Annonis laudibus dicere quid attinet?
Aliis IV. Cui enim ignota eſt illius viri prudentia, qui Henrico III. Cæſare necdum ad regnandum maturo, cùm ejus eſſet tutor deſignatus, univerſum imperium aliquot annos ſuis humeris ſuſtinuit? quis de ejus facundia nihil legit, quo dicente complorantium gemitu templa perſonabant? Nam morum ſanctitas tot miraculis confirmata divinitus, & publicis Eccleſiæ faſtis conſecrata latêre neminem poteſt. Annoni jungi-
Ibid. tur ab auctore vitæ B. Meinwerci, in Gymnaſio Paderbornenſi

nenſi condiſcipulus, Fridericus Monaſterienſis Epiſcopus, nempe is qui ſextusdecimus eſt ordine, ſi Krantzio credimus, Marchionis Miſniæ filius. Hic quantum ex Annonis & Imadi contubernio ac condiſcipulatu profecerit, perpetuâ in viros doctos voluntate, & ſingulari quâdam excelſitate mentis oſtendit. Fortè cùm Monaſterium veniſſet, repperit viros Eccleſiaſticos non paucos, doctos juxta ac pios, laudabilem inter ſe quandam Religionis & litterarum ſocietatem coiiſſe. Ad hunc cœtum, ut eſt in excellentibus ingeniis inſatiabilis proficiendi cupiditas, ſeſe eveſtigio aggregavit. Factus deinde Epiſcopus ædem Sacram D. Mauritii in ſuburbano extruxit; fundatoque ad eam honeſtiſſimo Canonicorum Collegio, quantum in ſe fuit, providit, ne unquam Eccleſiæ ſuæ eorum hominum copia deeſſet, quorum inſtitutis ac moribus plurimum ducebatur. Et quanquam, cùm infulâ Magdeburgenſi à plurimis digniſſimus judicaretur, Weziloni D. Annonis germano poſthabitus eſt, tamen nihil animo fractus, aut dejectus, illuſtre de ſe documentum dedit, non eſſe quòd, qui jam indè ab adoleſcentia virtutum ſibi & ſapientiæ ornamenta pararunt, altiorem aliis dignitatis gradum invideant, cùm in eorum ſit manu, in quocumque fuerint collocati, proprium ei quoddam decus ac ſplendorem impertiri. Hos conſecutus eſt S. Altmannus, qui, ut loquitur ejus vitæ ſcriptor, Paderbornæ ad regimen ſcholarum delectus, multoſque annos eo munere præclarè functus, primùm Præpoſitus Aquiſgranenſis, ac deinde Epiſcopus Patavienſis eſt renunciatus. Is in conventu Tribarienſi, ubi Henrico Tertio Imperatore graviſſimorum criminum à Principibus reo facto, atque à Gregorio VII. Pont. Max. ſacris interdicto, de ſumma Reipub. agebatur, unà cum Sigehardo Patriarcha Aquileienſi, ejuſdem Pontificis vicem egit, *vir*, ut ait Lambertus, *Apoſtolicæ converſationis, & magnarum in Chriſto virtutum.* Neque verò præteriri debet Vicelinus, vir longè ſanctiſſimus, quem Holſatiorum, plurimorumque ad Aquilonem populorum Apoſtolum rectè dixeris.

Metrop. l. 5. c. 8.

Chron. Monaſt. MS.

Edita à v. Cl. Sebaſt. Tengnagel è Bibliotheca Cæſarea.

Lamb. Schafn. an. 1076.

 xeris.

Helmoldus hiſtor. Slav. l. 1. cap. 43. Krantz. l. 6. Metrop. cap. 2. Saxon. l. 5. c. 29.

xeris. Ad eorum ſalutem procurandam cùm eſſet deſignatus à DEO, eſſetque inſigni vitæ integritate, ſed minimè pari doctrinâ præditus, hujus ei quoque comparandæ caſum obtuliſſe dicitur. Verſabatur Vicelinus in ulteriori Saxonia, in familia feminæ illuſtris, cujus teneros liberos erudiebat. fortè, ut inter potentium aſſeclas & familiares fieri ſolet, fuit qui herilem illi gratiam, feliceſque ſucceſſus invideret. Is cum ſumma viri innocentia nullam obtrectandi materiam daret, inſcientiam exagitare aggreditur. Promit verſum ex Achilleide Statii Papinii, cujus explicatio aliquid ſupra vulgus eruditionis expoſceret. Eum locum ſibi explanari convitio flagitat. hîc, cùm bono Vicelino hæreret aqua, ille ſcilicet illudere, & exprobrare, quòd ipſe rudis & imperitus alios ſe docere poſſe confideret. Pupugit hæc oratio, ut minimè malum, ita neque vilem abjectumque animum. Ergò dolore diſſimulato, atque in diſcendi ſtudium converſo, Paderbornam advolat, ubi ſub Hermanno viro doctiſſimo, de omni propè genere doctrinarum ſcholas celebrari cognorat. Ibi tantum progreſſionis brevi habuit, ut magiſtrum ſubinde in docendo ſublevaret, & ſecundas partes ageret, mox etiam Bremæ Ludum ipſe adminiſtraret. Aliquot poſt annis, cùm ferre non poſſet in Slavorum, ſive Vandalorum gente, quorundam ſcelere, fidem Chriſtianam vulgò abjici, atque prodi, ſanctius quoddam docendi munus eſt exorſus. Trajecto ſiquidem, cum aliquot ejuſdem propoſiti ſociis, Albi, & factâ ab Henrico Vandalorum Principe poteſtate, vigintiquinque ipſos annos per incredibiles ærumnas, ſummamque vitæ ſanctitatem, toto animo ad revocandos ab Idolis ad CHRISTUM populos incubuit. Ad extremum ab Hartwico Hamburgenſi Archiepiſcopo, Aldenburgi, quæ Eccleſia complures annos Slavorum furore deſerta ſquallebat, jam grandis natu Epiſcopus eſt conſtitutus. In quo dignitatis gradu nihil de illa priſtina docendi, miſeroſque ad frugem reducendi contentione remiſit, neque unquam remiſiſſet, niſi plura quotidie pro DEI gloria

ſanctè

ſanctè facere, & fortiter pati meditantem mors oppreſſiſſet, atque ad partam tot laboribus in cœlo palmam aliquando vocaviſſet. Hos tales ac tantos viros, cujuſmodi vix ſingulos ſingulæ ætates ferunt; uno fermè ſeculo omnes Paderborna formavit, vel perfecit, quo tempore non in ea modò à civibus, ſed etiam ab exteris ſimul de Chriſtianæ virtutis, ſimul de ingenuarum artium gloria certabatur. Tunc omnibus perſuaſum erat, flagitium eſſe, ſi, cùm parens liberis patrimonium augere laboraret, animi bona, quibus Reip. proſint, habeant necne, flocci non faceret. Tunc majorum inſignia, & natalium ſplendor ei probro cenſebantur eſſe, qui, dum per ætatem liceret, propria ſibi decora non quæſiſſet, quibus relictam à progenitoribus claritudinem tueretur, & augeret. Tunc ſeriò ſentiebant viri Eccleſiaſtici dignitatem illam ſui ordinis, quam majores noſtri, præ cæteris gentibus, opibus, clientelis, ditione florentiſſimam eſſe voluerunt, ſine Chriſtianæ ſanctitatis, & rectæ ſcientiæ ſtudiis, in quibus omnis eorum vera gloria vertitur, retineri nullo modo poſſe. Tunc denique Antiſtites perinde erant animati, atque Te, Princeps Illuſtriſſime, nunc videmus: ut me hæc ipſa reputantem ſpes oblectet fore, ut, cùm Tu nobis Meinwerci atque Imadi felicia tempora reſtituas, ſi hæc juventus ad omne decus nata, tuis ſapientiſſimis conſiliis, optatiſque reſpondeat, ex ea Annones, Altmannos, Vicelinos aliquando videamus.

Caput VI.

Paderborna Imperatorum in VVeſtphalia proprium domicilium.

SPero equidem neminem fore tam duri oris, qui, cùm tot Reip. lumina ſe Paderbornæ exortum lucemque ſuam acceptam ferre teſtentur, etiam ambigat, ſitne Paderborna præſtantibus ingeniis percolendis idonea. Poteſt tamen

tamen horum ſententia ſapientiſſimorum Principum auctoritate confirmari. Sic enim adhuc in deligendo conſtituendis Academiis loco obſervatum eſt à prudentibus: quibus in Urbibus Principes commorantur, eâdem operâ gymnaſii celebritate dignas judicari. Primùm enim hoc amore Principem in bonas litteras eſſe oportere, ut eas, quantum fieri poteſt, aſſiduò in oculis atque in ſinu ferre deſideret. Deinde magni referre ad integritatem doctrinæ conſervandam, juvenumque licentiam refrenandam, ipſo Principe, graviſſimiſque viris, quorum conſiliis in Rep. utitur, arbitris, tractari ſtudia litterarum. Denique, quæ in eligenda ſibi ſede Principes ſequi ſolent, cœli ſalubritas, ſoli ubertas, atque amœnitas, eorum quæ ad victum cultumque pertinent vilitas & copia, ſecura pax, & tranquillitas, aliæque ejuſdem generis commoditates ſunt eæ ipſæ, quas ſpectare Academiarum inſtitutores jubentur. Tametſi verò quibus locis ii quoque Principes ſe tenent, qui non in ſummo ſunt totius Reip. gradu, pleraque minimè abhorrent à rationibus hominum litteratorum, tamen quoniam neque illi provincias habent ampliſſimis regionibus terminatas, neque omnes provinciæ pares rerum omnium honeſtarum commoditates, perſpicuum eſt, eas demum urbes, ante alias, bonarum artium gymnaſiis accommodatas eſſe, quas ſupremi Reipubl. Principes ſuo domicilio cohoneſtant. Porrò quamvis in Weſtphalia nunquam Imperatores noſtri ſtabilem ac perpetuam ſedem conſtituerint, tamen quotquot adhuc in ea verſati ſunt, non obſcurè præ ſe ferre viſi ſunt, ſi quæ eos Reipubl. utilitas in Weſtphaliam accerſeret, non alibi libentius, quàm Paderbornæ habitaturos eſſe. Atque ut à D. Carolo Magno Auguſto exordiar, qui primus hanc terram non tam veſtigiis, quàm victoriis peragravit, ubi ille crebrius, ubi diutius morabatur? Ubi contrahebat copias? ubi feſſas vires recreabat à prælio? ubi audiebat ſupplices? ubi jus dicebat populis? ubi reſpondebat legatis? ubi habebat conſilium? ubi leges ferebat? Nonne Paderbornæ? Huc ille anno

Ann. Franc. Regino, &c.

CHRI-

CHRISTI DCCLXXVII. omnes fermè Saxoniæ primores congregatos Chriſtiana ſacra ſuſcipere, & ſacramentum dicere coëgit, nunquam ſe à JESU CHRISTI fide, nunquam à ſuo poſterorumque imperio deſcituros. Si fallerent, nihil cauſſæ dicturos, quin capite deminuti, libertate, fortuniſque omnibus multarentur. Hîc eodem conventu tres Saracenorum Principes indè ab Hiſpania profecti, ſunt auditi. Huc anno DCCLXXXIII. ante illuſtrem illam victoriam, cùm ingenti ad Haſam amnem prœlio propè eſt debellatum, ſuos conduxit exercitus. Hîc biennio poſt, iterum Concilium habuit, cùm à Carolo Juniore ipſius Magni filio Weſtphali ad Luppiam fuſi fugatique eſſent, unaque jam illa deliberatio perfectam, conſtantemque Reip. quietem moraretur, quemadmodum Viticindus, & Abbio perduellium duces, in Regis poteſtatem venire poſſent. id quod haud multò pòſt eſt adeptus. Denique quî tandem potuit luculentius demonſtrare, quanti ex omnibus Weſtphaliæ urbibus unam faceret Paderbornam, quàm cum anno DCCXCIX. Leonem III. Pont. Max. inauditâ crudelitate à conſceleratis Quiritibus linguâ oculiſque captum, & urbe profugum accepit? Erat in Carolo ſingularis adverſus excelſiſſimum illud Apoſtolicæ dignitatis faſtigium pietas, & obſervantia. Erat Leonis ea virtus & innocentia, quæ ob admirabilem exectâ linguâ, erutiſque oculis videndi ac loquendi facultatem conſervatam divinitus, vel in privato coli mereretur. Ipſa denique tanti viri calamitas omnibus ſe officiis, atque honoribus leniri, & compenſari poſtulabat. Ad hæc omnia delegit Rex ſapientiſſimus Paderbornam, quæ una tam auguſta illi viſa eſt; ut non modò duos ſimul ſummos orbis Chriſtiani Principes capere, & complecti poſſet: ſed etiam cum alterius, qui hoſpitio invitabat magnitudine animi paria facere, alterius qui accipiebatur ita diuturnum, & acerbum dolorem, luctumque demere, ut honori non deeſſet. Neque verò hoc Imperatoris omnium maximi de Paderborna judicium, unà cum ipſo extinctum, ſepultumque eſt; ſed pervaſit, ac permanavit

Anaſtaſius Bibliothec. in vita Leonis.

g vit

Annales Ludovici, qui Aſtronomo tribuuntur.

vit ad poſteros. Siquidem Ludovicus Imperator cognomento Pius Caroli M. filius, anno CHRISTI DCCCXV. cùm Haraldus Danorum Rex ab æmulis regno pulſus in ejus fidem atque clientelam ſe contuliſſet, opemque poſceret, non ſolum Saxoniæ, ſed etiam Vandaliæ proceres huc coëgit ad commune conſilium, cùm de his auxiliis Dano ferendis, tum de cæteris Reipubl. commodis. Hujus quoque filius item Ludovicus, cui in partitione aviti regni ulterior Germania obtigerat, poſtquam Obotritos defectionem molientes, cæſo eorum rege Gozzomvile, bello domuerat, anno proximo ſequenti, qui fuit à CHRISTO nato DCCCLXV. Paderbornæ generalem conventum habuit, cui & fratrum ejus Lotharii Cæſaris, & Caroli Galliarum Regis, atque etiam Normannorum, Slavorum, Bulgarorum legati interfuerunt. D. verò Henrici Imperatoris, ut ſanctitate, ita rebus domi, atque militiæ ſapienter & fortiter geſtis longè clariſſimi, egregiam in hanc urbem voluntatem, quâ tandem oratione conſequar? Num dies ullus Paderbornæ illuxit glorioſior quarto Idus Sextiles (qui D. Laurentio Martyri ſacer eſt) ANNI MII. quo die D. Kunegundis Auguſta, D. Henrici non tam Imperii, quàm cæleſtis cujuſdam caſtimoniæ conſors, in oculis ipſius Cæſaris, atque omnium propè Germaniæ Principum, à Willigiſo Archiepiſcopo Moguntino in æde ſacrarum principe, impoſito diademate ritè eſt inaugurata? Quando verò Henricus deinde pedem unquam in Weſtphaliam attulit, quin Paderbornam reviſeret? Non anno MXIII, cùm Paſchales ferias; non altero poſt anno, cùm Natalem Chriſti hîc egit. Non anno MXVII. cùm bellum moturus magnis copiis adverſus Boleſlaum Poloniæ Ducem Kunegundem Auguſtam huc accerſiit. Non propinquâ jam morte, cum diutius Paderbornæ apud Meinwercum diverſatus, incertum reliquit, pluſne ampliſſimis largitionibus hujus Eccleſiæ opes auxerit, an virtutem illuſtribus ſanctitatis documentis inflammarit. Quid ejus ſucceſſor Conradus cognomento Salicus? non ille anno MXXV. id eſt ipſo principatus exor-

Ann. Fran.

Adelboldus in vita S. Henrici.

Ditmarus Chron. 6.

Idem l. 7.

Vita Beati Meinwerci. c. 78.

exordio, *Epiphaniam Domini in Patherbornenſi civitate*, ut loquuntur annales, *more regio peregit?* Nonne anno ejuſdem ſeculi XXX. idem Imperator die CHRISTI natali erat in Eccleſia Paderbornenſi, cùm Aribo graviſſimus & integerrimus Archiepiſcopus Moguntinus, pro concione, ipſum Cæſarem & Epiſcopos, qui frequentes convenerant, ut ſibi bonâ eorum veniâ Romam pietatis cauſsâ proficiſci liceret, Clerum verò omnem, ac populum, ut remiſſionem peccatorum ſibi à Domino expoſcerent oravit? Cui affine eſt, quod de D. Bardone item Moguntino Antiſtite, qui proximè Aribonem conſecutus eſt, Lambertus commemorat. Is tam admirabili fuit ſanctitate, ut eam DEUS luculentis prodigiis illuſtrarit; tam inuſitatâ dicendi vi, ut Chryſoſtomi nomen invenerit. Utriuſque illuſtre ſpecimen dedit Paderbornæ, coram Henrico Cæſare ejus nominis ſecundo, vel, ut alii malunt, tertio. Ibi enim cùm, ut ſolebat, verba piè & diſertè feciſſet in ornatiſſimo Cæſaris & Principum conſeſſu, ipſo die Pentecoſtes, denunciavit propediem ſe moriturum, atque eodem menſe deceſſit. Denique hodie quoque viſuntur Paderbornæ ædes, quas vetus fama eſt Henrici IV. Imperatoris fuiſſe, eſſeque eas, quibus Leo Pontifex, cùm apud Carolum divertiſſet, eſt receptus. Neque verò nunc attinet aliorum Regum ad hanc urbem acceſſu, ludis equeſtribus, cæteriſque celebritatibus commemorandis immorari, cùm hæc pauca ſatis oſtendant, quo in numero ab iis, quos adhuc recenſuimus, ſit habita, in eodem Paderbornam ſuperioribus ſeculis apud omnes prudentes fuiſſe, & porrò eſſe oportere. Verè enim ante annos ſeptingentos ad Biſonem quartum hujus Urbis Epiſcopum ſcriptum eſt ab erudito ſcriptore de Tranſlatione Reliquiarum S. Liborii: Inter omnia loca principalibus Eccleſiis conſtituendis deſtinata *ſpeciali quâdam dignitate Patherbornenſis ſedes præcellit*. Neque immeritò ab Erinhero, qui vitam S. Heimeradi Presbyteri Tutelaris Haſungenſis verſibus deſcripſit, appellatur Sedes Regalis. Quid ni enim Regalis, quæ tot

Chronicon MS. P. Chriſtophori Broweri.

Vita S. Godehardi c. 27.

Lambertus anno 1050.

In proœmio.

Regum ſtudiis eſt cohoneſtata? Referam verſus expertes illos quidem artis, ſed tamen qui veteris memoriæ de Paderborna ſententiam ſine fuco nobis exponunt. Sic enim ille ingreſſus ſermonem de B. Heimeradi cum Meinwerco Antiſtite congreſſu:

Eſt locus egregius Patherbrunnon vocitatus:
Is quoque Regalis Sedes & Pontificalis.

Quòd ſi quis ergo præterea percunctabitur, quid ita, tot aliis poſtpoſitis urbibus, Paderborna publico in Weſtphalia gymnaſio decoretur? is cognoſcat Weſtphalis, qui præ cæteris populis ſint appetentes humanitatis & ſapientiæ, ejus poſſeſſionem rem prorſus regiam videri, atque ideò propriam ei ſedem ac domicilium, non alibi decuiſſe, quàm in *Regia Weſtphaliæ Urbe* collocari.

CAPUT VII.

Nihil Paderbornæ eorum deeſſe, quæ ad Academiæ ſplendorem & commoditatem requiruntur.

ET ſanè ſi faciem & ingenium loci intuebimur, fatendum nobis erit, nihil vel à priſcis illis Cæſaribus ornatius ad habitationis ſuæ dignitatem, vel abs Te, Princeps Illuſtriſſime, felicius ad commoditatem ſtudioſæ juventutis reperiri potuiſſe. Ac primi quidem illi viri ſapientes, qui Carolo Magno Cæſare è Britannia delati in Galliam, Pariſienſis Academiæ quaſi parentes fuerunt, cùm venalem ſe Sapientiam afferre profeſſi, interrogati eſſent, quibus rebus ad rem tantam opus eſſet, reſponderunt: opportunis locis, animis ingenioſis, victu, atque amictu. Atque ingenia quidem, quorum univerſa Weſtphalia inprimis eſt ferax, Paderbornæ deeſſe non poſſunt, præſertim cùm eo loco ſit ſita, ut ad eam ex omni Weſtphaliæ regione faciles ſint acceſſus. De copia verò rerum quibus vita ſuſtinetur, quæ poteſt cum ea Weſtphaliæ pars contendere? Cum enim Weſtphalia omnis

Sangall. l. 1. cap. 1. de geſtis Carol. M.

omnis, quà quidem ad Rhenum & Oceanum vergit, in latiſſimos expanſa campos, ob crebras paludes paſtioni ſit aptior quam ſegeti: quà verò Viſurgim, & Chattorum juga reſpicit, pinguiore ſit glebâ, præterquam ubi ſaltibus & ſilvis horreſcit; quis non videt opes utriuſque terræ eò loci confluere, ubi ſita eſt Paderborna? Hîc enim & planities paullatim quaſi emerſa ex uligine ad declivia montium aſſurgit; & montes in amœnos colles, leneſque clivos deſinentes, ad camporum ſe valliumque facilitatem inclinant; & vaſtitas illa ſilvarum in crebra nemora, & virentes diſſecta lucos, agris, hortis, arboretis plurimum relinquit ſoli. Itaque nuſquam alibi lætiora paſcua, nuſquam uberiora arva, nuſquam villæ cultiores. Quid enim fœcundius eo omni agro, qui ad exorientem ſolem, & meridiem editior, latèque diffuſus, oppidis, viciſque creberrimis colitur? Quid benignius illis ad occaſum, & ſeptentrionem jacentibus campis, quos è montibus, quibus hæc urbs utrimque in theatri propè ſpeciem cingitur, plurimi & limpidiſſimi irrigant rivi? In tanta terræ bonitate, cælique clementia quæ unquam macello, quæ granario, quæ penui ſit egeſtas metuenda? Quando enim vel hos campos paſcua, vel hos agros frumenta, vel hos clivos arbores, hortique fefellerunt? Quid ego de Cereali noſtro Baccho dicam? cui & frugem hæc pinguiſſima arva, & liquorem noſtri beatiſſimi fontes ſuppeditant. Quis illum guſtans, Cæcubum aut Falernum deſiderat? Habet enim majorem quàm vinum ſitis levandæ facultatem, neque fere quicquam de calefaciendi ſtomachi, & adjuvandarum virium virtute concedit. Quòd ſi, ut eſt apud Strabonem, Gymnaſio liberalium artium, quod erat Tharſi in Cilicia, Cydnus amnis, cujus ſaluberrima aqua ferebatur, plurimum celebritatis attulit, nihilne habebit ad illuſtrandam Paderbornæ Academiam, hæc ſalubrium fontium copia, quibus ambigere poſſis, pluſne palati & valetudinis, an aſpectus & voluptatis gratiâ delecteris? Neque enim ſentio quæ poſſit ſpecies eſſe jucundior, quàm trium fontium in media Urbe, ex eodem

Lib. 14. Geog.

colle, modico intervallo exorientium, tantamque ſubitò vim aquarum erumpentium, ut, non modicis effuſi rivis, antè in unum alveum viſendo ſanè agmine confluant, compluresque molas frumentarias priùs verſent, quàm ſe effundant è mœnibus. quanta amœnitas ſingulorum cùm ſeorſim fluunt? quanta omnium cùm uno amne labuntur? quàm juvat aquam ipſam omni cryſtallo puriorem intueri, & innaſcentes viridiſſimas herbulas numerare? quale ſpectaculum anaticulas, & cygnos videre in mediis undis pendulos, ſuſpenſâ caudâ, nitentibus contra profluentem pedibus, prono roſtro piſcantes? quæ voluptas ne ſævæ quidem brumæ inclementiâ unquam eripitur. Quâ enim tempeſtate nive omnia fœda ſunt, & gelu, non modò intra urbem, ſed etiam non modico foris ſpatio, ne ſecundùm quidem ripas, ut fert mos cæterorum amnium, vel in tenuiſſimas cruſtas conglaciat. Quid quòd eodem tempore peregrinas aves ad ſe noſter amnis allicit, quæ fluviis aſſuetæ, ubi glacie cæteris prohibentur, ad hunc confugiunt? Æſtate verò, poteſtne quicquam illis viridariis, hortis, pomariis, quibus utraque ejus ripa prætexitur, eſſe formoſius? Non enim nunc vacat aquam commemorare totâ propè urbe per canales ſingulari artificio diſpenſatam, non ſalientes fontes, non piſcinas, non lavatrinas, non ſexcenta commoda. Quòd ſi collibitum erit egredi urbe, quem non delectet curſum ejus proſequi, modo pleno incedentis amne, modò diviſis quaſi copiis inſulas ambientis, modò vario flexu, & grato errore per virentia prata ſerpentis, modò limpidiſſimos rivos amplectentis ſinu, modo celeberrimum Romanis annalibus flumen Luppiam, vel cum jactura ſui nominis generantis? Ab amne verò cùm diſceſſeris, quocumque conjeceris oculos, quanta, DEUS bone! ſe ubique ingerit in tam illuſtri naturæ varietate voluptatum ſeges? Aſpice hunc collem, in quo Paderborna non jacet, ſed cubat. poteſtne fieri quicquam his ſilvis, quas vertice oſtentat, altius, umbroſius, amœnius? num illo deinde modicè declivi, ſed latiſſimè ſe pandente, & quaſi venditante agro venuſtius?

nuſtius? Ima denique ejus pars, quæ urbem eſt complexa, quantis referta eſt ſepium, pratorum, hortorum, nemorum deliciis, ſive in umbra requieſcere, ſive apricari, ſive deambulare, ſive honeſtis ludis indulgere libeat? Nam quæ aliquanto longius ab urbe digreſſo finitimis locis avocare, & tenere animum poſſint, nimis longum eſſet enarrare. Neque enim oppidum aut vicum temerè reppereris, cui non proprias quaſdam opes, & amœnitates natura indulſerit? Quod ſi Heliconem gemino fonte inſignem Muſis poëtæ conſecrandum putarunt, quòd illâ venuſtate plurimum crederent levari curis ingenia, & ad commentandum exacui, quis hanc omnem regionem quæ eſt ſub urbe neget ſtudiis alendis natam? Ut enim ipſam urbem taceam Caſtaliis fontibus redundantem: ut nihil commemorem de Saltcotena oppido, aquâ, unde ſal coquitur, nobili: ut præteram Luppeſpringam, ubi primum eſt Luppiæ caput, habemus in propinquo Alpheum, cujus Arethuſam fruſtra rerum naturalium curioſi jam pridem perſequuntur. Nempe non longè à nova-Beca oppido rivus eſt non modicus, qui terrâ hauſtus ſeſe, neſcio quò oculis mortalium eripit. Mirabilius propè eſt, quòd duo rivi ad Liechtenavum oppidum confluentes, repentè abſorbentur, verùm non uno ſemper meatu, ſed prout aquæ impetus tulit. Itaque admodum quinque jam patent; neque dubitat interdum novos aperire. Ad veterem verò Becam in ſilva fons eſt, quem Tumultuarium vocant. Is ſitus eſt in clivo montis, è quo magna vis ferri & æris eruitur. Non jugiter, ſed intervallis fluit, ſic ut cùm unam circiter horam curſum tenuerit, mox inhibeat, ac tres, aut amplius horas quieſcat. Neque tamen ſtata ſemper tempora obſervat, aut vices. eſt enim cùm bis eodem die aquam profundat, eſt cùm ſemel. interdum ante, interdum longè poſt meridiem. Ferunt, quoties ſe ad curſum refert, ſibilum per cacumina arborum exaudiri, velut exurgentis venti: & primus prodeuntis impetus, quodam cum murmure fit ac ſtrepitu, quaſi ſe ad cava montis allidentis, & foras erumpere geſtientis aquæ. Quod ſi non vere-

vererer otio meo abuti, & tuâ, Princeps Illuſtriſſime, patientiâ, perſequerer oratione univerſam hujus urbis viciniam, atque demonſtrarem nullam eſſe oram, unde non præcipua quædam ſive commoda, ſeu oblectamenta, ad Academiam pertinere poſſint. At, inquiet fortaſſe quiſpiam, hæc loci commoditas atque jucunditas aëris inſalubritate corrumpitur. Nego poſt exortum Academiarum nomen, ullam conditam eſſe puriore cœlo. Procul enim cauſſas omnes habet peſtilentium aurarum. Quippe in declivi poſita, è longinquo ſepta jugis montium, quæ vehementiorem vim ventorum defendant, non niſi ſecundis aſſiduè perflatur. Itaque cùm his proximis ſuperioribus annis tota propè Germania, atque inprimis Weſtphalia noſtra, multi mortales peſtiferâ lue conſumerentur, ejuſque metu neceſſe eſſet, gymnaſiis clauſis, ſtudia literarum intermitti; Paderborna jam ab anno XCVIII. ſupra MD. inter crebros aliorum luctus & funera, conſtantem ſuorum ſtudiorum curſum tenuit. Sed jam mihi videor nonnullorum murmur exaudire, quibus, quæſo, Princeps Illuſtriſſime, ut ignoſcas. Si enim eorum orationem rectè aſſequor, non niſi ardenti quodam adverſus Celſitud. V. ſtudio permoventur. Quid ergo illi? De loco fatentur; de civibus alia omnia. Refricare enim ſtudent animum tuum eorum memoriâ bonorum, quæ per hoſce triginta annos, Paderbornenſibus tuis oſtendiſti: enumerant cohortationes, monita, decreta, minas: percenſent curas, labores, vigilias, ſumptus, pericula; cùm interea nihil ab iis, quod operæ pretium ſit, poſt tot conatus factum videatur. Itaque principiò negant, qui tot antea tua beneficia ſint aſpernati, nunc hoc præſtantiſſimum, & cum totius Weſtphaliæ gloria conjunctum mereri potuiſſe. Deinde qui in Principem ſuum optimum, & ſuæ ſalutis amantiſſimum tam fuerint invenuſti & inurbani, valdè verentur, ne ſemper eos illa morum commoditas deficiat, quam tanta virorum, adoleſcentumque multitudo omni humanitate perpolita deſiderat. Verùm iſti primùm, paucorum civium crimen, toti inferunt civitati.

tati. Deinde non vident, quo argumento ipſi utantur ad frangendum, vel infirmandum, hoc eodem te ad ſuſcipiendum uſum eſſe, & jam porrò uti ad perſequendum conſilium tuum. Quid enim? Sunt nonnulli minus bene morati. audio. nempe, ne rectè quidem de DEO ſentire, & loqui didicerunt. Eſt verò cùm pravarum opinionum, tum malorum morum una & eadem mater Ignorantia, quæ ſi luce ſalutarium doctrinarum aliquando diſcuſſa fuerit, vidiſti, Princeps Sapientiſſime, alios Paderbornam mores, alios cives habituram. Nihil enim ad profligandos errores, nihil ad ferociam domandam, nihil ad rectè componendum civitatis ſtatum doctrinâ præſentius. Lovanium accepimus, cùm civilibus armis, atque diſcordiis complures annos arſiſſet, eſſetque civitas mutuis cædibus propè perculſa atque afflicta, Joannem Brabantiæ Ducem conſilium cœpiſſe extruendæ Academiæ. Quid plura? brevi illa civibus priſtinam lenitatem, & concordiam reddidit, quam rerum omnium ubertas, & publica felicitas eſt conſecuta. Non aliam quoque ſpem, te Duce, atque auctore, Illuſtriſſime Princeps, ingredimur. Spem autem? quaſi verò non jam fructus aliquos, certè floſculos tuæ providentiæ teneremus. Tot enim adoleſcentes Paderbornæ nati, qui in tuis ſcholis jam inde à prima pueritia liberalibus diſciplinis, ad omnem honeſtatem informantur, qui neque ſenſûs celeritate, neque laboris patientiâ, neque morum facilitate à quoquam exterorum vinci ſe ſuſtinent, ſatis declarant, ſi quid ſuperioribus annis ſecus accidit, quàm volebas, id non naturæ perverſitate, ſed ſalutaris culturæ inopiâ contigiſſe. Ea jam abs te relata, ac tam inſigni acceſſione cumulata, non modò omnem maculam ac labem, ſi qua paucorum culpa inſedit Paderbornenſi nomini, ſe deleturos profitentur, ſed etiam daturos operam, ut vetus illud Paderbornæ elogium, quod ab illo pio viro, quem ſuperius, laudavi, Arnulfi Imperatoris memoriâ litteris mandatum eſt, quaſi poſtliminiò recuperent. Id ita habet. *Hic locus* (Paderborna) *viris omni nobilitate generis, animique*

Lipſius Lovan. l. 3. c. 1.

In Coſmod. ætat. 6. c. 37.

ſemper inſignibus abundabat, ut non eſſet dubium, quin patria civibus, & cives patriæ congruerent, ac ſibi utraque viciſſim ornamento forent.

CAPUT VIII.

Newhauß *Illuſtriſſimi Principis Fundatoris domicilium ſitum eſſe, ubi olim Nero Claudius Druſus Auguſti Privignus Caſtellum Aliſonem contra Sicambros condidit.*

CEterùm, Princeps Illuſtriſſime, circumſpicientem me, ac penitus perluſtrantem animo hujus Urbis, ut cùm Comico loquar, optimitates, & commoda, hæc quoque ſedes ac domicilium tuum, in quo majores tui Epiſcopi Paderbornenſes ampliùs tria retrò ſecula habitarunt, ne ſe ſilentio prætercam admonet. Quanquam enim longulè abeſt ab Urbe, illinc tamen ipſa, totaque provincia jus petit: illic hujus Academiæ moliendæ conſilia ſunt nata: denique quicquid eſt in iſta arce ſplendoris hodiè, & magnificentiæ, id totum abs te habet, qui unus, & illius, & Academiæ es conditor. Quare ſi ad relaxandos contentione ſtudiorum animos, jucundum erit unquam Academicis noſtris educere ſe nonnunquam ex Urbe, & hæc luſtrare vel umbroſa ſilvarum, vel aprica camporum, libenter, opinor, hujus quoque arcis ſpecie è propinquo perfruentur, eoſque cùm ædificii majeſtas, locique amœnitas, tum verò præcipuè Tui illos Optimi Parentis, ac Fundatoris memoria delectabit. Accedet illa quoque liberalis ſanè voluptas, & adoleſcente colente bonarum litterarum longè digniſſima, quam capient ex earum recordatione rerum, quæ vetuſtiſſimis temporibus hoc ipſo loco geſtæ memorantur. Eſt enim hic locus, ſi quis alius in univerſa Germania magna, & veterum Annalibus, & virorum fortium, atque illuſtrium monumentis celebratus. Quibus de rebus ſi pauca attigero, veniam, ut ſpero, dabis, Princeps humaniſſime, huic meo ornandi honoris Tui ſtudio,

ſtudio, neque alienum me quicquam ab inſtituto facere judicabis. Si enim laudationem inſtituenti illius Academiæ Platonis nemo vitio verteret, quòd cùm illa eſſet in ſuburbano Athenarum, neque multò inde propiùs abeſſet, quàm hæc arx à Paderborna, exiſtimaret Athenarum gloriam ad Academiæ laudem pertinere; neque ego accuſandus ſum, ſi oſtenſurus idoneum abs te Academiæ locum captum eſſe, de hoc tuo domicilio diſſeram. Ut enim, propter locorum propinquitatem, qui in Academia Platoni dabat operam, is minimè vanus erat, cùm ſe Athenis ſtudere Philoſophiæ diceret, tametſi gymnaſium eſſet in ſuburbano: ita ſedem hanc tuam perinde atque continentem cum hac urbe, lucem quandam, & ornamentum noſtris ſtudiis afferre credimus. Eſt igitur obſervatum à viris eruditis, hoc ipſo loco Neronem Claudium Druſum Auguſti privignum, Tiberii fratrem, caſtellum poſuiſſe, Q. Ælio Tuberone, & Paullo Fabio Maximo Coss. qui, ut rationem iniit Sigonius, fuit ab Urbe condita annus DCCXLII, ante CHRISTUM Salvatorem natum nonus. Siquidem anno proximo ſuperiore, ut narrat Dio Caſſius, Sicambri cum finitimis gentibus, abſentiâ Auguſti, & exemplo Gallorum commoti, bellum adverſus Romanos moverant. Hos Druſus non modò, quod moliebantur, armis vetuit, Rhenum tranſmittere, verùm etiam ipſe tranſgreſſus, ſecundùm inſulam Batavorum, quam Rheni divortia efficiunt, primum Uſipetibus, deinde ipſis Sicambris arma intulit. Anno ſequenti, qui fuit is quem diximus, vere ineunte, rurſus ſubjugatis Uſipetibus, Luppiæque fluminis ripis ponte junctis, in Sicambros irruptionem fecit. Ii per hos dies fortè cum Chattis finitimis, propterea quòd auxilia negaverant, bellum gerebant, quæ res locum dedit Druſo per Sicambrorum fines ductis copiis, ultra Viſurgim movendi. Inde cùm remigraret, in hoſtes delapſus eſt, à quibus cinctus in magnum cum ſuis diſcrimen venit: ſed hoſtibus temerè, & ſine ordine prælium aggreſſis, non modò victor evaſit, verùm etiam caſtellum contra eos ad confluen-

Philipp. Cluver. l. 3. antiquæ German. cap. 9.

In faſtis.

Lib. 54. Hiſt. Rom.

tes Luppiæ & Aliſonis poſuit. Ex quibus principiò certum eſt Sicambros hanc, in qua ſumus, regionem eâ tempeſtate coluiſſe, cùm inter inſulam Batavorum, & Luppiam habitarent Uſipetes, è quorum finibus in Sicambros Luppia trajiciendus fuit. atque ita terminus Sicambrorum erat ex ea parte Luppia, ex altera verò Chattis & Viſurgi confines erant. Per hos fines cùm iter haberet Druſus, caſtellum poſuit eo loco, ubi Luppia & Aliſo miſcentur. At quis iſte Aliſo? diligenter omnem hunc tractum luſtranti, omneſque amnes, qui ſe in Luppiam exonerant, recenſenti, nullus in mentem venit, in quem Aliſonis, ſive ut eſt in Græco, Eliſonis nomen conveniat, præter eum, quem hodie Almam vulgò dicimus, qui apud tuas ædes, Princeps Illuſtriſſime, in unum cum Luppia amnem confluit. Præſertim cùm graviſſimi auctores, Velleius Paterculus, qui in his oris ſub Tiberio, ut ipſe narrat, Præfectus equitum fuit, & Cornelius Tacitus, hoc ipſum caſtellum Aliſonem appellent, aſcito, ut apparet, à præterfluenti nomine. Atqui in conſpectu hujus tuæ arcis, eſt hodieque vicus Elſen, qui vetus illud Eliſonis retinet nomen, facileque fidem facit hos eſſe illos confluentes, ad quos Druſus ſuum illud caſtellum collocarit. Porrò nemo, qui caſtelli nomen audit, vilis & abjecti loci ſpeciem ſubjiciat animo. Etenim Dio aggreſſurus Varianam cladem enarrare, cujus, ut dicemus, quaſi ſemina poſita ſunt in hoc caſtello, diſertâ oratione perſequitur cujuſmodi fuerint hæc Romanorum caſtella. Primùm enim negat ejuſmodi caſtella crebra in Germania, aut inter ſe vicina fuiſſe: deinde Romanas legiones in iis hibernare ſolitas: tum civitates iiſdem locis conditas: eodem Germanos ad forenſes conventus conveniſſe: hìc jus iis dictum eſſe: hìc paullatim feris & barbaris moribus poſitis, conſuetudine Romanorum, humanitatem & manſuetudinem induiſſe. Quæ omnia eâ gratiâ ab illo narrantur, ut intelligeremus, quemadmodum Germani, eum locum, in quo Varus habitabat, celebrando, omneſque in ſpeciem amicorum, atque adeò civium partes agendo,

Velleius l. 2. Tacitus Annal. 2.

Lib. 56.

agendo, ſenſim eum in ſecuritatem, ac mox in exitium impulerint. Atqui Varum fuiſſe tum in Aliſone poſtea oſtendemus. Igitur omnia illa, quæ de caſtellis Romanis à Dione diſputantur, ſunt inprimis Aliſoni tribuenda. Sanè cùm vicus, qui hodie ſupereſt Elſen, non modico ſpatio à confluentibus receſſerit, non vana eſt conjectura totum eum campum, qui medius eſt inter confluentes, ubi caſtellum fuit, & extremos vici fines, frequentibus domiciliis habitatum, atque ita non mediocrem civitatem hoc loco fuiſſe. Præterea liquet ex his, quæ è Dione attulimus, unum hoc in interiore hac Sicambrorum regione caſtellum, ubi hiberna eſſent Romanorum, extitiſſe. neque enim vel pauca his locis caſtella verè affirmaſſet, ſi modico intervallo plura fuiſſent, vel in caſtellis hiberna poni ſolita, ſi alius unquam fuiſſet caſtelli, alius hibernorum locus. Quæ cùm certa ſint, alio præterea argumento certò concludimus, Aliſonem caſtellum & civitatem non alibi, quàm in hoc loco quærendum eſſe. Proditum enim eſt à Velleio, Tiberium, cùm poſt cladem Varianam, rem his oris utcumque reſtituiſſet, digredientem in Italiam, ad caput Luppiæ fluminis hiberna locaviſſe. Quid clarius? Quem enim locum Dio ad confluvia Luppiæ & Aliſonis, eum Velleius ſtatuit ad caput Luppiæ. Is igitur amnis, qui proximè à capite Luppiæ in ipſum influit, is eſt, qui Aliſo veteribus dictus, Druſiano caſtello locum & nomen dedit. At quis ille eſt, niſi Alma? Maneat ergo, Princeps Illuſtriſſime, tuum hoc domicilium in ipſis Caſtelli Druſiani veſtigiis eſſe collocatum. *Lib. 2.*

CAPUT IX.

Summa rerum in Aliſone caſtello geſtarum, dum illud Romani tenuerunt.

QUo in loco, quæ jam inde à prima origine, non indigna poſteritatis memoriâ geſta ſint, ſi coner breviter percenſere, equidem neſcio ſimne operæ pretium

factūrus. certè, quæ tua eſt humanitas, Princeps optime, ſi me in eo, & pietati in te meæ obſequi, & ſtudiis adoleſcentum noſtrorum prodeſſe velle videris, non gravatè, uti confido, feres. Illud principiò conſtat hunc locum ſitum in finibus Sicambrorum inſigni Romanis fuiſſe præſidio ad compeſcendos, domandoſque Tencteros, Uſipetas, Bructeros, Marſos, Tubantes, Chattos, Delgubinos, quæ omnes gentes finitimas oras incolebant. Deinde plurimum habebat momenti ad Luppiam, Amiſiam, Viſurgim in Romani populi poteſtate retinendum. Quocirca multæ hoc loco nobiles expeditiones ſuſceptæ, multa prælia decreta ſunt. Itaque cùm Imperatores, tum eorum legati multi hoc loco erant. Ac Druſus quidem quem poſt conditum Aliſonem legatum habuerit non certò proditur. eſt tamen ut credam fuiſſe L. Domitium Ahenobarbum Neronis Imperatoris avum. Is,
Annal. 1. ut refert Tacitus, per medias paludes tramitem aggeravit uſque ad Rhenum, quò commodè Romanæ copiæ permearent. Pertinuiſſe verò eum aggerem uſque ad noſtrum Ali-
Annal. 2. ſonem, ex eo conjici licet, quòd poſtea narrat Germanicum omnia inter Aliſonem caſtellum, & Rhenum novis aggeribus permuniviſſe. Novos vocat, eò quòd veteres antè à Domitio ſtructos inſtaurarit. Idem Domitius hinc quoque, ut opinor, arma ultra Viſurgim, atque adeò Albim tulit.
Annal. 4. Sic enim Tacitus de eo: *Exercitu flumen Albim tranſcendit, longiùs penetratâ Germaniâ, quàm quiſquam priorum, eaſque ob res inſignia triumphi adeptus eſt.* Druſus quoque Aliſonis noſtri
Epitome Livii. conditor, ad eundem Albim nomen Romanum protulit, ſed cùm victor reverteretur, priuſquam ad Rhenum perveniret, ex fractura, equo ſuper crus collapſo, naturæ conceſſit, tertio anno à condito Aliſone, quo unà cum T. Quinctio
Anno ante CHRISTUM 7. Criſpino ipſe conſulatum gerebat. Corpus Romam à Tiberio perlatum eſt. Milites Romani qui his locis verſabantur aram ſuo Imperatori defuncto erexerunt, haud procul ab
Annal. 2. Aliſone Caſtello, ſi rectè Tacitum aſſequor, qui memorat eam à Germanis poſtea dirutam, atque item tumulum Varianis

rianis legionibus poſitum, cùm à Germanico Aliſonem, quem obſederant, deſerere cogerentur. A neutro igitur longè aberat. Atque, ut dicam quod ſentio, credo fuiſſe inter Luppiam, & montes, inter quos via patet ad Teutoburgienſem ſaltum. Diſcimus enim ex Suetonio, cùm de altero monumento, quod Moguntiaci eidem Druſo eſt poſitum, loquitur, ſolenne fuiſſe, ut ſtato die, circum hanc aram quotannis exercitus decurrerent. ejuſmodi verò decurſiones magna camporum ſpatia poſtulabant, qualia ſunt ea quæ Moguntiaci hodieque nomen à Druſo obtinent: Neque verò è re erat legionum, ut quotannis procul à ſuis caſtris abducerentur: præſertim his locis, ubi ab hoſtibus facilè iniquitate locorum in diſcrimen adduci poterant. Quæ mihi ratio Germanicum permoviſſe videtur, cur, ut ibidem narrat Tacitus, tumulum Varianis legionibus ſtructum, quem iidem Germani disjecerant, minimè iterarit. nimirum tumulus longiùs aberat ab Aliſone, non item ara. Quare confirmare auſim aram hanc Druſi fuiſſe in ea planitie quæ inter Aliſonem jacet, & Luppiæ caput. Druſo ſucceſſit in Germania frater ejus Tiberius, is quo deinde rerum potiente CHRISTUS Salvator noſter crucem pertulit. Is proximo à morte Druſi anno (Marcio Cenſorino, & Caio Aſinio Gallo Coſſ.) Sicambros, in quorum regione demonſtravi fuiſſe Aliſonem, magis conſilio, ut ipſe apud Tacitum gloriatur, quàm vi uſus, in deditionem accepit, eorumque multa millia ſupra ripam Rheni in Gallia collocavit, ut ait Eutropius. eos alii poſtea Burgundiones, alii Gugernos dictos volunt. Neque multò pòſt Tiberius Romam diſceſſit. Fuit deinde ejus in locis legatus M. Vinucius, ejus, cui Velleius ſuam hiſtoriam inſcribit, avus. Sub eo, ut idem memorat, *triennio ante adoptionem Tiberii immenſum in Germania bellum exarſit, quod ab eo quibuſdam in locis geſtum, quibuſdam ſuſtentatum feliciter, eoque nomine decreta ei cum ſpecioſiſſima inſcriptione operum ornamenta triumphalia.* Ad id bellum profligandum jam ab Auguſto adoptatus, rediit in has oras Tiberius, Sexto

Druſenloch.

Annal. 2.

Lib. 7.

Iſidorus.

Cluverius.

Velleius l. 2.

Ælio

Velleius ibid. Ælio Cato, & C. Sentio Saturnino Coſſ. Ibi cùm trans Viſurgim duxiſſet exercitum, atque Cheruſcos in deditio- *An.* CHRISTI 5. nem accepiſſet, hieme ſequentis anni, qui L. Valerium Meſſalam, & Cornelium Coſſum Coſſ. habuit, ad tutelam imperii, inquit Velleius, digrediens in Urbem, ***ad caput Lupiæ fluminis locavit hiberna.*** Quæ res manifeſtò oſtendit id omne bellum ex hoc potiſſimùm Aliſone noſtro, adminiſtratum eſſe: atque ita ipſa regionis opportunitas flagitabat. Pugnanti enim ad Viſurgim non alius erat in propinquo receptus. Proximo conſequenti anno repetit eundem locum, atque expeditionem Tiberius, atque ***iterum trajecto Viſurgi, receptis Cauchis, fractis Longobardis, ad quadringenteſimum*** (verba ſunt Velleii) ***milliarium à Rheno ad flumen Albim victorem perduxit exercitum.*** Erat Tiberii legatus in hoc bello C. Sentius *Lib.* 55. Saturninus, qui nuper conſulatum geſſerat, ei, ut refert Dio, ob res his regionibus ductu Tiberii bene geſtas, ornamenta triumphalia decreta ſunt. Circa idem tempus Maroboduus *Velleius ibidem.* Marcomannorum rex, qui in Boiohæmo dominabatur, grave bellum in Romanos commoverat. adverſus eum ex his ad Aliſonem caſtris Tiberius per Noricum, Saturninus per *An.* CHRISTI 8. Chattos cum copiis eſt profectus, A. Licinio Nerva, Q. Cæcilio Metello Coſſ. Hoc bellum ſanè atrox & periculoſum, ut in cujus ſocietatem Maroboduus univerſam quoque Pannoniam, & Delmatiam traxerat, propè à Tiberio feliciter patratum erat, cùm hîc apud Aliſonem ingens plaga Roma- *An.* CHRISTI 10. no eſt nomini impoſita, Q. Sulpicio Camerino, C. Poppæo Sabino Coſſ. Etenim digreſſo Tiberio, præfectus in Germaniam venerat P. Quinctilius Varus, qui antea Syriam ad- *Ibid.* miniſtrarat, *vir*, ut eum nobis depingit Velleius, *ingenio mitis, moribus quietus, ut corpore & animo immobilior, otio magis caſtrorum, quàm bellicæ aſſuetus militiæ.* Hunc ſuprà memoravi cum exercitu Aliſone conſediſſe. Nam Germani, ut narrat Dio, quibus nimium fidebat, dederant operam, ut quàm longiſſimè abeſſet à Rheno, ſcilicet ut homini faciliùs inſidias facerent. at nullus caſtrorum Romanorum locus in hac regione à

Rhe-

Rheno quantum Aliſo diſtabat. Deinde cæſo Varo Germani confeſtim ad oppugnanda caſtra converſi ſunt. ea verò fuiſſe Aliſone diſertè pronunciat Velleius. Aſſuetus igitur, *Ibid.* ut antè cognovimus, otio caſtrorum Varus, hîc non modò hiberna, ſed etiam, ut ait idem, *trahebat æſtiva*, & quoniam, ut ex Dione nuper didicimus, Aliſone forum erat, ubi Præfectus Romanus jus dicebat, audi quemadmodum ea res hominem infelicem, Germanorum fraudibus, ac dolis irretiendum, ac penitus conſtringendum dediderit. Velleii verba ſunt: *Mediam ingreſſus Germaniam, velut inter viros pacis gaudentes dulcedine, juriſdictionibus, agendoque pro tribunali ordine trahebat æſtiva. At illi, quod, niſi expertus, vix credebat, in ſumma feritate verſutiſſimi, natumque mendacio genus, ſimulantes fictas litium ſeries, & nunc provocantes alter alterum injuriâ, nunc agentes gratias, quod eas Romana juſtitia finiret, feritaſque ſuâ novitate incognitæ diſciplinæ miteſceret, & ſolita armis diſcerni, jure terminarentur, in ſummam ſocordiam perduxere Quinctilium, uſque eò, ut ſe Prætorem Urbanum in foro jus dicere, non in mediis Germaniæ finibus exercitui præeſſe crederet.* Hæc Velleius, qui unum præteriit, quod ad excuſandos Germanos nonnihil facit, neque reticuit Dio. Ait enim Varum principiò Ger- *Lib. 56.* manis velut ſervis imperaſſe, & argentum exegiſſe tanquam à ſubditis. cujus rei inſolentes eorum primores, quando palàm rebellare non audebant, ad ſimulandam amicitiam, & obſequium, ſtruendaſque clandeſtinò inſidias flexiſſe. obſervarunt igitur adverſus Romanos Germani illud Romani vatis: *Dolus an virtus quis in hoſte requirat?* Erant inſidiarum principes, ut idem Dio ait, Arminius & Segimerus, qui aſſiduò cum Quinctilio verſabantur, ac ſæpenumerò convivabantur. Atque hæc omnia gerebantur, ut diximus, Aliſone. Ubi jam nihil ſibi Quinctilius à Germanis metuere vi- *Dio lib. 56.* ſus eſt, primùm eum rogant, ut præſidio ſibi militum Romanorum uti liceat. Dictum factum. aliis ad oppida munienda: aliis ad capiendos latrones: aliis ad ſubvehendos commeatus præſidia concedit. Póſtquam imminutus, & debilita-

 bilita-

bilitatus exercitus Aliſone remanſerat, excogitant quemadmodum Varum inde ad iter protrahant, quò cladi ſit opportunior, cùm ſe per amicorum regionem ire crederet. Quid quæris? repentè ex compoſito Aliſonem affertur nuncius, quoſdam è longinquis Germanis arma ſumpſiſſe. Hic qui apud Quinctilium erant, quos jampridem amicos eſſe ſibi perſuaſerat, rem indignam dicere: hortari ut rebelles punitum iret: auxilio ſe mox affuturos. Illi digreſſi, quos quique Romanos, velut ſibi præſidio futuros à Quinctilio poſtularant, obtruncant: Quinctilium adverſus rebelles Aliſone proficiſcentem, à tergo, depoſitâ jam amicorum perſonâ, adoriuntur. Ita, inquit Velleius, *exercitus omnium fortiſſimus, diſciplinâ, manu, experientiâque bellorum inter Romanos milites princeps, marcore ducis, perfidiâ hoſtis, iniquitate fortunæ circumventus, cùm ne pugnandi quidem egregiè occaſio, in quantum voluerant, data eſſet miſeris, caſtigatis etiam quibuſdam gravi pœnâ, quia Romanis & armis, & animis uſi fuiſſent; incluſus ſilvis, paludibus, inſidiis ad internecionem trucidatus eſt.* Reliquerat Varus Aliſone, ut conſtat ex Dione, legatum L. Aſprenatem. narrat enim à tubicinibus, cùm ſe ad prædam convertiſſent Germani, ſparſam eſſe famam adventare Aſprenatem ſuos ulturum, neque eam vanam fuiſſe. In propinquo igitur fuiſſe oportuit. Ducebat Aſprenas duas legiônes, quas, ut narrat Velleius, *navâ virilique operâ immunes tantâ calamitate ſervavit; maturèque ad inferiora hiberna deſcendendo, vacillantium etiam cis Rhenum ſitarum gentium animos confirmavit.* Appellat inferiora hiberna, quæ erant apud Vetera, ubi hodie eſt oppidum Sancti, quò pertinebant aggeres illi ab Aliſone ad Rhenum olim ſtructi. Inter alia rei Romanæ damna, quæ clades Variana attulit, illud etiam fuit, quòd Aliſo, vigeſimo circiter, poſtquam ædificatus fuerat, anno in hoſtium poteſtatem venit. Cæſo enim cum exercitu Varo, immenſæ Germanorum copiæ, ut teſtatur Velleius, Aliſonem, & in eo Lucium Cæditium præfectum caſtrorum, alioſque, qui ſupererant, Romanos obſident. At illi *omnibus difficultatibus*

bus ſuperatis, quas inopia rerum intolerabiles, vis hoſtium faciebat inexſuperabiles, nec temerario conſilio, nec ſegni providentiâ uſi, ſpeculatique opportunitatem, ferro ſibi ad ſuos peperere reditum. Hæc ſunt, quæ de clade Variana ad Aliſonis hiſtoriam pertinere viſa ſunt, quæ Romano nomini *penè exitiabilis*, ut loquitur Suetonius, accidit in Teutoburgienſi ſaltu, quod nomen hodie retinet mons, cui ſubjectus campus à Germanorum de Romanis victoria Winfelt appellatur, non longè ab Horna oppido, XII. ab Aliſone paſſuum millibus. Quo tempore Aliſo in Romanorum ditionem redierit, non ſatis compertum habeo; illud ex Tacito exploratum eſt, octavo poſt cladem anno tenuiſſe Romanos. Neque verò ante Auguſti mortem, qui quinto poſt cladem anno obiit, recuperatum puto. Nam etſi Tiberius, & Germanicus pœnas de Germanis repetitum mox venerunt, negat tamen Dio longè ab Rheno diſceſſiſſe, ne quod ſibi novum malum crearent. Mortuo Auguſto, Sexto Pompeio, & Sexto Appuleio Coſſ. Tiberius jam Imperator in has oras venire deſiit. quapropter totam belli Germanici molem Germanicus Druſi, qui Aliſonem ædificaverat, filius, ſuſtinuit: quem, ut narrat Tacitus, Octavius Auguſtus *octo apud Rhenum legionibus impoſuerat.* Is anno ab Auguſti exceſſu proximo, Druſo Julio & C. Norbano Coſſ. ſedatâ militum ſeditione, res novas Auguſto jam extincto molientium, depulſiſque hoſtium iter obſidentium copiis, exercitum duxit, inquit Tacitus, *ad ultimos Bructerorum, quantumque Amiſiam & Luppiam amnes inter, vaſtatum haud procul Teutoburgienſi ſaltu, in quo reliquiæ Vari, legionumque inſepultæ dicebantur.* Pergit exequi quemadmodum in eum ſaltum progreſſus legiones Varianas tumulo condiderit, primuſque ceſpitem poſuerit, atque mox ancipiti cum Arminio Marte conflixerit. In hac expeditione receptum, vel inſtauratum Aliſonem promptum eſt credere: nam ex ultimis Bructerorum, ubi hodie Delbrugia eſt, in Teutoburgienſem ſaltum tendentibus erat neceſſariò prætereundus. Conſecutus eſt annus, qui T. Siſennam, Statilium

In Octav. cap. 23.

CHRISTI 15.

Annal. 1.

Ibid.

lium Taurum, & L. Scribonium Libonem Coſſ. habuit, quo Germani, dum Germanicus claſſem apparat, quâ militem & commeatum in has oras per Amiſiam advehat, interea magnis copiis *caſtellum Luppiæ flumini appoſitum* obſident, ut commemorat Tacitus. Id caſtellum paullò pòſt Aliſonem nominat. Sic enim habet: *Audito caſtellum Luppiæ flumini appoſitum obſideri, ſex legiones eo duxit.* & paullò poſt: *Neque Cæſari copiam pugnæ obſeſſores fecere, ad famam ejus dilapſi. tumulum tamen nuper Varianis legionibus ſtructum, & veterem aram Druſo ſitam disjecerant. Reſtituit aram, honorique patris princeps ipſe cum legionibus decucurrit. Tumulum iterare haud viſum; & cuncta inter caſtellum Aliſonem, & Rhenum novis limitibus, aggeribuſque permunita.* Atque hæc ſunt, Princeps Illuſtriſſime, quæ de Aliſone noſtro à Romanis ſcriptoribus ſunt prodita. Conſequentibus temporibus, uti ſegnius Romani in Germania Magna bella geſſerunt, ita minorem dedere ſcribendi materiam. Siquidem hoc ipſo anno, quo Aliſonem obſidione liberatum eſſe dixi, Germanicus poſt inſignem victoriam, quam ad Viſurgim, in campo Idiſtaviſo, non longè à Minda, de Arminio reportavit, à Tiberio fortiſſimum juvenem, ut loquitur Tacitus, *ſpecie honoris, amoliri* cupiente, in urbem revocatur. Ibi cùm proximo anno C. Cælio, L. Pomponio Coſſ. de Germanis triumphaſſet, miſſus in orientem, non multò pòſt, dolo Piſonis interiit. Interea res Germaniæ per præfectos Tiberius ſic adminiſtrabat, ut, *ne cui bellum permitteret, etiam damna diſſimularet, ſatius arbitratus rebellium gentes, quando Romanæ ultioni conſultum ſit, internis diſcordiis relinqui.* Neque nihil in hoc Tiberius vidit. nam poſt diſceſſum Germanici, inter Cheruſcos, & Maroboduum grave bellum exarſit, & poſtea inter eoſdem Cheruſcos, & Chattos tantæ inimicitiæ, ut alicubi Tacitus, eos *æternùm diſcordare* ſcripſerit, ut interea Hermundurorum cum iiſdem Chattis prælia, & Bructerorum, atque Anſibariorum excidia ſilentio præteream. Inter hæc Germanorum diſſidia, tantiſper Aliſo præſidiis Romanorum tenebatur, donec Claudius

Annal. 2. *Tacitus Annal. 2.* *Ibid.* *Tacit. l. 4. Annal.* *Annal 2.* *Annal. 11.*

dius Imperator, ut eſt apud Tacitum, C. Valerio Aſiatico, M. Valerio Meſſalla Coſſ. qui erat à condito Aliſone ſextus & quinquageſimus, *adeò novam in Germanias vim prohibuit, ut referri præſidia cis Rhenum juberet.* Præerat tum Germaniæ cum exercitu L. Domitius Corbulo, vir veteris diſciplinæ militaris obſervantiſſimus, & maximis poſtea rebus in Oriente geſtis immortalem famam conſecutus. Is igitur in ipſo aditu præclarorum operum, ad quæ jam pro nominis Romani gloria ſe accinxerat, non modò reducere exercitum, ſed Aliſonem quoque, & quæcumque in ulteriore Germania Romani loca tenuerant, præſidiis nudare coactus eſt. Itaque deinceps præclarè Romani ſecum agi exiſtimarunt, ſi Germanos tranſitu Rheni prohiberent. Quid quod Panegyriſtes quidam auſus eſt dicere coram Maximiano, & Conſtantino, poſterioribus falsò de antiquis Imperatoribus traditum viſum fuiſſe, quòd trans Rhenum ſigna barbaris gentibus intuliſſent. Quò major eſt gloria tui Aliſonis, Princeps Illuſtriſſime, habuiſſe in hibernis Romanas legiones, hîc jus dixiſſe tot Conſulares, tot ornamentis triumphalibus inſignes viros, hîc bella adminiſtraſſe illos ex Auguſta domo nobiliſſimos Imperatores, quorum ea fuerit virtus, ut etiam poſteris ſupra fidem eſſe videretur.

Annal. 11.

Paneg. Max. & Conſtant.

CAPUT X.

In quorum poteſtatem venerit Aliſo à Romanis deſertus.

QUid verò, Romanis aquilis cis Rhenum reductis, Aliſone factum eſt? Videtur enim certum, & exploratum, minimè vacuum, ac deſertum eſſe derelictum, ſed abſcedentibus Romanis immigraſſe Germanos, aut, quod veriſimilius, dirutum inſtauraſſe. Neque enim fieri potuiſſet, ut ad noſtram uſque ætatem Romanum Aliſonis nomen retineret, niſi jam inde à Romanorum ex his oris diſceſſu, ab aliquo populo cultus eſſet, atque celebratus. Quid quod jam antè docui conveniſſe etiam Aliſonem, &

ſedes in eo fixiſſe Germanos, quod ſanè libenter in tantis, & tam crebris inter vicinas gentes ſimultatibus faciebant, quòd à bellorum injuriis Romanorum eſſent præſidio tutiores. Eadem eis fuit, Romanis quoque digreſſis, cauſſa colendi & muniendi Aliſonis. erat enim, ut jam demonſtravi, in medio multarum gentium, quæ infeſtis ſæpe armis inter ſe dimicabant. nam, ut alias taceam, Bructeri, quorum extremos audivimus ex Tacito propè ab Aliſone conſediſſe, circa exordia principatûs Trajani propè funditus à vicinis deleti

Tacitus de morib. Germ. ſunt. Quis ergo populus Aliſonem tenuit? nempe idem qui hanc regionem. Ac ſuperioribus quidem annis, Druſo rem gerente, ut diximus, in hac Luppiæ ripa Sicambri incolebant, quos Tiberius poſtea, quòd belli adverſus Romanos auctores ac principes fuiſſent, tranſportavit in Galliam. Verſatur verò in quæſtione apud eruditos, num Sicambri ſtirpitus ex his oris exciſi ſint, an verò nonnulli remanſerint? Qui ullos remanſiſſe negant, Taciti partim ſilentio ſe tuentur, partim verbis. Silentio, quòd Germaniæ populos accuratiſſimè percenſens, nunquam poſtea Sicambros in hac regione col-

Annal. 12. locat, quàm ſunt tranſlati in Galliam. Verbis, quia disertè exciſos eſſe confirmat. quomodo verò exciſi, ſi ulli reſtabant? Qui contrà ſentiunt, gravem habent ſuæ opinionis auctorem Strabonem, qui ſuam Geographiam Tiberio imperante ſcribebat, cùm necdum extinctum eſſet illud Germanorum belli fulmen Arminius. nam libro ſeptimo ejus etiam viventis, & cum Romanis bella gerentis meminit.

Annal. 2. mortuus eſt autem Arminius, ut ex Tacito clarum eſt, M. Silano, L. Norbano Coſſ. viginti & ampliùs annis poſt deditos Tiberio Sicambros. Is igitur, eodem libro ſeptimo, ſic ait: *Hujus partis* (Germaniæ) *populos Romani partim in Galliam traduxerunt: reliqui migraverunt in penitiores Germaniæ partes, ut Marſi: ſed & Sicambrorum exigua reſtat portio.* Idem eodem libro commemorat à Germanico, inter alios Germaniæ principes, ductum in triumphum Teudorigem principem Sicambrorum. Fuerunt igitur Sicambri in Germania, cùm eam ad-

adminiſtraret Germanicus. non ergo omnes à Tiberio tranſlati. Poſtea verò quàm Francorum in his terris nomen exortum eſt, quid illuſtrius Sicambris? Quoties eorum Jornandes, Claudianus, Sidonius, alii meminerunt? Quod Tacitus eorum non meminerit, reſpondent non pugnare cum Strabone, qui exiguam portionem fuiſſe ait, quam Tacitus meritò in integri populi numero habendam non putavit. Quod idem exciſos memoret, ex eo non conſequi ut nulli manſerint. nam & Bructeros ab eodem exciſos perhiberi, & Anſivarios, quod juventutis erat, cæſos; imbellem ætatem in prædam diviſam eſſe. Et tamen Bructerorum & Anſivariorum nomen, poſteriorum quoque ſeculorum memoriâ celebratur. Quid? nonne auſus eſt Velleius ſcribere, à Tiberio, poſt cladem ſub Varo acceptam, *ocyus proſperrimo eventu exciſam eſſe Germaniam?* num ideò nullos Germanos Germanico, cum quibus bellum gereret, reliquit? Habent igitur, qui Strabonem ſequuntur, quo ſe tueantur; neque ſibi eripi ſinant, etiam deſerentibus has oras Romanis, fuiſſe è veteribus illis Sicambris, qui Aliſonem colerent. Quòd ſi apud quempiam plus aliorum, quàm Strabonis valebit auctoritas, nihil tamen ille de Aliſonis dignitate decerpet. Nam etſi negent manſiſſe veteres illos Sicambros, fatentur tamen ab Uſipetibus & Tencteris, qui vacuam, ut aiunt, eorum regionem adierint, uſurpatum poſtea fuiſſe glorioſum, & veterum memoriâ inclytum Sicambrorum nomen. In ea regione cùm fuerit Aliſo, inter utroſque convenit veniſſe in eorum poteſtatem Sicambrorum, qui Rhenum poſtea tranſgreſſi, atque ad Vahalim & Moſam longè latèque primùm dominati, ad extremum ſubjugatâ Galliâ, reverſi in Magnam Germaniam, unde exierant, ac tandem everſis Turingis, ampliſſimum Francorum regnum fundaverunt, quod Caroli Magni tempore, *à Bulgaris, ſeu Illyrico uſque ad Hiſpanos, à Danis uſque ad Calabros* pertinebat. Hoc regnum qui primi tenuerunt, è Sicambris fuiſſe, fidem facit D. Remigius, qui eorum Regem Clodoveum ſalutaribus aquis expiaturus,

Lib. de mor. Germ. Annal. 13.

Lib. 2.

Otto Friſin. lib. 5. *c.* 32.

Greg. Turo. l. 2. c. 31. turus, ſic eum affatus dicitur: mitis depone colla Sicamber: & Venantius Fortunatus, qui ſic alloquitur Charibertum Regem:

Lib. 6. 4. *Cùm ſis prognatus clarâ de ſtirpe Sicamber.*

Huic igitur tam inclytæ genti ſervivit derelictus à Romanis Aliſo, quem equidem reor caput gentis interea fuiſſe, *Tacitus 13. Annal.* dum Romani, tametſi nulla in hac ulteriore Germania præſidia habebant, tamen Rheno propinquiores agros militum pecoribus, atque armentis vendicabant, & veteres colonos adire cupientes armis arcebant. Tunc enim Sicambri noſtri tantiſper ſe his remotioribus ab Rheno locis tuebantur, & diſcordantibus cæteris Germaniæ populis, paullatim creſcebant, eaſque vires induebant, quibus non modò deinde Romanos Rheno arcerent, verùm etiam cum iis in Romano ſolo de orbis terrarum imperio dimicarent. Quam ad rem plurimùm eis contuliſſe Aliſonis opportunitatem mecum fatebitur, qui conditionem eorum temporum, locorumque conſiderabit. Siquidem nulla res deteriorem faciebat Germanorum fortunam, quàm inteſtinæ diſſenſiones ac bella. *In lib. de moribus Germ.* Itaque Tacitus de iis loquens, pronuntiat: Urgentibus imperii fatis, nihil jam præſtare fortunam majus poſſe, quàm hoſtium diſcordiam. Ea demum diſcordia ſublata eſt, exorto primùm in his regionibus Francorum nomine, ſive ea, ut volunt quidam, una primùm gens littoralis fuit, quæ cæteras poſtea in ſocietatem traxit; ſive, ut alii, omnes hæ gentes ictis inter ſe pro ſumma rei fœderibus, hoc ſibi pulcherrimum à ſtudio libertatis Francorum cognomentum aſciverunt. *Alciat. Lib. de form. Imp. Rom. Philipp. Cluverius Germ. antiq. lib. 3. c. 20.* Illud certiſſimum eſt, gentes pleraſque omnes, quæ inter Francicas à veteribus nominantur, in hac regione, quam hodie Weſtphaliam vocamus, ſedes primùm habuiſſe, ut Salios, Anſivarios, Attuarios, Chamavos, Bructeros, ac denique Sicambros noſtros. His gentibus cùm videamus in Romani imperii terras tranſgreſſis Sicambros imperitaſſe, proximum eſt ut credamus, eos quoque primos illius tantæ coitionis, & conjunctionis duces, ac principes fuiſſe. Nimirum

rum quod Druſus fecerat, ut ad domandos, & continendos in poteſtate populi Romani tot bellicoſos Weſtphaliæ populos (ſic enim loquamur, tametſi necdum Weſtphalia dicebatur) hoc caſtellum in mediis eorum finibus collocaret, idem exiſtimo plurimùm profuiſſe Sicambris, qui illud poſt id locorum obtinuerunt, ad eoſdem populos communis belli ſocietate colligandos.

CAPUT XI.

De occupato à Saxonibus Aliſone, & origine Paderbornæ.

INitâ illâ circa Gallieni tempora, populi olim diſcordes, Franci ſunt appellati, quibus, ut ait Marcellinus, confines erant Saxones, gens primùm ultra Albim ſita, ut ex Ptolemæo diſcimus, ſed quæ deinde adjunctis ſibi Cauchis, ſi Zoſimo credimus, Juliani temporibus ad Viſurgim uſque dominabatur. Ab horum finibus uſque ad Rhenum quæcumque gentes habitabant, Franci dicti, & eorum regio D. Hieronymo, Sulpitio Alexandro, & in veteri tabula itineraria Valentiniani ætate deſcripta, quæ Ampliſſimi, & optimè de litteris meriti Viri Marci Velſeri ope prodiit in lucem, Francia nominatur. Ac principiò quidem, cùm, ut opinor, imbecillioribus ſinguli viribus erant, Franci & Saxones conjunctis conſiliis, & opibus piraticam in Rheno ac mari exercentes Romanorum terras infeſtabant. Deinde, ubi ſeorſim ſatis utraque gens ſibi poſſe viſa eſt, Franci terrâ, quòd Sicambri noſtri, & ceterorum plerique equitatu valebant: Saxones mari rem gerere cœperunt. Ac Franci quidem tandem aliquando tranſgreſſi Rhenum ſedes in Romano fixerunt ſolo, & poſt multa prælia, ſubjugatâ Germaniâ primâ, ubi eſt Moguntiacum, & Belgicâ ſecundâ, in qua Sueſſiones, Catalaunum, Ambiani, circa annum Domini CCCCLVI. ad extremum in Gallia conſederunt. Ho-

Lib. 27. — *Lib. 3.* — *In vita Hilarionis. apud Turon. l. 1. c. 9.* — *Sidon. Apollin. in panegyr. Aviti.*

rum proſperam fortunam æmulati Saxones, à tergo conſecuti, tranſito Viſurgi, regiones, è quibus illi migraverant, occuparunt. Neque tamen credibile eſt ita Francos exceſſiſſe, ut nulli remanſerint. Nam ut alios taceam, Bructeri, quos inter Francorum populos Eumenius, & Sulpitius Alexander numerant, longo pòſt intervallo Boructuarii dicti, demum circa annum CHRISTI DCCVIII, ut teſtatur Venerabilis Beda, cùm eis CHRISTI Euangelium afferre cœpiſſet S. Suibertus, à Saxonibus ſunt devicti. Tranſierunt quoque in Saxonicum nomen Angrivarii, quos poſtea Angarios dixerunt. Itaque neque Sicambros planè deſeruiſſe Aliſonem, ut vacuum ingrederentur Saxones, equidem adducor ut credam; ſed potius condendæ Paderbornæ Saxonibus cauſſam dediſſe. Id priuſquam explanem, video mihi neceſſariò confutandas quorundam de origine Paderbornæ opiniones. Nam qui nobis tabulas Ptolemæi egregiè illuſtratas ediderunt, cùm inter Germaniæ oppida Teuderium repperiſſent, non dubitarunt confirmare eſſe Paderbornam. At Teuderium, quòd Theudurum Antoninus vocat, non in Germania magna, ſed in adverſa Rheni ripa fuiſſe, ex ipſa itineris ratione, quam Antoninus perſequitur, alii ſatis liquidò demonſtrarunt. Nihil igitur Teuderium ad Paderbornam. Aliis viſum eſt Paderbornam ſuam originem Carolo Magno debere, qui amnem è tribus fontibus hoc loco ortum, à Pado illo nobili Galliæ Ciſalpinæ fluvio, cui tres item ſint fontes, Paderam appellarit. Verùm Paderbornæ nomen antiquius eſſe Carolo Magno, liquet ex epiſtola S. Ludgeri ad Rixfridum Epiſcopum, ubi inter rebelles Saxones meminit Ogelli Oeſterbach de Paderborne, qui cùm anno DCCLXXVIII. hoc eſt, proximo à ſuſcepta fide & baptiſmo, pugnaret contra Carolum, eſſetque ejus ætas adventu illius in has oras vetuſtior, non potuit Paderbornæ naſci, neque à Paderborna nomen ferre, ſi primum à Carolo condita fuiſſet, vel appellata. Neque id Gobelinus Perſona confirmare audet. Nam quod adjungit, ab iis Saxonibus,

Panegyr. Conſtant. Apud Turon. loc. cit.

Lib. 5. c. 12.

Philippus Cluverius l. 2. Germ. ant. c. 18.

bus, qui Longobardos, duce Alboino, in Italiam comitati, ſe ab iis circa annum Domini DLXX. ſejunxerunt, ædificatam, vel nominatam eſſe Paderbornam, longiùs etiam abeſt à vero. Nam illos ex Italia profectos, arma intuliſſe in Gallias, ibique à Mummulo Francorum duce fractos, atque ſubactos, retrò unde venerant receſſiſſe legimus, nuſquam verò, in has oras remigraſſe. Sed hæc hactenus. Nunc, ut inſtitui, quid de origine Paderbornæ ſentiam, explicabo. Quod pleriſque in rebus uſu venire ſolet, ut unius interitus, alteri præbeat naſcendi locum, id Paderbornæ accidiſſe judico. Saxones enim cùm à Viſurgi profecti ſe primùm his regionibus intulerunt, ut paullò antè oſtendi, non vacuas hominibus repererunt. Quare tametſi Sicambri, cæterique populi, tot copiis in Romani populi terras ultra Rhenum traductis, priſtinas ſuas vires acciderant, tamen non uſque eò fracti erant animis, ut loca munitione, & frequentiâ populi nobilitata, ultrò advenientibus hoſtibus indefenſa traderent. Hujus generis cùm eſſet Aliſo, toto eo tractu, qui inter Viſurgim, & Aliſonem jacet, non magno negotio in ditionem redacto, facilè eſt ſuſpicari ab Aliſone, primam eſſe Saxonibus injectam moram. Interea dum opperiuntur, dum ſe ſuaque Sicambri, ultrò, vel armis compulſi dedant, videtur illa loci amœnitas, & ubertas elegantiſſimorum fontium, in qua caſtra fecerant, quamvis barbaros id temporis Saxonum animos permoviſſe, ut in eo loco Urbem conderent. Quoniam verò veteres in numero multitudinis pleraque nomina quarta vocali terminabant, quæ nos per ſecundam efferimus, (dicebant enim *thi engelon, thi heiligon, thi bronnon*, ſeu *bornon*) & jucundiſſimos hos tres noſtros fontes Patherbrunnon viſum erat nominare, ideò Urbi ipſi idem eſt nomen inditum. Sed quid ſibi vult illud Pather? Colligimus enim ſic à majoribus enuntiatum eſſe, quòd ita crebrò ſcriptum reperiamus, nimirum cùm lingua Germanica veterem illam ſuam aſperitatem retineret. quemadmodum enim paullatim articulum *thi* mollius pronunciarunt *die*,

Gregor. Turon. l. 4. hiſt. Francorum c. 7.

ita ex Pather fecerunt Pader. Teſtatur Gobelinus à Pado derivatum, *qui*, ut ait, *ex tribus fontibus ſibi invicem prope ſurgentibus ad pedes Alpium in unum alveum concurrentibus oriatur.* quæ deſcriptio non congruit cum iis quæ à Strabone, Plinio, Ptolemæo, Leandro Alberto de origine Padi memorantur. Sed faciamus non ſpectatam eſſe in hac appellatione tam accuratam ſimilitudinem, ſi cui id ſequi libebit, dicet à Pado factam eſſe Paderam, quemadmodum brachium Padi, quod eſt ad Ravennam, Paduſam dictum accepimus. Reperitur quoque ſcriptum Padesbronnen, ubi videri poſſit deductum nomen ab eadem origine atque ipſum Padi vocabulum. Refert enim Plinius ex Metrodoro, Padum nomen accepiſſe ab arbore picea, quæ multa circa fontem, quæ Gallicè Pades dicatur. Verùm unde Saxonibus noſtris, quos eo tempore quaſi more ferino vixiſſe ait Venantius, ea eruditio, & cognitio linguarum? Equidem malim fateri neſcire me, unde illud Pather, in nomine Patherbornæ, perinde atque obſcurum eſt quid ſibi velit Mimigarna, in nomine Mimigarnafordæ, quo aliquot ſæculis dicta fuit ea Weſtphaliæ Urbs, quam hodiè Monaſterium nuncupamus. præſertim cùm illa à Pado derivatio nullius è veteribus auctoritate nitatur. Romanis certè hi fontes, Luppiæ fontes perinde dicebantur, atque ille Luppeſpringenſis, atque adeò qui nobis Padera eſt, non alius ac Luppia. quanquam necdum conditâ Paderbornâ, antequam ars aliquid moliretur, non videantur noſtri fontes in unum alveum fuiſſe collecti, ſed temerè, ut caſus ferebat, per ſubjectos campos lapſi ſe in Luppiam intuliſſe. Eò factum eſt, ut cùm Sicambri vetus Luppiæ nomen his fontibus tribuerent, Saxones ejus appellationis ignari novum iis vocabulum attribuerint. poſteà verò occupato Aliſone, didicerunt à Sicambris Luppiæ nomen: hæſit tamen iis fontibus, quos priùs in poteſtatem redegerant, novum Paderæ nomen. Quocirca cùm antea duo tantùm amnes ad tuam arcem, Princeps Illuſtriſſime, confluere dicerentur, deinceps tres ſunt numerati,

Annales Caniſiani an. 777.

Lib. 3. c. 16.

Lib. 3. 7.

Vide Gobelinum.

rati, cùm revera Luppia, & Padera unus, atque idem ſit fluvius.

CAPUT XII.

Inſtauratum videri Aliſonem à D. Carolo Magno.

POtiti Aliſone Saxones, omnique circa eum regione, ſecundâ fortunâ elati, auſi Francorum veſtigiis inſiſtere, devinctis ſibi belli ſocietate Thuringis, Rhenum & ipſi tranſcendunt, rati idem ſibi in Francos licere, quod illis in Gallos, alioſque Romani Imperii populos licuiſſet. Ea res Francos coëgit arma retrò in Saxones Thuringoſque convertere, donec exciſo florentiſſimo Thuringorum Imperio, Saxones vectigales facerent. Contigit hoc anno CHRISTI DXXVII. Quo ex tempore nunquam deſierunt Saxones, ſæpe excuſſo Francorum jugo, ad libertatem eniti; donec à Carolo Magno Francorum rege, antequam à Leone III. Pontifice Maximo, qui Paderbornæ fuerat, Imperator Populi Romani renunciaretur, bello preſſi ſimul Francorum imperium, ſimul CHRISTI religionem amplecterentur. In eo bello non diſſimili cauſſâ atque olim Druſus, caſtellum hoc ipſo loco Carolus videtur condidiſſe. Cùm enim Saxones denuò Francis rebellaſſent, eoſque jam ulturus Carolus Wormatiâ properaret, perterriti, inquit Regino, *ad locum ubi Lippa oritur venerunt, ibi ſe ſuamque patriam Regi tradiderunt, & ſpoponderunt ſe Chriſtianos eſſe debere. Tunc Rex unà cum Francis reſtauravit Heresburgk caſtrum, & aliud caſtrum ſuper Lippam, ubi venientes Saxones unà cum uxoribus, & parvulis innumerabilis multitudo baptizati ſunt.* Non poſſum iis aſſentiri, qui hoc poſterius caſtrum procul collocant à Luppiæ fontibus. In annalibus enim, qui Aſtronomo tribuuntur, hæc Saxonum deditio, & baptiſmus eodem propemodum loco deſcribitur, ubi Carolo obviam venerunt, hoc eſt ad Luppiæ caput. Sic enim habent: *Ad fontem Lippiæ veniens, immenſam illius perfidi populi multitudinem, velut devotam & ſupplicem, ac quaſi erroris*

Gregor. Turon. l. 3. c. 7. l. 4. c. 10.

Lib. 2.

roris ſui veniam poſcentem invenit. Cui cùm & miſericorditer ignoviſſet, & eos, qui ſe Chriſtianos fieri velle affirmabant, baptizari feciſſet, datis & acceptis pro fide ſervanda fraudulentis eorundem promiſſionibus, obſidibus quoque quos imperaverat receptis, Eresburgo caſtro, quod dirutum erat, reſtaurato, alioque caſtello ſuper Lippiam extructo, & in utroque non modico præſidio relicto, ipſe in Galliam reverſus, in villa Hariſtallo hiemavit. Ex his conſtat, principiò Saxones, haud procul à fonte Luppiæ, Carolo ſupplices eſſe factos, atque eodem propè loco magnam partem eſſe baptizatos. Deinde hunc baptiſmum ad novum illud caſtellum celebratum eſſe. id enim, præter Reginonem, diſertè affirmant Annales Caniſiani. Ex quibus concluditur hoc caſtellum propè à Luppiæ fontibus abfuiſſe. Quoniam tamen ſuper Luppiam ſitum eſſe dicitur, non ideò ſentiendum ſuper eum rivum fuiſſe, qui Luppeſpringæ oritur. Neque enim is rivus, ut teſtatur Gobelinus, unquam abſolutè Luppia dicitur. Deinde pugnat cum Caroli conſilio. Siquidem ante ejus adventum Saxones fuſi fugatique erant à Francis, uſque ad flumen (inquit Regino) quod Lippa dicitur. Eodem poſtea itinere eos perſequenti Carolo, ut bellum profligaret, ſuper idem flumen caſtellum ponere viſum eſt, eo loco ubi & amnem ipſum haberet in poteſtate, & tranſitu per rivos, ex quibus ipſe oritur, intercluſo, rebellibus populis ſpem omnem adimeret ſe ad arma congregandi. Eſt igitur Carolus adverſus Saxones idem conſilium ſecutus, quod olim hoc ipſo loco contra Sicambros Druſo placuerat. Ex quibus apparet, cùm tam propinquum fonti Luppiæ fuerit, & tamen Luppiæ, ubi jam flumen dici poteſt, non rivus, impoſitum; non alibi hoc caſtellum fuiſſe, quàm ubi Druſianus Aliſo ſteterat, ad Luppiæ, Aliſoniſque confluentes. Hunc ipſum locum equidem crediderim ſignificari, quoties conſequentibus annis Carolus cum exercitu ad eum locum veniſſe memoratur, ubi Luppia conſurgit. ut anno DCCLXXX. apud Reginonem: Carolus *Saxoniam ingreſſus ad Heresburgk venit, & inde ad locum, ubi Lippa conſurgit.*

git, & ibi Synodum tenuit. & iterum biennio pòſt, *Coloniam veniens Rhenum tranſiit, & Synodum tenuit, ubi Lippa conſurgit, ubi omnes Saxones convenerunt, excepto rebelle Widikindo. Illuc etiam venerunt legati Godefridi Regis Nortmannorum, & Altdeni, & Hoſmundus, necnon etiam legati Avarorum miſſi à Cacano, & Inguno. Peracto placito reverſus eſt Rex in Franciam.* Hæc Regino. Hîc non eſt nobis anxiè quærendum, ubi fuerit Caroli exercitus, cùm ad Luppiæ fontem caſtra feciſſe dicitur. nihil enim dubito, quin eum omnem campum fuerit complexus, qui utriſque Luppiæ fontibus, & eorum confluentibus continetur. id quod hodieque oſtendunt ingentia aggerum, vallorum, foſſarum veſtigia, quæ jam indè à Caroli memoria, in iis, quos dixi, finibus, paſſim viſuntur. Ubi verò ipſemet Carolus interea ſe tenuerit, id video non abſurdè quæri poſſe. Sanè reputanti eos conventus, quorum ex Reginone meminimus, nemini veniet in mentem alibi Carolum, quàm in loco aliquo munitiori, tantiſque rebus gerendis appoſito, diverſatum eſſe. Atqui nullus ejus temporis auctor, alium locum munitum in eo tractu fuiſſe prodidit, atque caſtellum, quod nuper ad Luppiam exædificarat. hîc igitur morabatur Carolus, cùm ad fontem Luppiæ veniſſe memoratur. cujus rei non leve indicium eſt, quòd ante hoc conditum caſtellum, nunquam, uti ſæpe poſtea, *ad locum ubi Luppia conſurgit*, veniſſe dicatur. Qua in re ſcriptores Francicarum rerum, Romanos ſunt imitati. Quemadmodum enim illi, quod ad confluentes Luppiæ & Aliſonis Druſus contra Sicambros caſtellum poſuerat, id illi ad caput Luppiæ poſitum dixerunt, quòd non longè ſuprà Luppia primùm juſti amnis nomen ferre poſſit: ad idem exemplum, qui res geſtas Caroli ſunt perſecuti, tunc illum ad fontem Luppiæ perveniſſe ſcripſerunt, cùm exercitu à fontibus ad confluentes tendente, ipſe eodem quo olim Druſus loco ſedem fixerat. Itaque, Princeps Illuſtriſſime, tuus Aliſo primùm in poteſtate fuit Romanorum, deinde Sicambrorum, qui Francorum fuerunt nobiliſſimi, tum Saxonum,

ac

ac denique iterum ad Francos rediit, quo tempore ſimul à Romanis receptus videri poteſt, quandoquidem eo tempore Romanum imperium ad Francos eſt Pontificis Maximi auctoritate tranſlatum.

CAPUT XIII.

Aliſo ſedes Epiſcoporum Paderbornenſium.

VErumenimverò ſatis jam diu Aliſo noſter Martis & Bellonæ domicilium fuit. Vindicandus eſt aliquando Religioni & Sapientiæ. id factum eſt, cùm tui, Princeps Illuſtriſſime, Majores, hujus Urbis Antiſtites, ſtabilem ſibi in eo ſedem conſtituerunt. Quanquam, ut eſt ſemper difficile ab eo loco divelli, in quo ſis multùm diuque verſatus, ne tum quidem prorſus belli tumultibus caruit. Nam ut taceam ſæpenumero cùm alios Antiſtites, tum Teipſum, Princeps Illuſtriſſime, Reip. cauſſâ ad arma compulſum, princeps majoribus tuis huc migrandi cauſſa, Martis perpetua pediſequa & comes Diſcordia videtur fuiſſe. Antea ſiquidem in Urbe ſua Paderborna, apud Cathedralem Eccleſiam habitabant, quo tempore civium erga ſuos Præſules amor, & reverentia tanto eis præſidio erat, ut vallum, turreſque minimè requirerent. At poſtquam ab iis illa ſacroſancta dignitas contemni cœpit, graveſque ſunt motus adverſus Eccleſiaſticum ordinem excitati, faciendum viſum eſt, ut ab eorum injuriis ſemoti, hujus ſe arcis præſidio tuerentur. Annum, quo id factum ſit, non habeo certum dicere. Suſpicor tamen circa annum partæ ſalutis MCC. Certè Otto Ritbergenſis, qui anno MCCLXXVII. ad Paderbornenſem Cathedram eſt evectus, in hac ſe arce tenebat, dicebaturque vulgò eodem, quo hodiè nomine, fortaſſe, quòd in veteris arcis Carolinæ veſtigiis eſſet collocata. Eam deinde civium eruptione incenſam & propè complanatam, Henricus Spiegelius Epiſcopus reſtituit, ac, niſi fallor, Carolum IV. Imperatorem, qui hac iter habebat

bebat in ulteriorem Saxoniam, in ea accepit hoſpitio, anno MCCCLXXV. quamquam Gobelini verba legenti potiùs videatur manſiſſe Paderbornæ. Noſtrâ verò memoriâ, Princeps Illuſtriſſime, dignam veteri illâ nominis ſui gloriâ ſpeciem hæc arx aliquando eſt conſecuta, poſtquam ingenti ſumptu in hanc abs te amplitudinem, excelſitatemque exædificata, foſſis & turribus communita, laxis, elegantibuſque conclavibus, pomariis, hortis, fontibus ornata eſt. Itaque quamvis ſplendido, auguſtoque Principi accipiendo eſt idonea. Sed nullam illa, inter tam multa, præſtantius teipſo ornamentum habet, neque unquam æquè beata, quàm, te domino, fuit. Tenuerint illam quondam Druſi, Tiberii, Germanici, ſed illi arma ex ea in omnes vicinas oras circumferebant, ſed terrorem intentabant, ſed luctuoſas ubique pugnas & ſtrages edebant. Tuus, Illuſtriſſime Princeps, Aliſo nihil habet durum, nihil aſperum; ſed in eo clementia in ſubditos, obſervantia erga finitimos dynaſtas, de omnibus benè merendi voluntas habitat. Denique quid poteſt in ea domo eſſe non pacatum & mite, in qua eo tempore, quo vicinia, necdum poſitis armis, vel præteritas clades deplorat, vel formidat imminentes, de Academia fundanda conſilia agitantur, propagandiſque bonis litteris, quæ germanæ pacis filiæ, atque alumnæ, non niſi in dulci otio, & ſumma rerum omnium tranquillitate acquieſcunt? Crede mihi, Princeps optime, Carolus ipſe Magnus, DEUS bone, quantus Imperator! feliciorem, te Principe, Aliſonem eſſe ducit, quàm ſe Saxones indè armorum formidine ſubjugante. Quod enim illi optare potiùs, quàm ſperare licuit, id te nunc aſſecutum videt. Quò enim illius mens aſſiduò eſſet intenta, ſatis oſtendit anno CHRISTI DCCLXXII. cùm, paucis etiam Saxonum ad CHRISTUM traductis, Adriano I. Pontifice, Romam profectus, *partem aliquam Saxoniæ* (Luitprandi Ticinenſis verba ſunt) *in provincia Weſtphalia, quam ad fidem Chriſtianitatis convertit, ut ipſe jam prædictus Papa præcepit & docuit, ſecundâ feriâ Paſchæ,*

Gobelinus c. 72. & 6.

In vitis Pontif. in Adriano.

in baſilica S. Petri Apoſtoli, inter cætera quæ ad manum Papæ offerebat, Deo in ſacrificium obtulit. Videſne, Princeps optime, in quo religioſiſſimi Cæſaris curæ & cogitationes omnes evigilarint? In eo vidélicet ut Weſtphaliam univerſam ad CHRISTUM adjunctam, in Beati Petri, ejuſque ſucceſſoris poteſtate collocatam, DEO immolaret. Sed quantum intereſt inter rudem, agreſtemque populum, & omnibus ingenii ornamentis excultum, tanto eſt tuum, Princeps Illuſtriſſime, Caroli ſacrificio præſtantius. Cujuſmodi enim Weſtphaliam Carolus DEO conſecrabat? nonne recens è tenebris emerſam, & etiam caligantem, ac, niſi metu retineretur, eodem rurſus præcipitaturam? Tibi verò, Princeps Illuſtriſſime, quale, & quàm DEO jucundum munus licet offerre? tot lectiſſimos adoleſcentes, qui modò litteris in hac tua Academia operantur, quique conſequentibus ſeculis operabuntur: qui non modò ipſi ſalutarem doctrinam combibunt, ſed alios quoque erudire, & aliud ex alio ſacrificium poſſunt accendere. quod quidem ſacrificium DEO gratiſſimum totque mortalibus ſalutare, jam indè ex eo tempore, cùm primum hoc inſtituendæ Academiæ conſilium, in hoc tuo Aliſóne, iniiſti, immortalem tibi apud DEUM, & homines gloriam conciliat.

CAPUT XIV.

Gratiæ nomine civitatis Paderbornenſis.

QUò magis æquum eſt Paderbornenſes, grates & laudes immortales DEO Opt. Max. habere atque agere, qui te huic Eccleſiæ difficillimis temporibus Theodorum, id eſt divinum quoddam, & cæleſte donum largitus eſt. Si enim tunc immortali quodam ſe beneficio affectos profitentur, cùm Caroli imperio huc miſſi ſunt, qui primis eos ſalubris doctrinæ elementis erudirent, quanto eſt hoc majus atque ſplendidius, tua Princeps ope perfectum eſſe, ut Divinæ Sapientiæ, & omnium, quæ illi famulantur, Diſci-

Diſciplinarum Templum eſſet Paderborna? Itaque quod diſertiſſimus Judæorum Philo prædicabat de Athenis, eas eſſe in Græcia, quod ſit pupilla in oculo, & mens in anima, idem nunc, tuo, Princeps Optime, beneficio celebrabitur de Paderborna: eam eſſe *Lumen*, *Mentemque Weſtphaliæ.* Hinc enim illa accerſet, qui populum de ſuperiore loco in templis erudiant, qui ſacris tribunalibus præſideant, qui Eccleſias, qui cœnobia gubernent. Hîc illi divinarum, humanarumque rerum ſcientiam haurient: hîc in luce doctorum hominum ſuæ eruditionis, & virtutis ſpecimen dabunt: hîc promeritis titulis, & decoris inſignibus cohoneſtabuntur, eritque dubium pluſne Paderborna dignitatis afferat Weſtphaliæ, tales fingendo, atque formando, an Weſtphalia Paderbornæ, iis, quos illa perfecerit, munera honoreſque mandando. Ipſa verò quantum inde fructum capiet, cùm ſimiliter atque his ſuis ſalubribus fontibus, omni ſcientiæ ubertate circumfluet? Numquam illa præterea uſque eò ſe tranſverſam trudi ſinet, ut ab homine omnium rerum honeſtarum ignaro, & bardo, templum, aram, ſuggeſtum teneri, abſterreri plebem à religione majorum, divelli ab imperio, & auctoritate Principis, & Antiſtitis ſui, divina & humana violari patiatur. Fuerunt hæc Ignorantiæ facinora, quæ Rebellionem, Temeritatem, Furorem perpetuos habet ſatellites. At verò poſtquam tua, Princeps Illuſtriſſime, inſigni illâ caritate, quâ illius ubique ſalutem & commodum, nuſquam tuum quæſtum ſequeris, congeſti ſunt, ut cum Apoſtolo loquar, carbones ſuper caput ejus, atque demum, ne unquam ad priſtinas tenebras revolveretur, hanc ei quaſi immortalis lucis officinam comparaſti, jubet nos divina Benignitas, & Sapientia, à qua hæc tam certa præſidia proviſa ſunt, omnia de ea, quæ volumus, polliceri. Licet verò, ut nunc quidem eſt, juſto pauciores hoc tantum tuum beneficium, quanti par eſt, æſtiment, vivet tamen, ac vigebit in memoria poſteritatis ſempiterna. Noli enim diffidere in paucis annis, Paderbornam ad ejus ætatis gloriam poſſe re-

vocari, cùm totius propè, uti narravimus Septemtrionis lux quædam erat, & magiſtra. Ibi demum cognoſcet quàm eximia fuerit tua voluntas, quàm ſalutaria conſilia, quàm immortalia merita. At modò, tametſi apud paucos, ut dixi, hæc eo ſunt pondere quo oportet, tamen pauci illi maximas tibi, & ſuo, & infelicium illorum, qui minus intelligunt, nomine gratias agunt, Deumque precantur ex animo, ut quando non proinde, ac mereris, gratia tibi habetur ab hominibus, ipſe tanto hanc jacturam pluribus, uberibuſque præmiis inter mortales, cæleſteſque compenſet.

FINIS LIBRI SECUNDI.

PANEGYRICI;
DIE NATALI
ACADEMIÆ THEODORIANÆ
PADERBORNENSIS,
Ejus Illuſtriſſimo Principi Fundatori oblati,

LIBER III.
De Illuſtriſſimi Principis in fundanda Academia conſilio.

Caput I.
Procœmium.

QUod, Princeps Illuſtriſſime, honeſti liberi ſuæ adverſum Parentes, & ſuæ ſtirpis auctores pietatis eſſe putant, ut cùm eos omni officio colant, tum eorum præclarè factis cognoſcendis, atque commemorandis plurimùm delectentur: eodem videmur nos, quique unquam in hac Academia bonis litteris inſervient, erga te optimum, ac præſtantiſſimum ejus parentem animo eſſe debere. Eſt igitur profectò noſtrarum partium, poſteaquam de Weſtphalia, atque Paderborna, quæ eſt Academiæ quaſi patria, nonnulla dicta ſunt, ut de tuis quoque, Princeps Illuſtriſſime, laudimus diſſeramus. Atenim video jam illam tuam omnium dictorum factorumque moderatricem, ac magiſtram Modeſtiam, ad hanc ſolam mentionem laudis contraxiſſe frontem, & triſtiore, quàm adhuc, vultu accipere

orationem meam. Sic enim illa te jam inde à prima infantia finxit, atque formavit, ut cùm omnia unius DEI cauſſâ facias, à quo omnia ſunt profecta, DEUM ipſum ſat magnum tuarum virtutum pretium putes: ut proinde anxiè ſemper verenti, ne vel aliud ac DEUM ſpectaſſe, vel aliquid ejus munerum aſcripſiſſe tibi videare, moleſtiæ ſit atque faſtidio omnis tuarum rerum commemoratio. Atque hanc equidem, tuam, Princeps Optime, ſubmiſſionem animi, ſemper, fateor, pro eo ac debui, tanquam cœleſtem in hoc dignitatis faſtigio virtutem, ſum veneratus: tamen hodiernus dies nonnullam mihi dubitationem attulit, eſſetne tali tempore illi de jure ſuo cedendum, atque paulliſper, publici commodi cauſſâ, ab illa conſuetudine deflectendum. Sic enim cogitabam: ſi id vereatur tua Modeſtia, ne tua laus quicquam de DEI gloria decerpat, nunc profecto illud eſſe cùm de tua laude ſilere ſit nefas, quoniam, niſi te publicè laudato, DEI gloriam obſcurari neceſſe eſt. Non enim DEUS, cùm hanc tibi Academiæ fundandæ cogitationem objecit, paucis mortalibus conſulebat, ſed compluribus latè terris, atque populis: non ad fructum exigui temporis, ſed ad perpetuitatem conſequentium ſæculorum: non viles, atque incertas utilitates, ſed ſapientiæ lucem, ſolidæ gloriæ ſegetem, adjumenta ſempiternæ ſalutis, felicitatis præſidia comparabat. His talibus tantiſque muneribus ut gratiæ, quas Deo certè debemus, aliqua ex parte reſpondeant, par eſt eas non in arcana tantùm, ac tacita cogitatione, ſed publicis, illuſtribuſque mandatas monumentis, in media hominum luce verſari. Quod ſi ita eſt, quî fieri poteſt, ut, cùm beneficia quæ DEUS Opt. Max. Te Princeps Illuſtriſſime adminiſtro, nobis præſtitit, palam celebrentur, de eo, quod abs te præclarè geſtum eſt, ſileatur? Verebar deinde judicia poſterorum. Quid enim exiſtimas illos eſſe dicturos, ſi tuum tanti beneficii auctoris nomen ad eos abſque ulla tranſmiſerimus, vel tuorum commemoratione meritorum, vel noſtræ teſtificatione pietatis? Num cauſſam dicere licebit, quin nos

nos omnium mortalium invenuſtiſſimos, atque ingratiſſimos fuiſſe judicent? Tametſi enim nihil eſt tibi glorioſius, quàm, cùm tanta perfeceris, nihil gloriæ amore feciſſe, tamen poſteaquam, pro rerum geſtarum claritudine, gloria te ſequitur vel invitum, noſtrâ certè cauſſâ tibi lætandum eſt, cùm his operibus tuis magnificis, atque præclaris gloriam tribuimus, quæ niſi in laude poneremus, nunquam induceremus animum, ut, quod unum optas, his abs te nobis paratis commodis uteremur. Qui enim illum meritâ laude privat, cujus beneficium habet, is profectò ſatis oſtendit ejus ſe beneficii fructu non moveri. Atque hæc quidem ſuccurrebant reputanti, quid noſtram in te pietatem deceat, & quid virtutibus tuis debeatur. Sed quoniam attendendum quoque fuit quid modeſtia tua, quid aures ferre poſſent, faciendum mihi viſum eſt, ut tuâ, Princeps Illuſtriſſime, cauſſâ, laudatione quidem abſtinerem, ne tamen ſuum Fundatorem, ac Parentem Academia quondam ignoraret, breviter, quid in ea inſtituenda conſilii ſis ſecutus exponerem. Ita enim fore confidebam, ut neque poſteros quicquam eorum fugeret, quæ ſcire intereſſet, neque tuæ modeſtiæ negotium facerem. Tametſi enim nihil horum abſque tua laude dici poteſt, ita tamen dicentur, ut non in iis laus tua, ſed eorum utilitas quæſita videatur, in quorum commoda tantum curarum, opumque contuliſti.

CAPUT II.

Illuſtriſſimum Principem, in fundanda Academia, ſuæ, & Majorum præclaræ indoli reſpondere voluiſſe.

AC licet arduum, & fortaſſe temerarium videatur Principum, qui, ut faſtigio, ita quâdam mentis altitudine DEO ſunt ceteris mortalibus propiores, conſilia perſcrutari velle, & exponere; tamen, quemadmodum ex iis, quæ in rebus creatis cernimus, nonnihil interdum de pro-

propoſito divinæ mentis aſſequimur: ita in iis quæ publicæ commoditatis amore abs te, Princeps Sapientiſſime, adhuc facta ſunt, extant nonnulla veſtigia, in quibus tua ſalutaria conſilia, quaſi deſcripta legimus. Quid, quòd in ipſa quoque tua indole, natalibus, genere, eſt quiddam, quo facilè, ut ad alia præclarè gerenda, tum ad meditandam Academiam exſtimulatum eſſe cognoſcimus? Quanquam enim, ut eſt quiſque maximè generoſus animus, ita genus, & proavos, & quæ, ut canit ingenioſus Poëta, non fecimus ipſi, minimè ad ſe pertinere ducit; tamen poſtquam ſemel eſt animus virtutis amore inflammatus, hunc è claro genere fructum capit, quòd eorum facta intuens, à quibus eſt progenitus, ne degener videatur, elaborat. Atque hunc ſtimulum legimus in divinis quoque litteris admoveri: Sic enim Divus
1 Tim. 1. v. 5. Paulus Timotheum ſuum alloquitur: *Recordationem accipiens ejus fidei, quæ eſt in te non ficta, quæ & habitavit primùm in avia tua Loïde, & matre tuà Eunice, certus ſum autem quòd & in te. Propter quam cauſam admoneo te ut reſuſcites gratiam DEI, quæ eſt in te.* Hoc præceptum ab Apoſtolo datum Epiſcopo minimè tibi, Princeps optime, prætereundum putaſti. Videbas enim in nobiliſſima tua Furſtenbergiorum familia tot ſeculis integerrimam fidem Catholicam, non ſine inſigni aliarum virtutum comitatu, ut verbo Apoſtoli utar, habitaſſe. Numerabas in iis complures, qui non vulgarem eruditionem, rerumque uſum ſibi pepererant: multos, qui in altiore dignitatis gradu poſiti, Remp. conſiliis, & operâ ſuſtentarant: in pleriſque omnibus eximia quædam in DEUM pietas, facilitas, atque omnibus in rebus modeſtia, & publicorum commodorum amor. Nam, ut alios prætercam, quantâ gravitate, & ſapientiâ fuiſſe accepimus abavum tuum Wennemarum Furſtenbergium? quantâ vitæ ſanctimoniâ ejus conjugem Cordulam à Galen? De qua illud accepimus, ſolitam tanto CHRISTI pro nobis dira paſſi amore exardeſcere, ac viciſſim optare aliquid ejus cauſſâ moleſtiarum exorbere, ut linteorum omni mollitie depoſitâ,

ſita, laneo duntaxat veſtitu, nudiſque pedibus ſacellum crebro adiret eo intervallo ab avita domo diſſitum, quantum inter locum, ubi CHRISTUS damnatus eſt, & Calvariæ collem intereſt. Quam rem ſcio levem iis hominibus viſum iri, qui totum hoc majorum noſtrorum, ut nos ſentimus, religionis, ac pietatis, ut ipſi dicere ſolent, ſimplicitatis, & ſuperſtitionis genus ludificatui habent. Verùm non pœnitet me laudare in nobili femina, quod in Alipio, qui deinde fuit Epiſcopus, prædicandum ſibi putavit Auguſtinus: velut *fortiſſimo*, inquit, *domitore corporis, uſque ad Italicum ſolum glaciale nudo pede obterendum, inſolito auſu.* At hoc domandi corporis more muſteum hoc Euangelium funditus caret. Quò libentius hæc talia commemoro, Princeps Illuſtriſſime, ut omnes intelligant, ſolidam illam, virilem, antiquam, Catholicam religionem à majoribus tuis cultam eſſe. Hanc veluti cariſſimam hæreditatem adierunt, poſteriſque reliquerunt, Avus tuus Fridericus Satrapa Werlenſis, Electoris Colonienſis Conſiliarius, & Pater item Fridericus Satrapa Bilſteinienſis, cujus integritas, doctrina, prudentia, dicendi vis cùm in patriæ negotiis, tum in publicis Imperii conventibus ſæpenumero cognita eſt. Hanc unà cum lacte ipſe ſuxiſti à lectiſſima & antiquæ innocentiæ amantiſſima femina Anna Weſtphael, quam omnibus ſemper pietatis officiis coluiſti. Non eſt ab his divellendus Joannes Furſtenbergius magnus Patruus tuus, qui DEO mancipatus in nobili Cœnobio Sigebergenſi, quod D. Anno Colonienſis, accitis è Fructuaria Italiæ viris ſanctitate præſtantibus, quondam fundaverat, brevi ad eas virtutes, quas domeſticâ diſciplinâ combiberat, ſanctiora illa inſtituta adjungens, tantum profecit, ut ſacer ille cœtus dignum eum judicaret, cui ſe & cœnobium regendum traderent. Quod munus ita ſuſtinuit, ut Inſtaurator dici poſſit, cùm veteris illius diſciplinæ, tum tectorum, atque fundorum. itaque clariſſima eſt apud illos ejus nominis memoria & præclaris parta virtutum exemplis, & opibus, quas aſſiduâ rei communis curâ,

Lib. 9. conf. cap. 6.

ac parſimoniâ collectas haud modicas ſucceſſori reliquit. Jam verò flagitium ſit, ſi ex hac ipſa inclyta ſtirpe, Guilielmum Furſtenbergium præteream, Ordinis Equitum Teutonicorum Sanctæ Mariæ in Livonia Magiſtrum, in quo Principatu Henrico à Galen ſucceſſit. Huic duæ res diſſimillimæ egregiam demonſtrandæ virtutis ſuæ facultatem dedere, Principatus, & Adverſa fortuna. Nam cùm florenti ætate ſacram illam militiam adminiſtrandam accepiſſet, in multiplici reip. perturbatione, conſiliis, atque armis integritatem Catholicæ religionis, dignitatemque ordinis ſartam tectam conſervavit. Quod eo fuit difficilius, quòd cùm frequentibus præliis laceſſeretur à Moſchis, interea neque vicinorum dynaſtarum diſſidia, neque orientes jam tum peſtiferæ ſectæ, res ejus eſſe quietas ſinebant. Ubi verò jam ingraveſcente ætate, poſt tantam jactationem, portum ſibi quaſi quendam providit, & deſignato ſibi ſucceſſore, in munitam inprimis arcem Vellinum ſe contulit, ut, quod ſupererat ætatis in honeſto otio contereret: ibi verò majus, quàm in medio mari, naufragium invênit. Nam anno MDLX. cùm Moſchi magnis copiis in Harriam, & Lettoniam ſe effudiſſent, tandem cæſo Teutonicorum equitum exercitu, exeunte Quintili Vellinum oppidum, quatefactis vi tormentorum muris, & ignibus in tecta conjectis, ceperunt. Arcem verò ipſam, in qua Princeps verſabatur, conſcelerati milites, qui in præſidio erant, pacti corporum ſuorum, & omnium, quæ efferre poſſent, incolumitatem, nefariè prodiderunt. Quid plura? direptis, quæ in arce erant, Principis opibus, ipſum fruſtra quiritantem, & fidem eorum appellantem Moſchis dedunt. Neque tamen perfidis ſuâ prædâ diu frui licuit. Nam Moſchi re cognitâ ſpoliatos omnibus quæ rapuerant, inanes dimiſerunt. Princeps ipſe captivus ductus in Moſchoviam, illuſtre barbaris patientiæ & pietatis exemplum fuit. Cùm enim templo careret, in quo
Gen. 18. Romano ritu ſacra ſierent, velut quondam Abraham, ſub quercu Mambre, ſic optimus ſenex ſtatis temporibus, ſub

qua-

quadam arbore, DEUM colebat. Felicior omninò, qui conſervatâ majorum religione in exilio, & cuſtodia diem ſuum obiit, iis, qui, illâ repudiatâ, fumoſos titulos, & fluxas opes ſibi pepererunt. Etenim Guilielmus noſter, quod de Theodoſio Magno ſcripſit olim D. Auguſtinus, *Eccleſiæ ſe membrum eſſe, magis quàm in terris regnare gaudebat.* Neque aliter, atque ille affecta eſt cætera Furſtenbergiorum familia, quæ ad hunc uſque diem in tanta religionum licentia, ſuæ illi, quam ab optimis majoribus accepit, adhuc præclarè conſtitit. quod noſtrâ tempeſtate tam paucis familiis elogium video tribui poſſe, ut perinde ſint raræ, atque fluvii, qui invecti in mare dulces, inter ſalſas, aquas perpetuò retinent. Atque hæ familiæ tuæ laudes, Princeps Illuſtriſſime, haud paullò magis eam exornant, quàm illæ ab ejus vetuſtate, primaque origine decerptæ. Non enim deſunt, qui & antiquarum tabularum auctoritate, & è gentilitiorum inſignium forma, & natalis loci ſitu demonſtrare ſe poſſe confidant, Furſtenbergiam domum è vetuſtiſſima, clariſſimaque Comitum Oldenburgenſium ſtirpe genus ducere: Sed nimirum antiquius tibi ſemper fuit illuſtria majorum tuorum exempla virtutum æmulari, quàm obſcuras, & tot ſæculis à noſtra memoria ſemotas generis tui origines excutere, & perſcrutari. Hoc certè Catholicæ religionis ſtudium, quo inflammatus cùm alia permulta geſſiſti digna immortali laude, tum hoc gymnaſium condidiſti, pia illorum, atque attenta educatio, ac diſciplina tibi primum inſeruit. Exornaſti deinde, atque auxiſti, quod à parentibus acceperas, cùm profectus es Coloniam Agrippinæ, cui Urbi Stanislaus Hoſius doctiſſimus Cardinalis, non dubitat acceptum ferre, quicquid in provinciis circa Rhenum ſupereſt integræ, puræque de religione doctrinæ. Ibi minimè contaminatæ, vel ambiguæ fidei magiſtris uſus, eorum ſtudiorum fundamenta jeciſti, quorum fructum facilè vel ex hac tua, affecta jam ætate prompta, & locuplete omnis eruditionis memoria, quam nemo non obſtupeſcit, æſtimamus. Cæterùm

S. Aug. de civit. Dei c. 26.

Hoſius in epiſt. ad Senat. Colon.

jam tum illa bonarum tractatione litterarum, inducebas animum, plurimum conducere, ad redintegrandum quicquid in religione labefactum eſt, juventutem ab iis duntaxat magiſtris liberalibus artibus infici, qui nihil alienum à majorum pietate ſentirent. Quo in ſtudio eruditionem cum religionis integritate copulandi tecum faciebant germani tui Fridericus, eximiâ gravitate & prudentiâ vir, Canonicus Moguntinus, &, qui etiamnum vivit, Caſpar Furſtenbergius duorum Electorum Moguntini, & Colonienſis Conſiliarius, ſupremus Weſtphaliæ Satrapa, jam pridem in omnibus Imperii conventibus magna cum dignitate, & publico commodo verſatus. Neque hæc ſolùm magnorum operum adjumenta domo ad Remp. attuliſti; ſed præterea, cùm plerique omnes claris orti natalibus, immodicis in veſtium, ædium, familiæ ſplendorem jacturis ornare ſe ſperent fortunam ſuam, ita à majoribus Furſtenbergii ſunt edocti, atque aſſuefacti, ut ſciant dignitatem generis crebris & illuſtribus virtutum documentis, non rerum inanium apparatu, luxuque retineri. Hinc illa tua, Princeps optime, in hoc quoque faſtigio in victu cultuque frugalitas: domus expers ſtrepitûs, atque turbarum: latus caritate magis tuorum, quàm armis ſeptum: denique ſumptus in privatum modici, in publicum profuſi. Cui enim nullæ ſunt inſanæ cupiditates, quæ neque exhauſtis Reip. vectigalibus expleri poſſint, ei neceſſe eſt opes ad juvandam, ornandamque Remp. ſupereſſe. Meritò igitur, Princeps Illuſtriſſime, Academia noſtra, non tibi modò, ſed inclytæ quoque domui Furſtenbergiæ ingentes gratias agit, quòd te ſuſtulerit, talemque formarit, cui propter conceptum à teneris veræ religionis, omniſque præclaræ diſciplinæ amorem, ſi quando ad dignum tuis meritis locum pervenires, cupido fundandæ Academiæ facilè poſſet incidere, neque, propter inſignem in omni vita temperantiam, rerumque omnium modum facultas perficiendi deeſſet.

CAPUT III.

Miſerum ſtatum, in quo à primo Eccleſiam Paderbornenſem offendit, Principem in cogitationem Academiæ impuliſſe.

QUis verò DEI in Eccleſiam Paderbornenſem eximiam voluntatem, atque providentiam ſatis pro dignitate prædicet, qui in ipſo tempore, parta cæleſti afflatu, & domeſticis inſtitutis animi tui ornamenta, non diu cunctatus, ad ejus ſalutem, dignitatemque convertere dignatus eſt? Vix inter hujus Eccleſiæ Canonicos cenſeri cœperas, cùm in te omnium conjecti ſunt oculi: neque quiſquam fuit, qui ut tibi honores mandarentur, canos expectandos putaret. Aliorum virtutem diu periclitatur, & explorat Eccleſia, ſæpe experta eos quoque quorum ſenectus omni laude floruerit, prius in illo ætatis lubrico, ut non ceciderint, titubaſſe. Te in ipſo juventutis flore Præpoſitum ſibi delegit, de robore animi tui, conſtantiâque ſecura. Quod equidem divino nutu factum arbitror, ut in tempore, Reip. vulnera, quæ paullò pòſt curanda tibi eſſent, accuratè cognoſceres. Eo enim tempore verſabatur hæc Eccleſia in poteſtate Principis à Catholica religione alieni, neque multò antè vicinæ provinciæ gravibus erant ob diſſidia de fidei doctrina motibus jactatæ, quos Gebhardus Truchſeſius Archiepiſcopus ductâ uxore, & Eccleſiæ contemtâ auctoritate excitarat. Itaque omnibus fato quodam temporum ad ſtudium novarum rerum converſis, & cum iis faciente ipſo, qui corrigere debuit, Antiſtite, univerſa rei Catholicæ cura, huic Admodum Reverendo & Nobiliſſimo Canonicorum Eccleſiæ Cathedralis Collegio incubuit, cujus in tuenda majorum religione excubiæ, ac labores digni omnino ſunt quos juſtiſſimis laudibus, & gratiis poſteritas tota proſequatur. Inter hos eminebat tua, Princeps Illuſtriſſime, animi magnitudo in vincendis rebus adverſis, prudentia in capiendo

conſilio, dexteritas in Eccleſiæ incolumitate ubique procuranda. Itaque cùm defuncto Principe de ſucceſſore deligendo Canonici convenisſent, nemini propè dubium fuit, quin, ſi ſalvam vellent Eccleſiam, tuæ potiſſimum fidei credenda eſſet. Ita omnibus volentibus, & fauſtâ precatione te proſequentibus, Epiſcopus Paderbornenſis es renunciatus. Ibi cùm provinciam propè depoſitam, ac deploratam accepiſſes, ita perſanandam putaſti, ut eam aliquando non qualem modò accepiſſes laceram & afflictam, ſed florentem, ornatamque poſſes ſucceſſori relinquere. Nihil dico de fortunis, quas propè conſumptas repperiſti: nihil de ære alieno, quo graviter ſanè premebatur: nihil de oppoſitis pignori fundis, ac villis. Taceo non modò nunc exiſſe ex ære alieno, & quicquid uſquam obligatum fuerat bonorum Eccleſiæ, abs te liberatum eſſe, ſed etiam novas arces exædificatas, nova vectigalia conſtituta. Et quoniam ſuperiore libro nonnulla à me dicta ſunt de hac tua ad confluentes Luppiæ, & Aliſonis nova arce, adjiciam quoque de altera nonnihil, quæ Wevelsburgum dicitur. Ferunt in eodem loco antea arcem ſtetiſſe, cujus originem Hunnis, ſive Hungaris tribuunt. Illi enim priuſquam ad CHRISTI fidem, & humanitatem traducerentur, ut erant in primis immanes, & efferi, eruptione factâ in Saxoniam, & Turingiam circa annum Domini DCCCCVII. omnia flammâ ferroque vaſtarunt. Ab illis igitur, vel certè contra illos, prodidere quidam arcem primò poſitam II. à Paderborna milliario, ac reſtauratam deinde à Friderico Arnsbergæ Comite, qui deceſſit è vivis anno CHRISTI MCXIII. Venit poſtea in poteſtatem nobilium dynaſtarum in Beuren, atque inde in ditionem Paderbornenſium Antiſtitum. Extructa eſt abs te, Princeps Illuſtriſſime, forma triangulari, ſpecie ſanè viſendâ, atque magnificâ. Quæ quidem, aliaque ejuſdem generis opera ſi commemorarem, nihil equidem dicerem à laude Eccleſiaſtici Principis alienum. Nam etiam noſter Magnus Carolus, cùm epitaphium carmen, quod Romæ, hodieque in

Gobelinus ætat. 6. c. 57.

in Vaticano viſitur, ſcriberet Hadriano I. Pontif. Maxim. quem ſummâ pietate coluit, hæc inter ejus laudes quoque numeravit:

Doctrinis, opibus, muris erexerat arces,
Urbs caput, orbis honos, inclyta Roma tuas.

Extat apud Baron. tom. 9. Anno CHRISTI *795.*

Sed magis ſemper es arbitratus ad te pertinere quæ ad animorum ſempiternam ſalutem, & Orthodoxæ religionis incolumitatem ſpectarent. Eò igitur eveſtigiò curas cogitationeſque contuliſti. Neque id diu præteferre cunctatus es. Certè David Chytræus homo Lutherianus, tuam electionem enarrans ſic ait: *Paderbornenſi diœceſi Theodoricus à Furſtenberg gubernandæ præpoſitus eſt, & Calendarium Gregorianum ſubditis ſtatim obtruſit.* Studuit homo vafer, obtrudendi vocabulo, pulcherrimum factum in invidiam vocare, quam ſcilicet, Princeps Illuſtriſſime, facile contemnis, quòd auctoritati Vicarii CHRISTI, & Nicæni Concilii omnium ſanctiſſimi parêre, nihil habeat quod erubeſcendum videatur. Poſt hæc verò cùm animadverteres curſum religionis Catholicæ duabus potiſſimum rebus retardari, multitudine prava docentium, qui ſuperioribus temporibus omnia ferme ſuggeſta involarant, & inopiâ eruditorum ſacerdotum, qui veritatem adverſus mendacia tuerentur, utrique medicinam adhibere aggreſſus, lolii ſatores faceſſere, & res ſuas ſibi habere juſſiſti. Diuturnioris aliquantò curæ, & operæ fuit idoneos rei Catholicæ adminiſtros, & doctores formare. Diu enim in hac urbe ne quidem Grammaticæ ludi ſatis ad rem Eccleſiæ erant comparati, donec Salentinus Colonienſis Elector, qui hanc Eccleſiam ſimul adminiſtrabat, annuis vectigalibus auctis, ſtudia litterarum nonnihil erigeret. Extiterunt deinde illo decedente, ea tempora, ut Reverendum, & Nobile Cathedralium Canonicorum Collegium in litteris, quibus anno MDLXXX. Kalendis Junii longiorem operam Patrum Societatis JESU expetit, confirmet raros poſſe reperiri, quorum ſatis conſtans, & certa ſit de divinis rebus ſententia, cùm quilibet fere, quod commodum ſit, credat. Quæ res quo-

In Chronico Saxoniæ anno 1585.

quoque eoſdem ſapientiſſimos Eccleſiæ noſtræ proceres impulit, ut ludi adminiſtrationem omnem Societati JESU poſtea committerent. Sed tibi nimirum jam tum, Princeps Sapientiſſime, videbatur, niſi conditâ Academiâ, nunquam Eccleſiam in his terris eam doctorum hominum, quæ ſatis ſit ad frangendos adverſariorum impetus, facultatem habituram. Neque enim defuerunt viri graves, è quibus nonnemo etiamnum ſupereſt, qui te audierunt, cùm diceres ipſis principatûs exordiis te confidere, tantum tibi vitæ atque opum datum iri divinitus, ut publicam artium maximarum officinam ponere in hac urbe liceret. Ea res quamvis id temporis ardua videretur, tamen fuit cui contemplatio magnitudinis animi tui, & ſpes utilitatis publicæ lachrymas cieret. Jam enim intelligebas, quod à Divo JOANNE CHRYSOSTOMO diſertâ, ut aſſolet oratione, firmiſque rationibus oſtenditur, parum eſſe Chriſtiano doctori, ſi vulgari quâdam, & mediocri eruditione ſit præditus, propterea quòd incertum ſit, quibus potiſſimùm armis humani generis incautos ſit aggreſſurus. Facit enim ille quod ii, qui urbem aliquam circumſident, ut eâ parte præcipuè faciat impreſſionem, quâ paucioribus præſidiis munitam eſſe viderit. Itaque ſi parochus quis Eccleſiam regendam ſuſceperit, qui, ut ceterorum non ſit rudis, minùs ſit Græcè, vel Hebraicè doctus, confeſtim extimulat, qui voces in ſacris litteris, aliter ac veritas habet, accipiendas eſſe contendat: Si dialectices eſt ignarus, exſuſcitat, qui argutis eum concluſiunculis impediat: Si hiſtoriæ veteris, & Eccleſiaſticæ eſt imperitus, qui fictas fabulas, & contortas, ac difficiles temporum rationes objiciat. Denique quacumque in arte fuerit minùs verſatus, in ea ſi adverſario latus præbuiſſe videbitur, quamvis ceteroqui ſit excellenti, reconditâque doctrinâ, tamen cauſſam dederit imperitis ſuſpicandi, ideò quippiam in Catholica doctrina verum non eſſe, quòd à veritatis doctore, non quicquid contrà dici poteſt, diluatur. Id ſi iis uſu venire poteſt, qui ſublimioribus diſciplinis exculti, minorum

Lib. 4. de Sacerdot.

ſunt

ſunt expertes, quid illis fiet, qui inferioribus leviter tincti, nullam partem graviorum attigerunt? Magnâ igitur ratione, Princeps Illuſtriſſime, inſtituiſti, cùm provinciam accepiſſes refertam oppugnatoribus Catholicæ religionis, vacuam propè iis qui pro dignitate ejus ſcita, ac decreta explicare poſſent; ſucceſſori optimè eruditis hominibus ſeptam & vallatam relinquere, qui illam omni doctrinæ genere, adverſus quodlibet hoſtium genus propugnare, & tueri didiciſſent.

CAPUT IV.

Illuſtriſſimum Principem fundanda Academia paci, & tranquillitati publicæ conſultum iviſſe.

QUibus rebus perfeciſti ut & Epiſcopi, cujus eſt ſibi creditos homines erudire, & Principis, qui non ſine cauſſa gladium portat, præclarè muneribus perfunctus eſſe viderere. Tunc enim minus moleſtum eſt timore pœnarum ad veritatem amplectendam cogi, cùm non defuerint, qui eam veritatem eſſe, quæ oſtenditur; errorem verò qui abjici jubetur, liquidò docere poſſint. Itaque ubi & mens doctrinâ imbuitur, & voluntas poteſtate compellitur, prona eſt obedientia. Obedientiam conſequitur pax illa, de qua alicubi Auguſtinus, cùm diſputaret contra Gaudentium, qui nolebat Hæreticos, & Schiſmaticos Imperatoribus pœnas dare: *Regibus* (inquit) *ea quæ ſecundùm Deum ſunt religioſo timore jubentibus quiſquis obtemperat, timore incipiens, & dilectione proficiens, à Domino accepit pacem, non ſicut pacem dat ſæculum. quoniam ſæculum dat pacem propter temporalem utilitatem: Dominus autem propter æternam ſalutem.* Verùm, ut alibi docet idem ſanctiſſimus Antiſtes: *Utitur etiam cœleſtis civitas in hac ſua peregrinatione pace terrenâ.* Cujus civitatis procuratio cùm Chriſtiano Principi, præſertim Eccleſiaſtico, ſit commiſſa, & ipſe *humanarum voluntatum compoſitionem, quantum ſalvâ pietate ac reli-*

Lib. 3. contra Gaudentium circa finem.

Lib. 19. de civit. Dei c. 17.

Ibidem.

religione conceditur, tuetur atque appetit, eamque terrenam pacem refert ad cæleſtem pacem: quæ verè ita pax eſt, ut rationalis duntaxat creaturæ ſola pax habenda, atque dicenda ſit, ordinatiſſima ſcilicet & concordiſſima ſocietas fruendi Deo, & invicem in Deo. Igitur, ut equidem Auguſtini orationem audio, Chriſtiano Principi præcipuè propoſitum eſſe oportet, ut omnibus, quibus imperat, cum DEO atque inter ſe conveniat. Deinde hujus gratiâ, in iis quoque quæ ad hanc vitam degendam pertinent, pax eſt Reip. concilianda, atque tranquillitas. Hæc igitur, Princeps Illuſtriſſime, cùm tui officii eſſe duceres, quantum animo laboraris, ut omnis tui imperii regio otio ac ſecuritate frueretur, nemo eſt in ea rerum omnium tam rudis, ac peregrinus qui ignoret. Quantis enim curis, atque impenſis egiſti, ne ardente finitimis terris civili bello, idem populos tuos afflaret incendium? quàm ſedulò ſemper honeſtam cum vicinis Principibus adverſus prædonum vim, ac rabiem, ſocietatem coire ſtuduiſti? quoties eorum ingentes copias, ne miſerorum fortunas diripi, & corpora vexari patereris, pacto cum iis pretio, à finibus tuis arcuiſti? quoties jam ingreſſos, & velut in hoſtili populantes omnia, atque vaſtantes, immiſſis copiis tuis cecidiſti? quanto metu provinciam univerſam eo die liberaſti, cùm tuis auſpiciis, tuorum militum virtute, volitantia in conſpectu hujus Urbis prædonum agmina, ad Benhuſium vicum juſtis ultus es armis? Quid? cùm ad novam-Becam oppidum, equeſtres copiæ, ejus oppidi exitium, & vaſtitatem anhelantes, à tuis hominibus devictæ, hibernas nives ſuo ſanguine cruentarunt? Quid ego ceteram tuam in omnes publicæ quietis perturbatores, auctoreſque injuriarum juſtiſſimam ſeveritatem commemorem? Itaque in ditionis tuæ terras aut tam validâ manu veniant oportet, ut pugnam non pertimeſcant; aut certè velut quendam prædonum ſcopulum devitent. Sed inprimis ſtudio tibi ſemper fuit, ut Paderborna tuæ provinciæ caput, omni civili motu vacaret. Nam cùm anno MDCII. menſe Februario gravis ſenatum inter, & nonnullos

nullos cives exorta eſſet diſcordia, cùm ſenatus à civibus Reip. male geſtæ accerſeretur: cives quòd ſenatum in curia vi quaſi in cuſtodia tenuiſſent, indigniſque modis affeciſſent, inſimularentur, operam dediſti, ut omni vi, ac tumultu ſemoto, jure experiri mallent. Itaque VI. Kalend. Quinct. ejuſdem anni de tuo conſilio viros cùm natalibus, tum juris ſcientiâ præſtantes dediſti, qui cauſſam univerſam cognoſcerent. Interea verò cùm conteſtatâ jam lite is annus eſſet in exitu, novorumque comitiorum tempus appeteret, ac ſenatus quidem ſe in officio fore profiteretur, cives autem illi, duce, atque ſignifero Liborio Wichardo, homine ad res novas moliendas acri, atque verſuto, neque ab armis diſcederent, neque ullum ſenatus inſectandi finem facerent, ſapienter vetuiſti, ne quorum nomina ex utraque parte delata eſſent, eorum in comitiis ulla ratio haberetur. Ibi verò incertum fuit pluſne tuis conſiliis ad pacandam, an illi furore ad perturbandam rempubl. incumberent. Ubi enim dies comitiorum ineunte anno MDCIII. adfuit, ac de more in curiam viginti-quatuorviri, penes quos jus erat renunciandi ſenatus, convenerunt, advolat cum armata ſuarum partium multitudine Liborius, atque intentato, iis qui conſederant, terrore, neminem, niſi ex ſuo ſuorumque voluntate, in ſenatum allegi ſinit, & cui quemque magiſtratum mandari oporteat, ipſe nominatim edicit. Verùm non diu Liboriani hujus quoque, quem pro ſua libidine creaverant, ſenatus injuriis temperarunt. Necdum enim eo menſe elapſo XVII. Kalend. Februarias is ipſe ſenatus, ſupplici dato libello, graviter de iis eſt queſtus. Sed non defuit ei, qui illos contra morem, & inſtituta majorum eligendos curarat, quemadmodum eâdem miſeros importunitate frangeret ac domaret. Ut enim ſibi jam pridem homines factioſos, audaces, egenos, ex ultima plebe devinxerat, omni artificio allaborabat, ut hos omnibus in rebus dicto audientes haberet. Illi ſimul atque ſignum datum erat, cum telis veniebant in curiam: illi quæcumque ipſe vel-

let aſſenſu ſuo, & inconditâ vociferatione comprobabant: illi, ſi quis contrà hiſcere eſſet auſus, ad ſuum ſcilicet Catilinam deferebant, quos ille contumeliis, minis, atque interdum colaphis, & adacto cultro vel ſecum facere, vel certè obmuteſcere cogebat. Ita deterrimum quemque ſponte; qui plus aliquanto videbant, metu ad ſuas partes adjunxerat. Adhæc, ut omnia, vel invito ſenatu, pro arbitrio gereret, novum vigintiquinquevirûm conſilium, è ſuo illo grege, contra civitatis leges & jura creaverat, quorum operâ aſſequebatur, ut quæcumque ipſi placuiſſent, populus vellet juberetque. Neque deerat homini, quamvis litterarum ignaro, popularis facundia, quâ in concionibus, quas frequentes ad ſuos habebat, utebatur, ut eum ſui de cœlo delapſum hominem quandoque, ne ipſo quidem diſſentiente, clamarent. Hunc perturbatum civitatis tuæ ſtatum, Princeps, cùm diutius ferre non poſſes, optareſque cives tuos, qui poſtremorum hominum dominatu premebantur, in libertatem vendicare, principiò VI. Kalendas Jun. ejuſdem anni MDCIII. Senatum ac populum juſſiſti illos vigintiquinqueviros, quos contra leges, & vetera pacta, ad alendum improborum civium furorem, crearant, omni illâ poteſtate privare. At illi ſcilicet annitentibus Liborianis, non poteſtatem eis ademerunt, ſed nomen duntaxat commutarunt, ut qui antea vigintiquinqueviri, iidem poſtea Delecti è populo dicerentur. Quid erat ſui Principis auctoritatem ludos facere, ſi id non erat? Neque tamen, ut eras accenſo infelices adjuvandi ſtudio, ſpem curamque abjeciſti. Animadverteras è claſſibus in quas tota civitas eſt tributa, nonnullam integram eſſe totius hujus perduellionis, & ex aliquot aliis complures, quos duntaxat cæterorum metus mutos effecerat. Spem igitur eras ingreſſus, hos, quibus aliquid reliquum erat ſanæ mentis, ad divellendos ſeſe, atque abrumpendos penitus ab omni facinoroſorum ſocietate poſſe impelli, ſi modò ſeorſim ſingulas claſſes alloqui, & ſui officii admonere licuiſſet. Atque edixeras quidem, ut pridie idus De-

Decembres ejuſdem anni claſſes omnes civium, urbe egreſſæ ſuo quælibet certo loco mandata ſui Principis acciperent. Senſerunt Liboriani quid ageretur, & diſſeminato rumore evocatos à Principe adverſus cives, ex ea provinciæ parte, quæ trans montes dicitur, homines armatos, qui civibus audiendo Principis mandato occupatis, urbem invaderent, non modò effecerunt ne quiſquam prodiret, ſed etiam administro, quem ad eos allegaras, præcisè negarunt, ſe, qui in eadem cauſſa eſſent, poſſe disjungi. Quæ quidem à Liborianis, notis illis clamoribus jactabantur, cæteris interea, ut ſolebant, timore conticentibus. Addebantur in te, Princeps illuſtriſſime, dicta acerba, & minæ: ac ne cui civium liceret ad arcem tuam commeare, quatuor ipſos dies portæ omnes civitatis clauſæ, & cuſtodiis ſeptæ tenebantur. His cognitis, cùm inter omnes conſtaret horum omnium malorum opificem, atque architectum eſſe Liborium, ratus eò abſtracto cæteros ad frugem poſſe corrigi, miſſis ad cœnobium Abdinckhoffenſe graviſſimis è tuo conſilio viris, eo accito cùm veteri, tum novo ſenatu, illum vel noxæ dedi, vel dum in judicio objecta ſibi crimina dilueret, ab ipſis haberi in cuſtodia juſſiſti. Senatus cùm in tam æquis poſtulatis Principi reluctari non poſſet, eſſetque ipſe à Liboriana factione creatus conſul non obſcurè homini iratior, tamen arctiorem cuſtodiam, & vincula deprecati, cenſuerunt ſatis fore ſi in curia tantiſper attineretur. Vocatus ille in curiam primùm tergiverſari, deinde cùm iterarentur mandata, aperto capite illudere, & minas de more jacere. ad extremum cùm ſenatus, ut ſaltem in ſpeciem mandata, quæ acceperat, exhauſiſſe videretur, miſſis apparitoribus hominem ut imperata faceret, vellet cogere; ille cùm domum ſuam armatis hominibus cinxiſſet, ac præter minora tela etiam ex ipſis urbis mœnibus advecta aliquot minora curulia tormenta, pro feneſtris ſuis collocaſſet, non dubitavit in miniſtros Reipubl. explodere. Sed hoc quamvis indignum facinus inuſitatâ quâdam audaciâ, atque impudentiâ haud multò poſt

cumulavit. Habebatur fortè ſenatus, cùm Liborius cum frequenti ſuorum manu, quorum ſinguli telis erant accincti ſub pallio, in medium conſeſſum venit. Præfatus, liquere ſibi jam illud eſſe, quando conſociari totius animos civitatis, & coaleſcere oporteat, orat ſenatum ut jam tandem aliquando decernat, velit necne ſuis, ac ſuorum conſiliis parêre. Cùm ſenatus cunctaretur, Liborius cum ſuis procumbit in genua, ac ſuos quidem jubet tertiùm orationem dominicam pronunciare, ſenatum verò interea ſtatuere, quid ſibi faciendum putet. Et jam belli iſti precatores, reductis palliis, tela oſtentabant, quibus, niſi mos eis eſſet geſtus, in ſenatorum cæde bacchari certum erat. Quid quæris? Senatus tam præſenti periculo perterrefactus obſignatis tabulis confirmat, ſe in omnibus, quæ ad Liborium, ejuſque partes pertinerent, cum ipſo eſſe facturos. Has tabulas cùm accepiſſet Liborius reverenter exoſculatus, gratiis actis, ac decem taleris in vinum ſenatui, nomine populi donatis, ita diſceſſit ut qui præclarè ſibi rem geſſiſſe videretur. Ex eo tempore in pejus omnia ruere cœperunt, eoque res evaſit, ut Januario anni MDCIV. ſenatu ex Liborianis creato, ipſe Liborius conſul renunciaretur. Quid in eo conſulatu ab improbis hominibus, Princeps Illuſtriſſime, non pertuliſti? Antiquiſſima pacta, Principumque conſtitutiones violatæ: ademptum tibi per ſummam injuriam ſupremum in urbe rerum criminalium arbitrium: cives, qui aliquid contra conſulis audaciam mutire eſſent auſi, inuſitatis ſuppliciis vexati: interdictum ſeverè omnibus ne ad te appellare, aut confugere auderent: conducti novi tribuni, ſigniferi, aliique rei bellicæ adminiſtri: tormenta pro mœnibus poſita, ut, quod dicere ſolebat Liborius, tibi Principi ſuo, vel ad menſam accumbenti negotium faceſſerent. Quid quòd non erubuit primariæ Eccleſiæ nobiliſſimo Canonicorum Collegio denunciare, ut alium ſibi Antiſtitem providerent. Nonne eoſdem Canonicos, cæteroſque omnes Eccleſiaſticos, ac religioſos homines, etiam cùm nihil urbi impenderet adverſi, pu-

publico edicto ad tympani ſonitum, propoſitâ fortunarum, ac vitæ jacturâ, arma ſumere, & in excubiis militari more agitare compulit? Nonne eoſdem omnes, atque adeò tuos quoque, Princeps Illuſtriſſime, conſiliarios, & qui Reip. cauſſâ ad provincialem conventum cum mandatis mittebantur, ipſum quoque totius provinciæ quæſtorem, pedem ex urbe efferre ſuo injuſſu vetuit? Ac ſperabas quidem ordinum totius provinciæ auctoritatem, qui v. Non. Mart. in conventu Dringebergenſi adfuerant, aliquod apud eos pondus habituram, qui per idoneos homines, Paderbornenſes etiam atque etiam admonuerant, viderent, ne quod eorum gratiâ tota provincia detrimentum caperet. At illi parum ab eis pacati retulerunt, neque obſcurè cognoverunt deliberatum illis eſſe, & protectorem ſibi aſciſcere, & cætera quoque hujus provinciæ oppida, ſi fieri poſſet, in ſocietatem perduellionis attrahere. Interea ipſis auctoribus rumor inceſſit, fore ut urbs obſidione premeretur, quem eo conſilio ſerebant, ut Eccleſiaſticos in urbe retinerent. itaque circa idem tempus, non eſt veritus Liborius primariæ, & Cathedralis Eccleſiæ Canonicis minari, ſi urbe exceſſiſſent, nullam maximi templi partem integram eſſe manſuram. Nimirum jam omnia in urbe poterat, cujus crudelitatem multi jam Eccleſiaſtici, multi cives ut vitarent, ex urbe ſe eduxerant. cæteri in perpetua formidine verſabantur. Etenim cùm ipſe clandeſtinis habendis cœtibus omnia fermè perfeciſſet, tamen aſſecutus ſummum inter cives imperium, adeò non ferebat eos coire, ut nullus paullò melior civis alium convenire poſſet, quin ſi ad Liborium à ſuæ factionis hominibus, quos in hæc talia perquam intentos habebat, ejus nomen eſſet delatum, compedes, graveſque pœnas pertimeſceret. Circa idem tempus vulgato jam illo, de quo dixi, rumore, quatuor-viri delecti, qui arma & præſidia Liborianæ dominationis curarent, unuſque ex iis miſſus, qui pecuniam, copiaſque contraheret. Hæc circa Paſcha anni MDCIV. gerebantur, quo tempore propè jam ſepulta erat, Princeps

Illu-

Illuſtriſſime, tuæ ſalus civitatis, niſi eam admirabili tuâ providentiâ, ac celeritate excitaſſes. Quam ad rem adjumento inprimis fuit ille cùm regii ſanguinis ſplendore, tum bellicæ virtutis gloriâ Illuſtriſſimus Joannes Friſiæ Orientalis, & Ritbergæ Comes, Eſenæ, Stedesdorpi, & Guitmundæ
Ep. 50. Dominus, in quem verè cadit illud S. Auguſtini de Bonifacio Comite, cum de virtute militari ſervire fidei, quam habet in CHRISTO. Tametſi enim tota hæc, quam adhuc deſcripſimus, ſeditio, non religionis cauſſâ præcipuè erat exorta, quia tamen ejus auctores omnes Catholicam religionem execrabantur, jamque decreverant, nullum præterea Catholicum in ſenatum legi oportere, certum eſt eos ſuis illis, quæ commemoravimus, ſceleribus eò intendiſſe, ut ſi res procederet, Catholica Religio his locis funditus interiret. Hoc cùm vir ſapientiſſimus intelligeret, facilè colligendarum copiarum, & ſeditionis opprimendæ provinciam ſuſcepit. Itaque tametſi febri laboraret, quia tamen omnis mora perniciem potuiſſet afferre, ſilentio noctis profectus, IX. Kalend. Maii appoſitâ ſuis ipſe manibus pulverariâ machinâ, niſus eſt, intimam urbis portam diſturbare (nam duas jam & penſiles crates nullo negotio dejecerat); ſed cùm ejus impetu effractis tantùm aliquot aſſeribus, non eſſet aditus patefactus, excitique Liboriani, aliquot è militari turba, de mœnibus glandibus plumbeis trajeciſſent, ingenti animi conſtantiâ Comes, cùm jam febris acceſſione conflictaretur, contempto manifeſto vitæ periculo, ſuos à fuga retraxit. Hâc ejus conſtantiâ erecti bonorum civium animi, qui ad id loci Liborii oppreſſi dominatu tacuerant, ac diviſâ in factiones civitate, induciæ tandem, & commeatus ad te illuſtriſſimum Principem eſt poſtulatus. Interea majora tormenta advehi juſſa, & ad acriorem obſidionem apparatus fieri, cujus metu ad extremum VI. Kalend. Maii Urbs, nullius effuſo civis ſanguine, eſt dedita, ipſeque perduellionis auctor, à civibus hominis immanitatem deteſtantibus, Victori traditus. Non poſſum hoc loco committere quin

quin impudentia quorundam mendacia commemorem, quorum gratiâ hæc ipſa, ex actis publicis, paullò pluribus ſum perſecutus. Etenim cùm is, de quo adhuc locuti ſumus, Liborius Wichardus in carcere vinctus teneretur, ac Lutheriani Prædicantes, qui templum forenſe S. Pancratii antea tenuerant, fugâ eſſent elapſi, ipſius rogatu quidam Cathedralis Eccleſiæ Vicarius, & è Societate JESU P. Fridericus Wachtendunckius hominem adiit. Hujus colloquiis permotus, tandem ad Catholicam Eccleſiam ſe contulit, Catholico ritu ſua peccata confeſſus, & ſacrâ Euchariſtiâ munitus eſt, ac non modò pro tribunali, cùm jam latâ ſententiâ damnatus eſſet, verùm etiam cùm jam inibi eſſet, ut ultimum ſupplicium lueret, Catholicam fidem quam eſſet amplexus, uſque ad ultimum ſpiritum retinere velle profeſſus eſt. Hâc ejus vulgatâ converſione irritati Prædicantes, eam apud rude vulgus incredibilibus mendaciis obſcurare conati ſunt. Edidit enim contra P. Friderici de hac re commentarium quædam nugamenta, Joannes Nigrinus, ad D. Thomæ Suſati Prædicans, quibus pro veſtibulo appoſuit Philippi Nicolai præfationem. Eâ præfatione ex Gangulphi Hergundi, ut ait, libris quatuor de rebus Paderbornenſibus hæc narrantur, ex quibus quàm ſit hoc hominum genus ingenioſum ad comminiſcenda mendacia quivis intelligat. Primò igitur v. Kalend. Maii narrat detruſo in carcerem, ac de pede ſuſpenſo, papillas abſciſas, ac fervens oleum vulneribus, naribus verò liquoris, è fæcium halitu, ardore ignis expreſſi, quem Germani vinum ardens, ſive aduſtum, Itali aquam vitæ appellant, tres ampullas infuſas. Atqui ex actis publicis certum eſt, Liborium conſuetas quoque quæſtiones deprecatum, omnia crimina faſſum eſſe. Deinde refert Prædicans, Pridie Kalendas Maii, cùm ſe Liborius in judicio, magno animo defenderet, abs te, Princeps Illuſtriſſime, per duos adminiſtros juſſum eſſe ſine judicio, aut ſententia eveſtigiò foras ad ſupplicium rapi. Atqui conſtat Liborium viâ & ordine, uti jura Cæſarea præcipiunt, interrogatum,

O gatum,

gatum, auditum, omnia palàm faſſum, ac denique damnatum, ſupplicem factum, ut humari poſſet. Id quod plurimorum, qui judicio interfuerunt, teſtimoniis compertum eſt, ſicut & illud quod de profeſſione Catholicæ fidei antea narravimus. Atqui Prædicans facit eum, cùm duceretur, atque à duobus Jeſuitis ſollicitaretur, reſpondentem, non ſentire ſe cum eis, fidem ſe habere, quam nemo ſit erepturus. Addit illud quoque, Liborium cùm ſibi ultrò ad ſupplicium veſtes detraxiſſet, ad te, Princeps Illuſtriſſime, converſum, ſic locutum eſſe: Adeſdum Epiſcope THEODORE, & pota largiter ſanguinem meum, quem tamdiu ſitiſti. Nimirum Lutherianum magis hæc oratio decebat, quàm ſalutatio Angelica, quam qui ſupplicio interfuerunt piè pronunciatam à Liborio, magno conſenſu teſtantur, atque etiam ad implorationem DEI matris adjunctum: Sancti Angeli, & omnes electi DEI orate pro me. Sed Prædicantibus majus flagitium eſt precari Sanctos, quàm calumniari Principes. Queritur poſtremò Prædicans de mortuo hæc vulgari, qui de ſe nihil teſtari poſſit. At teſtari poſſunt tot viri honeſtiſſimi qui interfuerunt, & poſtremas morientis voces acceperunt. Scilicet unum hoc iſtis hominibus curæ eſt, ut rudem populum quibuſcumque artibus ſibi devinctum teneant: quid prudentes ſentiant, nec flocci faciunt. qui facilè intelligunt, eis, qui audeant mentiri populo, hominem palàm, audiente populo ſalutationem Angelicam pronunciantem, maledixiſſe ſuo Principi; eiſdem non deeſſe artes, quibus infelici plebeculæ perſuadeant ſacras litteras aliquid dicere, quod Spiritui Sancto nunquam in mentem venerit. Certè id unum ſuo illo libro egit Nigrinus, neque tamen eo contentus, cùm metueret, ne parum eſſet in Bibliis præſidii, opem quoque à famoſis libellis accerſiit. Prædicantibus enim pluris eſt Paſquillus, quàm S. Jacobus Apoſtolus. Itaque ſi quid è S. Ja-
Nigrinus p. 174. cobo eis objicias, in promptu eſt illud Lutherianum: Non eſt in canone: ſin autem è famoſo libello mentiaris Henricum Jeſuitam Antverpiæ MDCI. XII. Aprilis publicè exuſtum,

ſtum, nefandi flagitii pœnas dediſſe, id nimirum perinde atque Euangelium credi oportet, tametſi Senatus Antverpienſis obſignatis, & palam editis litteris, adeoque tota civitas teſtetur, nullum unquam Jeſuitam Antverpiæ reum actum eſſe, nullum ſupplicium luiſſe. Sed quid ego hujus diei candorem atque lætitiam Nigrini mentione infuſco? Ad te redeo, Princeps Illuſtriſſime, quem dicere inſtitueram, condendâ Academiâ, paci & tranquillitati publicæ conſuluiſſe. Docuerant enim te civiles hæ turbæ, eos qui rebus novis ſtudeant, hominibus ferè rerum omnium ignaris uti, quod ii ferè impetu quodam animi, & furore ad deteriora rapiantur. Qui verò docti ſunt, præterquam quòd liquidius res omnes intelligant, longèque quid ex quaque oriri poſſit incommodi proſpiciant, tum verò certiſſimum eſt, quod ab Agellio ſcriptum eſt, qui bonas artes ſinceriter cupiunt, appetuntque, eos eſſe vel maximè humaniſſimos. Itaque Liborius noſter hominum legendi, ſcribendi rudium operâ plurimùm utebatur, quem compertum eſt palàm in ſuis illis cœtibus concionantem, veteres quaſdam litteras, quas neſcio quid ad dignitatem, & libertatem civitatis pertinere diceret, palàm plebi recitaſſe, ac ſubinde gratulatum eſſe, ea tempora obtigiſſe huic urbi, ut non minùs litterarum imperiti, ac Doctores intelligerent. Tum verò nominatim quempiam percunctabatur omnium abjectiſſimum, ecquid hæc intelligeret? cui ille, tametſi poſtea apud alios, ſi ſeorſim interrogaretur, ſe nihil intellexiſſe fateretur, tamen in illo conventu annuebat. Ita hómines ignaros aſſuefaciebat, ut quicquid ipſe protuliſſet, licet cujuſmodi eſſet ignorarent, tamen continuò ſuâ acclamatione comprobarent. Qui verò erant eruditi, quia numero vincebantur, ne alios ſui erroris admonerent, vulgaris furoris formido retardabat. Quare, ſi unquam aliàs, eo tempore cognitum eſt, ex uſu eſſe Reip. ut abundet hominibus doctis, atque intelligentibus, ut inſcia plebs eorum & doctrinâ informetur, ne erret, & multitudine reprimatur, ne inſaniat. Faciunt verò ad id plurimùm ea gymna-

Noct. Att. lib. 13. c. 15.

ſia quæ intelligendi vim, ac prudentiam plurimum exacuunt, atque adoleſcentum animos quàm longiſſimè à temerario & furioſo vivendi more, ad rationis leges & inſtituta traducunt. Deinde quæ cum honeſtiſſimis litteris, veræ religionis, & ſanctimoniæ curam, quàm arctiſſime copulant. Ubi enim ſunt de religione lites, atque diſſidia, diuturna pax eſſe non poteſt. Ac ne quidem ubi falſa aliqua diſciplina, verâ religione abjectâ, ſola retinetur. Proprium enim eſt falſæ doctrinæ, ut conſtare ſibi non poſſit, neque leviores ſolent eſſe errorum inter ſe, quàm cum veritate conflictus. Qua igitur in urbe omnes idem inter ſe, & cum iis, qui toto orbe, omnibus ætatibus pietate floruerunt, de divinis rebus ſentiunt, habetque magnam eruditorum hominum facultatem, eam certum eſt præſtantibus conſervandæ publicæ quietis, & colendæ concordiæ adjumentis abundare. Iccircò Liborius noſter, quo tempore maximè perturbandæ atque pervertendæ civitati erat intentus, ſevero edicto vetuit, ne quis adoleſcens, qui ad Collegium Societatis JESU, diſcendi cauſſa, itaret, cujuſquam civis hoſpitio uteretur, neve cives eò liberos ſuos mitterent. qui contra feciſſet, is quinquaginta taleris multaretur. Nimirum ingens erat inter illa quæ rudi plebeculæ, in ſeditioſis illis conventibus venditabat, & hæc quæ in Catholicis, & bene inſtitutis gymnaſiis juventuti præcipiuntur intervallum. Ibi enim popularis licentia, effrenata peccandi impunitas, & rerum omnium perturbatio quærebatur. Hic DEI timor: magiſtratuum veneratio, atque obſervantia: modeſtia, & pacis amor, teneris mentibus inſeritur. Sed non providebat infelix, quòd adoleſcentes ipſius minis, atque edictionibus prohibiti, in ſcholis à magiſtris non didiciſſent, id è triſti ejus exitu, & juſtiſſimo ſupplicio eſſe cognituros. Quando enim liquidius demonſtrata eſt furioſarum ejus concionum vanitas, quàm cùm ſtans ad infamem columnam, omnia ſui conſulatus probra objectantibus, os præbebat: cùm clauſi mœnibus, & ſine ſua teſſera portis egredi vetiti Eccleſiaſtici: cùm excruciati hiber-

hiberno cœlo, graviſſimo gelu cives: cùm mulier quæ uterum ferebat, in publico, ubi ad ludibrium vulgi erat expoſita, abortire coacta jactabatur? Quid? ipſum ejus ſupplicium nonne conjunctum fuit cum evidenti teſtificatione divinæ de his rebus voluntatis? Etenim Liborius, qui, ut demonſtravi, Prætore, quem à Principe creari mos eſt, excluſo, ſummam ſibi in puniendis delictis poteſtatem arrogabat, VII. Kalend. Martii anni MDCIV. inopem civem Paderbornenſem Jodocum Dulmanium, miſerrimè, & obſcœniſſimè tortum, præcipiti ſententiâ, de infelici ligno, quod nuper ipſe poſuerat, ſuſpendit. Altero poſt menſe, pridie Kalend. Maii, cùm Liborius meritas pœnas daret, hìc ipſe ſuſpendioſus, manare palam ubertim ex ore, naribus, manibus, pedibus, oculis recentem ſanguinem, ipſum ſeſquidiem, clarè à tota multitudine eſt viſus. Acceſſit quoque ad ſpectaculum Illuſtris Friſiæ & Ridbergæ Comes, tantæ rei graviſſimus teſtis, tuque ipſe, Princeps Illuſtriſſime, adhibito tabellione, & idoneis teſtibus, rem publicis tabulis mandari juſſiſti. Quæ res documento ſit omnibus, ne adverſus magiſtratus legitimos, & Principes temerariam plebem commoveant: ne alieni ſanguinis ſint appetentes: ut ſuo dolori, & inſolenti vindictæ cupiditati frenos injiciant: ut homines ſe meminerint, inter homines verſari. Sed nimirum, Princeps Sapientiſſime, grave tibi & luctuoſum viſum eſt, hoc, è tam triſtibus, & cruentis exemplis, tardum nimis diſcendi genus. Mavis jam indè à prima pueritia ſic informari cives tuos, ut DEO, Rationi, Magiſtratibus, Legibus, Parentibus morigerari, comprimere appetitiones, domare iracundiam, omnibus ſe virtutibus & bonis artibus ad Reip. ſalutem, commoditatemque exornare conſueſcant.

CAPUT V.

Illuſtriſſimum Principem, in Academia inſtituenda, Eccleſiaſticorum, & Religioſorum hominum commodum & dignitatem ſpectaſſe.

PRæcipuum verò tibi, Princeps Illuſtriſſime, ſtudium ſemper fuit, ne ea pars gregis CHRISTI, quæ eximiam quandam vitæ ſanctimoniam profitetur, nullis, quæ quidem cum ſuo more & inſtituto congruerent, commodis, vel ornamentis careret. Quoniam verò omnes Eccleſiaſtici ordinis viri, in eo præcipuam quandam ſunt gloriam adepti divinitus, quòd divinam illam menſam, in qua Agnus DEI qui tollit peccata mundi, ſitus eſt, circumſtant, atque, ut alicubi loquitur D. Gregorius Nazianzenus, *appropinquant ad appropinquantem* DEUM, propterea magnis largitionibus, & impenſis eos ad dignitatem tanti ſacramenti complectendam animo, & digná pietate colendam excitare ſtuduiſti. Itaque conſtituto annuo vectigali inprimis lauto & magnifico, ſolennem ejus pompam, quæ poſt Pentecoſten quotannis inſtituitur, celebriorem auguſtioremque reddidiſti. Neque eo contentus, nullum prætermiſiſti in tota tua diœceſi cœnobium, quod non perpetuis vectigalibus auxeris, eo pacto, ut quoniam à pleriſque hâc tempeſtate non, quanti par eſt, fieret illa victima ſancta, quâ deletum eſt chirographum, quod erat contrarium nobis, ipſis curæ eſſet certis eam, ſtatiſque honoribus proſequi. Nullus porrò honor videtur tantum Sacramentum perinde decere, atque ipſorum Eccleſiaſticorum, qui ejus adminiſtrationi ſunt conſecrati, morum integritas, atque ſcientia. Si enim rectè & ordine fit in Eccleſia, quòd ſine lumine nunquam Euchariſtia deferatur, ut nempe profiteamur in ea verè eſſe præſentem eum, qui à ſapiente dicitur, *candor lucis æternæ*, ut ait Honorius III. quantò magis elaboran-

Orat. ad 150. epiſcop.

Sapient. 7. v. 26.

C[illegible]. Sanè cù[illegible]m de celeb. M[illegible].

randum eſt, ne qui eam conficiunt, aut certè conficientibus miniſtrant, Sapientiâ, de qua ibi eſt ſermo, vacent? Nam, ut ibidem legimus, *Neminem diligit* D E U S, *niſi eum qui cum* Ibid.
Sapientia inhabitat. Eſt enim pretioſior ſole. Qui locus aliquantò eſt in Græco illuſtrior, ubi legimus τὸν σοφίᾳ συνοικοῦντα, id Verſ. 28.
eſt, qui cum ſapientia, velut conjuge, habitat. Licet autem nemo juſtus, quamvis litterarum rudis, ſapientiæ ſit expers, docet tamen Apoſtolus, quis ſit ille, qui ardentiore quodam amore diligat Sapientiam. nempe: *Qui ſine uxore eſt, ſolicitus* 1 Cor. c. 7.
eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Quantum enim cæ- v. 32.
teri otii in obſequio feminæ, in educatione liberorum, in procuratione rei familiaris conſumunt, tantum ei ſuppeditat ad ſerviendum præcepto Apoſtoli: *Attende tibi ipſi, & do-* 1 Tim. 4.
ctrinæ. Quemadmodum enim lumen & in ſe purum quiddam atque præclarum eſt, & naturâ ſuâ factum ad alia quoque illuſtranda: ita hominem Eccleſiaſticum, quem C H R I- Matth. 5.
S T U S Dòminus *lucem mundi* non dubitavit appellare, decet non modo omni erroris, aut flagitii notâ carere, ſed etiam vitæ innocentis exemplis, & præſtantis ſcientiæ luce cæteris omnibus viam ad Sapientiam oſtendere. Igitur qui ſic comparatus eſt, is demum eſt, qui ſapientiam ſole longè clariorem, quaſi quibuſdam ſempiternis nuptiis deſponſam, atque devinctam habet. Ejuſmodi ſi omnes eſſent, qui altaria Chriſtianæ Eccleſiæ circumſtant, ejuſque opibus aluntur, quis ſuperiorum temporum felicitatem deſideraret? Quid enim tot homines tenebrarum, & errorum non diſcuterent, ſi cum æternæ ſapientiæ luce perinde atque ſponſa eſſent copulati? quis talibus ducibus non omni celeritate ad veritatis arcem convolaret? quis tam abhorrens ab omni ſtudio virtutis, qui non ſe ipſe retexeret? Talium hominum copiam ut haberent majores noſtri, ſedulò curabant, ut qui ad tam excellens degendæ vitæ genus à D E O vocarentur, ii omnibus, quæ cum eo non diſcreparent, liberalibus artibus expolirentur. Audi enim, Princeps Illuſtriſſime, quid præcipiat Concilium Aquiſgranenſe, ſub Ludovico Pio Cæſare,

re, in quo Canonicis vivendi regula è ſanctorum Patrum monumentis eſt propoſita, quæ regula cùm in aliis Eccleſiis Germaniæ aliquot ſæcula, tum in Paderbornenſi uſque ad Bernardum IV. ejus nominis Antiſtitem, id eſt, uſque ad annum MCCXXVIII. viguit. In ea igitur cap. CXXIII. ſic habetur: *Religioſiſſimè ordinem canonicum ſervent, & Prælatis ſuis, ac Magiſtris honorem debitum humiliter impendant: ut horis canonicis divinum officium devotiſſimè expleant: intus foriſque non ſolùm habitu, & actu, ſed etiam ipſo inceſſu irreprehenſibiles exiſtant: ut non otio vacent, non vaniloquio inſerviant, non detractionibus, & cæteris vitiorum illecebris incumbant, ſed potiùs aut orationi, aut lectioni, aut quibuſlibet Eccleſiæ, aut certè propriis utilitatibus vacent, aut etiam doctrinis ſanis, & diverſarum artium erudiantur diſciplinis, ita videlicet, ut nullus in congregatione inutilis aut otioſus exiſtens, ſtipendia Eccleſiæ inofficiosè accipiat: ut quotidie ad collationem veniant, ubi & hanc inſtitutionem, & aliarum ſcripturarum ſanctarum lectiones perlegant.* De cœnobiis verò, quis ignorat ea fuiſſe, quod de Corbeia noſtra nominatim legimus, diverſoria, & habitacula doctorum, & piorum virorum? *qui*, ut loquitur D. Auguſtinus, *contemptis ac deſertis mundi hujus illecebris, in communem vitam caſtiſſimam, ſanctiſſimamque congregati, ſimul ætatem agebant, viventes in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus: nullâ ſuperbiâ tumidi, nullâ pervicaciâ turbulenti, nullâ invidentiâ lividi; ſed modeſti, verecundi, pacati concordiſſimam vitam, & intentiſſimam in* DEUM, *gratiſſimum ipſi munus offerebant, à quo iſta poſſe meruerant.* At noſtrâ tempeſtate, poſtquam Eccleſiaſticorum hominum ad alia traductis animis, illæ laudabiles Pietatis & Doctrinæ exercitationes obſoleverunt, nihil eſt quod miremur, tantam vitiorum colluviem in Eccleſia DEI extitiſſe. Ubi nunc veteres illi Religionis vindices, & ſatores? ubi ſacri oratores? Ubi experientes animorum medici? Ubi divinarum litterarum periti? Ubi illi cœleſti quâdam caritate præditi Antiſtites? Sed quid hæc ſublimiora commemoro? quis non totum ſe fluxis commodis? quis non nefariis volu-

Gobelinus ætat. 6. cap. 64.

Lib. 1. de morib. Ecc.

voluptatibus dedit? Quid cauſſæ eſſe exiſtimamus? num eam, quam imperitè & ſtultè blaterant non minus perfectæ ſanctitatis, quàm ſalutaris doctrinæ adverſarii Prædicantes? Clamant illi obſervari non poſſe cælibatum: plus imponi Eccleſiaſticis viris, quàm eorum humeri ferre poſſint. Non eſt ea profectò, non eſt. Si enim D. Auguſtini temporibus, quando, ut ipſe narrat, plerumque ad continentiæ clericorum ſarcinam ſubeundam capiebantur inviti, eam ſuſceptam uſque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducebant; cur deſperent, qui ſponte hoc vitæ genus delegerunt, idem ſibi proclive fore, ſi eandem, quam viri illi ſancti, viam inſiſtant? Da mihi hominem à prima pueritia pietatis officiis, & eruditione omni excultum, cui dulce ſit inhærere contemplationi veritatis, eamque cùm in rerum naturalium ſcientia, tum in diviniore, & de cœlo delapſa, omnibus veſtigiis indaget, ac denique eam cognitionem, non ad quæſtum auramve popularem, ſed ad unius DEI Immortalis inflammandum cùm in ſuo, tum in ceterorum mortalium pectoribus amorem conferat: nego huic homini otium futurum ad ea cogitanda, ſine quibus hi mortalium infeliciſſimi ſe vivere poſſe diffidunt. Jam verò, quoniam aliud mortales in noſtrorum temporum moribus intuentur, nimirum ſupra fidem eis videntur, quæ de majorum noſtrorum incredibili ſanctitate memorantur. Poſtquam verò hæc exempla deſierunt, religionis quoque ipſius auctoritas, quæ plurimùm apud rudes animas illis ſuſtinebatur, in dubium vocari, aut certè non tanti æſtimari cœpta eſt. Ideò vir doctiſſimus, atque optimè de re Catholica meritus Fredericus Staphylus Oſnaburgenſis, negat, præter rectam juventutis inſtitutionem, aliam ſupereſſe, exortas de religione lites ſedandi, viam. Adjungam ejus verba, quòd die natali primæ in Weſtphalia Academiæ, hominis Weſtphali, tantâ gloriâ in Academia Ingolſtadienſi noſtro ſæculo verſati non meminiſſe, nefas propemodum eſſe videatur. Is igitur in epiſtola, quâ Marci Anachoretæ aureos libellos, è Græco ab ſe

Lib. 2. de adult. conjugiis c. 20.

in Latinum converſos, inſcribit, & dedicat Petro Caniſio Societatis JESU celebri Theologo, poſtquam eſt queſtus cæteris in artibus non niſi peritorum judicia requiri, in rebus divinis indoctiſſimum quemque, quod commodum ſit, ſequi: ad extremum hæc addit. *Unicum fuit olim, & ſatis efficax his malis remedium, auctoritas conciliorum: quæ quondam pietate ſacerdotum apud omnes ſacroſancta habebatur, jam propter peccata noſtra labefacta eſt, belliſque in dies magis vileſcit, peneque deletur apud univerſos. Sola ſpes ferme eſt in puerilibus ſcholis, ut ſeminarium Eccleſiæ, quod in ſenibus jam emarcuit, in pueris reſuſcitetur.* Hoc adeò conſilio, Princeps Illuſtriſſime, non modò jam olim pueriles ſcholas, verùm etiam hanc Academiam tuis opibus condidiſti, quam iccircò iis ſolis diſciplinis conſecrari voluiſti, quæ Canonicis inſtitutis Eccleſiaſtico homini ſunt permiſſæ. Notum enim eſt iis juris civilis, & Medicinæ tractationem interdici. Fuit ſcilicet tibi curæ ea ſtudia excitare, ad quæ colenda, refrigeſcente indies cæleſti caritate, omnibuſque quæſtum, & popularem auram ſpectantibus, pauci ſponte appellunt animum.

CAPUT VI.

Propriè dictam Academiam ſine Iuriſprudentia eſſe poſſe.

VErùm, Illuſtriſſime Princeps, hîc ego, quod pace fiat tuâ, cogor nonnullis rerum imperitis reſpondere, qui cùm audiunt, necdum tradi in Academia tua Juriſprudentiam, opinantur aliquid ei ad Univerſitatis nomen deeſſe. Eos ego non meis, ſed hominum juris peritorum verbis hunc errorem dedocebo. Igitur Jacobus Middendorpius Weſtphalus, Theologiæ & Juris ſcientiâ clarus, libro, quem de Academiis edidit, cùm nomina inveſtigaret, quibus rectè hæc noſtra publica gymnaſia afficiantur, principiò rectè eis docet Academiæ nomen tribui, ac deinde ingreſſus ſermonem

monem de nomine Univerſitatis: Recentiorum, inquit, "
quidam Scholas publicas, quòd auctoritate publicâ, ſive "
quod idem ferè eſt, publicè inſtituuntur, quidam Univer- "
ſitates appellare malunt. Non tam quòd omnes liberales ar- "
tes in eis doceantur, (multæ enim ad certarum tantùm diſci- "
plinarum profeſſionem eriguntur) ſed quia Profeſſoribus & "
Studioſis litterarum collegium, atque univerſitatem habere "
licet, quod alioqui jure prohibitum eſt. Petrus item Tolo- "
ſas doctiſſimus Juriſconſultus, libro XVIII. de Rep. cap. VI. *Sunt*, inquit, *arbitraria Principibus Eccleſiaſticis & ſecularibus ut loca, in quibus velint ſcholas privilegiatas conſtitui, ita & quas ibi velint tradi ſcientias, ſive omnes, ſive certas. Quamvis enim omnes habeant commune vinculum, & conſtituant Encyclopædiam, non tamen ſequitur debere in uno eodemque loco ſimul tractari vel doceri. Poſſunt enim in diverſis diſci, & doceri. Neque ideò minus Univerſitas privilegiata in Gallia, aut alibi dicetur, ſi modò privilegia conceſſa ſint, quia ibi omnes artes vel ſtudia omnia non tradantur. Sunt enim Scholaſtici & Doctores qui faciunt univerſitatem, & non diverſitas ſcientiarum. Poſſunt adjungi ſemper ſcientiarum diverſarum profeſſores, jam introductis profeſſionibus, ut iiſdem potiantur privilegiis, quibus jam fundatæ, non ſecus quàm nova ſtudia aliis locis cum iiſdem privilegiis, quibus jam potiuntur antiquæ Academiæ. Sunt quippe hæc juris poſitivi, quæ mutari & augeri vel tolli poſſunt arbitrio eorum, qui poteſtatem habent, maximè novâ ortâ juſtâ cauſſâ. Quemadmodum Theodoſius & Valentinianus profeſſoribus artium liberalium privilegiatis, qui in civitate Romana, & Conſtantinopolitana docebant, addiderunt profeſſores Philoſophiæ, & legum doctores, & Clemens V. conciliumve Viennenſe, aliis addiderunt profeſſores linguarum Arabicæ, Græcæ, & Chaldaicæ.* Denique quoties à Pontificibus, & Conciliis Pariſienſe gymnaſium Univerſitas dicitur? & tamen audi quid de ea narret Bartholomæus Caſſanæus in Catalogo Gloriæ mundi: *Apud nos*, inquit, *tenetur pro prima, & principaliori totius Galliæ univerſitate, quoad Philoſophiam, Theologiam, artes, medicinam, & cæteras artes, ſed non quoad leges. Quoniam in ea non docentur leges,*

Vide copioſè Rebuf. de tract. nomin. q. 6. n. 13. & in §. ſtatuimus 2. ad verbum Univerſitatis. de collat. in concord.

Part. 10. §. 32.

ges. Quoniam in ea non docentur leges, nec jura civilia, ut eſt text. in c. ſuper ſpecul. extra de privileg. Quis igitur audeat Paderbornenſi Gymnaſio propterea Univerſitatis nomen adimere, quòd ad eundem modum nonnullas Eccleſiaſticis perſonis minus conſentaneas diſciplinas non tractet? Meliuſne illi norunt cui Univerſitatis, ſive Univerſalis ſtudii nomen tribui poſſit, quàm Pontifex, & Imperator? Certe Paulus V. Pont. in ſuo diplomate teſtatur ſe hoc Gymnaſium Paderbornenſe in Univerſitatem ſtudii generalis perpetuò erigere & inſtituere, vultque eam omnibus privilegiis non ſolùm ad inſtar aliarum Univerſitatum, ſed pariformiter, ac æquè principaliter in omnibus, & per omnia uti, potiri, & gaudere. Ad idem exemplum Imperator, in gymnaſium, & ſtudium Univerſale erigit, & decernit, ut in ea gradum ſeu honorem aſſumentes, gaudeant privilegiis quibuſlibet, quibus Univerſitas Heidelbergenſis, Tubingenſis, Friburgenſis, Ingolſtadienſis, ac alia ſtudia privilegiata, ac Doctores, Licentiati, Magiſtri, Baccalaurei, & Scholaſtici iſtic promoti, aut aliquâ dignitate ſeu gradu inſigniti gaudent, utuntur, fruuntur, & potiuntur. Qui igitur Paderbornæ negant Univerſitatem propriè dictam eſſe, ii Juriſperitorum, & ſummorum Principum inſcientiam dum videntur ſugillare velle, demonſtrant ſuam.

CAPUT VII.

Illuſtriſſimum Principem, condenda Academia, eximiam ſuam in Societatem Ieſu voluntatem declaraſſe.

HAnc igitur Univerſitatem (ſic enim ipſis quoque Juriſconſultis approbantibus, appellemus) Eccleſiæ potiſſimùm commodo, & dignitati inſtitutam, Princeps Illuſtriſſime, curæ, atque poteſtati Societatis JESU committendam, tradendamque judicaſti. Sic enim tuo rogatu decernit in ſuo diplomate Pont. Max. Ipſam Univerſitatem, ac ſtudium generale ſic erectum & inſtitutum, curæ, regimini,

ni, & adminiſtrationi dictæ Societatis, & illius Præpoſiti Ge- "
neralis, ſeu ab eo deputandi, qui totius Univerſitatis Rector "
exiſtat, præfatâ auctoritate *(Apoſtolicâ)* etiam perpetuò ſup- "
ponimus, & ſubmittimus. Eodem ſpectat, quod Cæſar jubet "
eam gubernari, juxta formulam Dilinganæ, aliarumque Aca- "
demiarum in conſtitutionibus ejuſdem Societatis compre- "
henſam. Etenim B. Ignatius Societatis JESU Fundator "
non modò putavit è republ. fore ſi ſui homines unà cum aliis in publicis Academiis verſarentur, ſed etiam, ſi ita DEO cordi eſſet, ut ab aliquo Principe, vel Rep. alicujus Academiæ adminiſtratio Societati crederetur, non commiſit, ut poſteri certas ab eo leges, & inſtituta deſiderarent. Ejuſmodi Academiæ ſunt non paucæ toto orbe excitatæ, quarum primam fuiſſe accepimus Gandienſem à Franciſco Borgia ejus loci Duce, qui deinde Societati ſe adjunxit, primis illis ejus incunabulis fundatam. Secuta eſt Mamertina in Sicilia, à Joanne Vega Prorege, Caroli V. Cæſaris auſpiciis condita. Tum Eborenſis in Luſitania, fundatore Henrico Cardinali, qui ultimus ſuæ ſtirpis Rex poſtea fuit. In Gallia, ut alias omittam, maximè illuſtris eſt Flexienſis, quam Rex Henricus IV. cognomento Magnus, ea in domo, quæ infanti ipſi domicilium fuerat, erexit, ejuſque in templo Cor ſuum condi juſſit. In Germania noſtra primus Otho Truchſes Cardinalis Auguſtanus, Dilinganam Academiam ab ſe fundatam totam Petro Caniſio, Societatique permiſit. Eum ſecutus eſt Sereniſſimus Carolus Auſtrius Archidux, Ferdinandi I. filius, Maximiliani II. frater, qui anno MDLXXXVI. Græcii in Stiria, Academiæ ab ſe munificè inſtitutæ, ac locupletatæ Societatis homines rectores, & magiſtros delegit. Quem nuper imitatus eſt ejus filius Leopoldus Paſſavienſis, & Argentoratenſis Antiſtes, poſito Molleshemii in Alſatia publico Societatis Gymnaſio. Horum tantorum Principum exemplo, Princeps Illuſtriſſime, cùm hanc Academiam, quæ populis ditionis tuæ æternæ ſalutis præſidium, & immortale ornamentum eſſet, meditareris, fecit vetus illa, tot-

4. Parte conſt. c. 11. & ſeq.

totque illuſtribus promeritis teſtata in hujus Societatis homines benignitas, & gratia, ut non alios ei præficiendos putares. Nimirum ut flumina à modicis orta principiis, quo longiùs à capite recedunt, hoc majora ſumunt incrementa: ita, Princeps Illuſtriſſime, conceptam jam inde ab anno MDLXXX. quo primùm in hanc Urbem pedem attulit, in hanc Societatem benevolentiam majoribus quotannis beneficiis cumulare non deſinis. Cujus quidem benevolentiæ perpetuos ſocios, atque conſortes habuiſti admodum Reverendos, ac Prænobiles Cathedralis Eccleſiæ Canonicos, quibus hæc Societas ſuorum in hac Urbe commodorum originem, ac progreſſum, cum ſumma grati ac memoris animi ſignificatione acceptum ſe ferre profitetur. Illi enim ſunt, qui eam primùm ad ſpem religionis Catholicæ, vehementer eo tempore laborantis, erigendam huc, ad conciones primùm, deinde ad ſcholas quoque habendas advocarunt. Illi domum, quæque ad victum, & cultum pertinent tot Sociis, ac Patribus, quot ante hìc verſati ſunt, quàm ad Collegii formam redigerentur, certis vectigalibus, perpetuis attributis, liberaliter & abundè providerunt. Illi graviſſimis decretis Societatis famam, & commoditatem contra adverſarios, atque adeò, anno MDLXXXIII. contra ipſum quoque Principem, aliter, ac nos de religione ſentientem, qui miſſis legatis, Patribus ſcholas interdici cupiebat, graviſſimis ſententiis, decretiſque tutati ſunt. Denique illud natalibus, & dignitate ampliſſimum Collegium nunquam deſiit, ſocietati ara quædam eſſe atque perfugium: nunquam favere ſtudiis: nunquam labores ſublevare: nunquam gratiam, & patrocinium impendere. Itaque hoc natali Academiæ noſtræ, Princeps Illuſtriſſime, intelligis opinor officii noſtri eſſe, horum quoque, quibus illa primam quaſi ſtirpem ſuam debet, ampliſſimorum, ornatiſſimorumque Procerum, non ſine gratiis, & beneficentiæ laude meminiſſe. Atque cùm omnium ſemper erit dulcis, ac jucunda memoria, tum verò præcipuè illorum, qui primis illis temporibus plurimùm in

accer-

accerſenda, fovenda, tuenda Societate laborarunt. In his familiam ducebant Henricus de Meſchede Decanus, Melchior à Plettenberg Camerarius, Guilielmus Schilder Scholaſticus, quos precamur, ut DEUS immortali felicitate remuneretur. Ex iis verò, qui etiamnum ſuam nobis lucem impertiunt, occurrunt duo hujus Eccleſiæ lumina admodum Reverendi & Nobiles DD. Walterus Brabeck Præpoſitus, & Arnoldus ab Horſt Decanus, qui, ut ſunt omni eruditionis & prudentiæ laude florentes, ita nullum faciunt finem præclara ſtudia ſuis opibus, & favore adjuvandi, ac propagandi. Ejus adeò rei in Academia, monumentum ſemper erunt duæ turres, magnis utriuſque impenſis ita extructæ, ut Academica juventus ne pedem quidem inferre poſſit in Gymnaſium, quin horum præſtantiſſimorum Eccleſiæ Procerum recordetur. Meminiſti enim, Princeps Illuſtriſſime, ejus diei, cùm primùm hujus novi gymnaſii fundamenta ſunt jacta. quo die hi duo Eccleſiæ noſtræ ſummates, in amplificando DEI honore, dignitate Patriæ, commodis juventutis, Principem ſuum, & Antiſtitem honeſto, jucundoque certamine æmulantes, perpetuum hujus ſuæ in bonas litteras voluntatis in ipſis quoque ſaxis, & muris, his turribus ædificandis, monumentum extare voluerunt. Video me jampridem, Princeps Optime, abuti patientiâ tuâ, qui orſus tibi gratulari, ad Canonicorum cœtum deflexerim. ſed nimirum non decebat hodie Academiam THEODORIANAM, hoc ſuo natali, illius ſplendidiſſimi Collegii oblviſci, cujus ſuffragiis factum eſt, ut Theodorus Theodorianæ Academiæ parens eſſe poſſet. Nam cùm inter eos tot eſſent præſtantiſſimi viri litterarum, Societatis, avitæ religionis omnes amore inflammati, videntur ſingulari DEI nutu eum Principem elegiſſe, qui unus cum omnium ardore, ac zelo paria facere poſſet. Quid enim illi collato ſtudio, communicatiſque conſiliis ad amplificationem bonarum artium optare potuiſſent, quod non ſit in tuo principatu perfectum? Dolebant quidam arctius Societatem habitare, quàm ut plures libe-

liberalium diſciplinarum magiſtros, alioſque divinæ rei operarios capere poſſet. Tu, Princeps Optime, ſimulatque ad Eccleſiæ gubernacula acceſſiſti, dediſti operam, ut hunc idoneum maximè ſacris functionibus locum nanciſceretur. Dolori erat multis piis hominibus hoc D. Joannis Apoſtoli templum, quod antea fuerat quædam exquiſitæ pietatis officina, duodecimum jam annum profanorum artificum ſtrepitu perſonare. Confeſtim magno ære ab iis, quibus venundatum erat, redemtum VI. Idus Quinct. anni MDXCII. Societati tradidiſti, eamque donationem Clemens VIII. Pont. Max. eodem anno IX. Kalend. Novemb. confirmavit. Deſiderari quoque videbatur à nonnullis, ut Societas, in hac Urbe non temporariam duntaxat ſedem, ſed ſtabile juſtumque Collegium haberet. Id verò, inſigni acceſſione ad priora vectigalia factà, cùm ejus quoque fundationis Clemens Octavus auctor factus eſſet, non longo intervallo perfeciſti. Quid quòd, dirutis veteribus ædibus, quæ erant circum hoc templum, novas, laxas, firmas, & propè, quàm ferat religioſorum hominum captus, auguſtiores, maximis impenſis ædificare es aggreſſus? Itaque cùm hæc Urbs, ſi ulla alia, ſæpe vaſtata, ac fœdata incendiis, veteres illas magnificas, cujuſmodi olim fuiſſe accepimus, jam pridem deſideret, cœpit ab hac præſertim excelſa, & quadrata turri, qua Collegium ornaſti, nonnihil priſtini recuperare ſplendoris. Nihil dico de bibliotheca cùm aliis, tum præcipuè ſanctorum Patrum voluminibus perquam ornata: Nihil vel de Organo non minus oculis, quàm auribus jucundo: vel de hoc marmoreo pietatis tuæ in ara maxima monumento, quibus rebus hoc templum mirificè decoraſti: Nihil de ſuburbano ſacello B. Virginis quod Romanum vocant, quod, ut ſodalium ejuſdem Divæ pietati faveres, tuamque quæ ſanè eſt in Matrem DEI eximia, demonſtrares, tuis opibus inſtauratum, & locupletatum Societati poſſidendum, curandumque tradidiſti. Mihi certè videtur, Princeps Optime, adhuc fuiſſe inter DEI in te, & tuam in nos benignitatem, jucundum quoddam,


COLLEGIUM
THEODORIANUM
SOCIETATIS
JESU
PADERBORNÆ
GYMNASIUM
ACADEMIÆ
THEODORIANÆ
PADERBOR-
NENSIS.
I.G. Rudolphi del.

dam, decorumque certamen. Nam cùm ille plures, ac plures uſque ad hanc ætatem annos tibi largiretur, neque ullum effluere ſineres ſine aliquo vel in res divinas, vel bonas litteras liberalitatis documento, nimirum diu vivendo, diu vivere meruiſti. Inter alia verò gratiſſimum Societati, & Eccleſiæ inprimis ſalutare illud munus accidit, cùm domum Probationis in hac Urbe Societati, idoneis vectigalibus inſtituiſti, ubi religioſæ militiæ tirones rudimentum ponerent, eamque pietatis ubertatem combiberent, quæ deinde cum bonis artibus conjungentes, ad plurimorum mortalium ſalutem longè latèque derivarent. Jam videbantur tua in nos beneficia ad id faſtigium perveniſſe, ut nihil accedere poſſe videretur, cùm tu, Princeps Optime, ordiris novæ molis fundamenta jacere. Nova ſublimiorum doctrinarum profeſſoribus alendis perpetua vectigalia conſtituis: das litteras ad Pont. Max. atque Cæſarem, quibus jus condendæ Academiæ flagitas: extruis hoc elegantiſſimum, commodiſſimumque gymnaſium: quod DEUS bene evenire jubeat: Societati JESU Academiam Theodorianam tradis atque commendas. Pro quo intelligit illa quidem quantas tibi, Princeps beneficentiſſime, gratias debeat, ſed quoniam hoc ejuſmodi beneficium eſt, quod non ſolis verborum officiis compenſari poſſit, ſed quod acrem induſtriam, aſſiduos labores, continuas propè lucubrationes, atque vigilias deſideret, DEUM immortalem orat & obſecrat, ut qui tibi hujus inſtituendæ Academiæ eſt auctor, idem omnibus qui ſunt, quique poſt aliis erunt in annis, Societatis Profeſſoribus, & magiſtris eum ſtudendi, docendique ardorem injiciat, eam conſtantiam, roburque tribuat, eam vim & lumen ingenii, & quod caput eſt, eas pietatis virtutiſque copias, ut ſemper huic tuæ in divinum honorem, Reip. utilitatem, juventutis commoda præclaræ voluntati aliqua ex parte reſpondeant.

CAPUT VIII.

Gratiæ Academicæ juventutis nomine.

QUid verò, Princeps Illuſtriſſime, huic florentiſſimæ juventuti hodie animi credis eſſe? quantis incedere lætitiis? quàm fauſtis te precationibus proſequi? Palam enim iis litteris, quibus hodiernæ celebritati diem dixiſti, profeſſus es, eorum præcipuè te utilitati in inſtituenda Academia conſulere voluiſſe. Ubi illud etiam pronuncias: Spem omnem inſtaurandæ, atque ad priſtinum decus " revocandæ Reip. hoc quidem tempore in recta tenerioris " ætatis educatione poſitam eſſe. Quod tametſi aliorum quo- " que ſapientum hominum ſit judicium, putant ſibi tamen in quodam eximii honoris loco ducendum, quòd à tam laudato Principe tanti fiunt, ut redintegratio ſalutis, ac dignitatis publicæ, ab ſe potiſſimùm expectetur. Quod ſi dictum duntaxat abs te eſſet, deberet ſanè cujuſlibet quamvis remiſſi ac deſidis adoleſcentis animum ad teneram ſuam ætatem, omnibus, quibus optas, bonis artibus excolendam permovere. Jam verò poſtquam perpetuâ triginta annorum liberalitate, & curâ id egeris, ut juventutis ſtudia inflammares, atque adjuvares, qui his non movebitur eum meritò lapidem habendum arbitrantur. Hodiernus ſanè dies ſatis oſtendit, quàm ſint cùm præteritis tuis meritis, tum hujus Academiæ fundatione ad omne laudabilium ſtudiorum decus erecti. Quanquam enim ingenuè confitentur nihil ſe dignum hâc tuâ Celſitudine, nihil tuis virtutibus, nihil tot beneficiis præſtare poſſe, tamen non ignari ab arbore, quam nunc primum plantaveris, ante flores eſſe repetiturum quàm fructus; atque adeò voluptatem, quam olim fructus ſunt allaturi, jam ex ipſis floribus præcepturum; confidunt fore, ut ſua ſtudia, quamvis tenuia, & quaſi immatura, jucunda tibi accidant. Certè parietes, niſi quid me fallit, omni verſuum genere conveſtiti: arcus, atque emblemata plena ingenii: ſcenæ appa-

ratus: Aſtronomicæ concertationes à nobiliſſimis adoleſcentibus, & Mathematicarum diſciplinarum amantiſſimis ſuſceptum: Theſes de Philoſophia naturali propoſitæ, aliaque de eodem genere, illuſtria quædam emolumenta brevi hanc Academiam allaturam eſſe Reipub. pollicentur. Atque utinam fieri poſſet, ut dum ſtabit, perpetuò te ſalvo & incolumi frui poſſet. Sanè experiremur verum eſſe, quod ab agricolis dicitur: *Fertiliſſimum in agro eſſe oculum domini.* Nunc, quod proximum eſt, vota aſſiduò faciemus, ut DEUS immortalis maxima, atque uberrima apud cæleſtes tuis beneficiis præmia jam nunc comparet, ſed quò diutius cùm Eccleſiæ, tum huic novellæ Academiæ proſis, ſerò te ad ea fruenda diſcedere patiatur. Apud poſteros verò tuam vicem obibit hæc tua effigies in Gymnaſii atrio poſita, cui aſcribi

Plinius Lib. 18. cap. 6.

» voluiſti: Te affectu, zeloque boni publici quà Religione, quà
» Sapientiâ procurandi, propagandique, Religioni quidem
» Templum, Sapientiæ verò Gymnaſium Academicum, Col-
» legium porrò Patribus Societatis JESU tanquam fidis u-
» triuſque theſauri diſpenſatoribus æternùm conſecraſſe. Ex quo cùm ea quæ nunc in Gymnaſio litteris operatur, tum ea, uti confido, quæ pòſt futura eſt juventus intelliget: ſi hanc Academiam florentem videre, ſi tuæ optimæ voluntati obſequi, ſi beneficiis gratam gratiam referre volet, nunquam ab officiis religionis ac pietatis, nunquam à doctrinarum ſtudiis, nunquam ab obſequio majorum eſſe diſcedendum.

FINIS.

Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo

PRINCIPI,

THEODORO,

Præſuli vigilantiſſimo, Domino clementiſſimo, Vindici fortiſſimo, Inſtauratori munificentiſſimo, Pio, Felici, Pacifico,

PATRI PATRIÆ,

Diœceſis Paderbornenſis per annos triginta & quod excurrit ſapientiſſimè gubernata, boniſque omnibus cumulata

L. B. M. GRATIAS AGIT.

CARE PATER PATRIÆ (ſit enim fas nomine vero
Sive tuum ſtudium ſive vocare meum)
Jam dudum, Oceano meritorum merſa tuorum,
Et tam multimodis facta beata bonis,
Geſtio conceptis teſtari gaudia verbis,
Quæ memori pridem condita mente gero,
Utque pio meritas promam Tibi pectore grates,
Ingenii totos explicuiſſe ſinus:
Poſtera ne ſæclis olim labentibus ætas
Arguat ingrati criminis eſſe ream.
Sed ſimul ac dictura oculos attollere cœpi,
Caſta verecundus purpurat ora rubor,
Mens hebet, ars hæret, refugit vox, ora gelantur,
Vincta repentino frigore lingua ſtupet.

Qualis in anguſtis luctans ſiphonibus humor
Feſtinando ſuum ſæpe moratur iter,
Fervet in obſtructis lymphæ vis incita venis,
Egreſſumque ſibi, dum petit, ipſa negat.
Perque arctas magno nitens molimine fauces,
Unda ſibi ipſa moram, non patiendo, facit.
Sic mihi denſa ſeges, ſic torrens undique laudum
Anguſtum vocis copia claudit iter.
Nam quæ prima ſequar tantarum exordia rerum?
Quod mihi principium, quis mihi finis erit?

Orthodoxa Religio in integrum reſtituta.

Anne quòd errorum ſpiſſis erepta tenebris
RELLIGIO victrix tollit ad aſtra caput?
Relligio liquidis quæ cœli è fontibus hauſta,
Sidera non dubiâ ducit ad alta viâ.
Lingua mihi intonuit MAGNI quam ferrea KARLI,
Dum pia pro CHRISTI numine bella gerit,
Indomitoſque ſacris compellit Saxonas armis
Barbara cœleſti ſubdere colla jugo.
Quam mihi inhumanâ profugus feritate Quiritum
Tertius, ēlingui tradidit ore, LEO.
Hæreſis at dudum Stygiis prorupta cavernis
Impia in adverſum ſumpſerat arma DEUM.

Miſera rerum facies cùm ad gubernacula Princeps vocaretur.

Monſtrum horrendum, informe, cui IGNORANTIA mater,
Et FASTUS Pater eſt, SEDITIOQUE Soror,
LIBERTAS nutrix, RIXÆ comitantur euntem,
JURGIAQUE evulſis ſanguinolenta comis:
Illius armigeri FRAUDES, MENDACIA, TECHNÆ,
Et ſacris inhians fœda RAPINA bonis.
His illa auxiliis, illâ ſuccincta phalange
Auſa erat æterno bella movere DEO.
Hinc fera barbaries, ruptiſque licentia frenis
Fas omne in vita miſcueratque nefas.
Plebs miſeranda ſui Paſtoris prodita fraude,
Errabat ſævis obvia præda lupis.

Nec

Nec ſoliti templis indicebantur honores,
Feſtaque deſierant ritè vetuſta coli.
Calcabat ſanctas victrix audacia leges,
Jura dabat cæcus pro ratione furor.
Verùm ubi Te votis hominum expugnata piorum
Admorunt Sacræ fata benigna Mitræ,
Cana Fides rediit, rediit Pietasque, Pudorque,
Et malè neglectis debita cura ſacris,
Ornatus templis, dignatio reddita Myſtis,
Moribus integritas, Legibus obſequium.
Ad ſua palantes revocatæ ſigna Kalendæ,
Certior ut ſacrum curreret annus iter.
Impia Libertas rigidis compreſſa lupatis,
Præmia fas, dirum eſt pœna ſecuta nefas.
Ferrea inaureſcens ſtudiis melioribus ætas
Falcigeri retulit tempora priſca ſenis.
Atque, ut ubi roſei tenerum jubar exſerit oris,
Et ſola lucifluo terrea fonte rigat,
Humida decedunt venienti nubila Phœbo,
Complicat & furvos nox inamœna ſinus.
Monſtraque per cæcas impune vagata tenebras
Cogit in aſſuetos lux rediviva ſpecus:
Haud aliter ſimulac Tu Relligionis avitæ
Ætheream celſa promis ab arce facem,
Concita diffugiunt bipedum portenta luporum,
Sive tuo gladio territa, ſive pedo.
Hic ſe præcipiti deturbat ab aggere ſaltu,
Et pavidus, nullo terga premente, fugit.
Ille parum pedibus tanto in diſcrimine fidens,
Laſſa per obſtantes brachia jactat aquas.
Theſea magnanimum plenis veneratur acerris
Attica probroſo libera terra jugo,
Qui Labyrinthæos auſus penetrare receſſus
Semivirum forti perculit enſe bovem.

Pravorum dogmatum ſatores juſſi faceſſere.

Aſt

Aſt ego, funeſtis, te Vindice, libera monſtris
  Ægiden veneror Te Theodore meum,
Te primum rabiem caulis arcente lupinam
  Deſiit innocui carnificina gregis.
Tu ſparſos artus laceri conquiris ovilis,
  Tu per teſqua vagas devia cogis oves.
Paſcua Tu monſtras riguis lætiſſima lymphis
  Hic ubi perpetuo gramine vernat humus.
Tu rapidos æſtus viridi defendis in umbra
  Torrida ſiderei dum furit ira canis.
Tu mala Pœoniis cohibes contagia ſuccis,
  Saucia Tu medicâ corpora mergis aquâ.
Nec pudor eſt ægram manibus tractaſſe bidentem,
  Nec collum feſſæ ſuppoſuiſſe pudor.
Nempe ille ante oculos Paſtor Tibi ſemper oberrat,
  Qui propriâ caras carne ſaginat oves.
Illa Tibi vacuam crebro vox perſonat aurem
  Et nunquam oblito labitur ex animo:
Si quis amor noſtri memori tibi pectore flagrat,
  Hunc paſcendo meos exere Petre greges.
Ergo dum ſtabili fundata Eccleſia rupe
  Ridebit Stygias non labefacta minas,
Dum Christi aſſertus Numen venerabitur Orbis,
  Dum quis erit veræ relligionis honos,
Hæreſeon hoſtem, Fidei Theodore Patronum
  Te canet æternâ poſthuma fama tubâ.
Hæc tua inocciduâ florebit gloria laude
  Clara futura ſolo, clara futura polo.
Pax & publica tranquillitas omni ope conſervata.
Longævamne canam per terna decennia Pacem,
  Copia quam cornu divite larga beat?
Haud procul hinc ferro Mavors bacchatur & igni:
  Nulla mihi ſomnos claſſica pulſa fugant.
Squalent finitimi fœdis populatibus agri:
  Me tamen in dulci Pax fovet alma ſinu.

Flava

Flava Ceres fortes cogens ad ſigna colonos
  Militiâ ferrum diſtinet omne ſuâ.
Denſa per incanas cædes graſſatur ariſtas,
  Prataque gramineâ florida ſtrage natant.
Caſſide in emerita molitur aranea caſſes,
  Frugiferam placidus vulnerat enſis humum.
Splendent attriti glebâ ſtridente ligones,
  Martiaque in tenebris exedit arma ſitus.
Neve quies ullo violetur publica motu,
  JUSTITIA exerto pervigil enſe cavet.
Latrones procul hinc, procul hinc vos tollite fures,
  Et quiſquis rapto vivere dulce putat.
Nil vobis, moneo, THEODORO Principe, tuti eſt:
  In vos manſuetas non habet ille manus.
Ille mei ad clypeum qui Principis excubat enſis,
  Sontibus exitio eſt, præſidioque probis.
Nec vos vel precibus, pretio vel fidite, culpam
  Strenua non tardo mox pede pœna premet.
Hoc vetera, hoc vobis monumenta recentia narrant,
  Quæ paſſim medio plurima rure patent,
Pendula ab arboribus radiiſque implexa rotarum,
  Debita carnivoris corpora vulturibus.
At ſi quis tardas monitis adverterit aures,
  Sentiet illa ſuo vera fuiſſe malo.
Teſtis BECA NOVA eſt, tuus eſt BENHUSIA teſtis,
  Nunc quoque prædonum ſanguine pinguis ager.
Cùm graſſatorum florentes ære catervas
  Lux improviſæ dedidit una neci.
Ipſe adeò è cœlo ſumptis Vincentius armis,
  Tam pia præſenti prælia juvit ope.
Ille & limphatos egit terroribus hoſtes,
  Et rexit noſtrâ ſpicula miſſa manu.
Mutant fata vices, & amico Numine, præda,
  Qui prædaturus venerat, ipſe fuit.

Juſtitia pacis publicæ inexorabilis Vindex.

Pœna de turbatoribus publicæ tranquillitatis ſumptæ.

Anno 1601. *ipſo S. Vincentii Prædonum copia cæſa ad vicum* Beuhuſen.

r Plu-

Plurima victrici ſternuntur corpora ferro,
  Plurima Juſtitiæ victima cæſa litat.
Impia pullati duxerunt funera corvi,
  Et ſaturi leſſum concinuere canes.
Nunc quoque tranſverſim cerealibus obvia ſulcis
  Sæpius agricolas oſſa morantur equos.
Inde tibi, PRINCEPS, plaudunt Urbeſque Viæque
  Ruraque, quòd ſævo cuncta timore vacent.
TE canit intrepidâ nocturnus voce Viator,
  Obſcurum tuto cùm pede carpit iter.
TE recinens patula paſtor reſupinus in umbra
  Securas longo carmine mulcet oves;
Te canit in molli projectus gramine meſſor
  Ad vitreas Paderæ lenefluentis aquas.

Bonarum artium ſtudia excitata.

Ergo iterum pacis PAX aurea ſuſcitat artes,
  Et redit ad ſolitos muſica turba choros.
Ergo iterum, Phœbo reſtim ducente, Camœnæ
  Ad numerum ſaliunt, ad numerumque canunt.
Weſtphala Pierias pubes operatur ad aras,
  Et litat, Aonio vota probante DEO.
Quæ modò ſingultim parco lacrymaverat imbri,
  Nunc fremit immenſo Caſtalis unda lacu.
Tu, PRINCEPS, Cyrrhæ longæva ſilentia rumpis,
  Ne ſeneant tacito ſqualida plectra ſitu.
Invia Tu nobis Heliconis teſqua recludis,
  Culmina tu facilem ſternis ad alta gradum.

Gymnaſium exædificatum.

Tu pridem exulibus, Mecœnas optime, Muſis
  Principe magnificam condis in urbe domum.
Tu primùm SOPHICO palmam proponis AGONE
  Cingat ut emeritum laurea ſerta caput.

Gradus & honores Academici.

Per te, quo ſtimulet Virtutis amantia corda,
  Nobilis ingenuum gloria calcar habet.
Tu vaſtum ingeniis aperis felicibus æquor,
  Tota ubi dent placidis vela ferenda Notis.

Per Te Naturæ cæcos tentare receſſus,
Et licet ignaras lucis inire vias.
Quænam cœleſtes æternet regula curſus,
An ſupera aſſiduo templa canore ſonent.
An vaga nocturnis diſcurrant aſtra choreis,
An ſiſtant moto ſidera fixa polo,
Quam variæ cæli cingant præcordia zonæ,
Et ſua quo ventos ubere mater alat.
Anne Cyteinis pudefiat Cynthia rhombis,
Queiſve ſui maculis inquinet oris ebur.
Cur ſalſos pelagus fluctus, cur flumina dulces,
Perpetuas fontes ejaculentur aquas.
Aut quis, ne infeſtis terras ſuperobruat undis,
Temperet undoſi cærula fræna maris.
Cur gravis excuſſis immugiat ignibus æther,
Miſtave cum liquido ſanguine ſaxa pluat.
Aut quæ perpetuent Ætnæas pabula flammas,
Quidve flagrans rutilo crine cometa vehat.

Philoſophicæ Mathematicæque diſciplinæ, ad humaniores artes adjunctæ.

Quid quòd & arcanæ penetralia Theologiæ
Auſpiciis, Princeps, ſunt reſerata tuis?
Quid quòd Weſtphalicas duce Te remeavit in oras
Sancta Palæſtino cognita lingua Syro?
Et ſacra divinis intexta oracula libris
Dulcius ex ipſo promere fonte licet?

Theologia, & Lingua Hebræa.

Quid memorem celſis ſpectandas turribus ARCES,
Et tantùm Domino tecta minora ſuo?
Ornamenta olim pacis, munimina belli,
Sumptibus ad cælum ſurgere juſſa tuis?
Hinc NOVA deterſo veteris ſqualore ſenectæ
Jamque ſuo demum nomine digna DOMUS,
Regalem tectis immanibus explicat aulam
Laxaque formoſis atria porticibus.
Quas circùm, virides ventis criſpantibus undas
Plaudit laſcivis ſquamea turba choris.

Diœceſis ſumptuoſis ædificiis & operibus communita & ornata. Newhauß Arx ædificata, horti non amœni minùs quam frugiferi concinnati.

Flora favet, favet attiguis Pomona viretis,
   Certatimque ſuas utraque promit opes.
Utraque certatim vernantes divitat hortos,
   Floribus illa ſuis, fructibus iſta ſuis.
Inde WEVELSBURGI ſolido domus ardua ſaxo
   Nubila ſublimi culmine celſa ferit.
Hæc olim à priſcis (famæ ſi credimus) Hunnis
   Poſt varios Dominum TE ſibi legit heros.

Wevelsburg Arx magnificè conſtructa.

Nunc te digna domus, ſed erant magalia nuper
   Penè ruinoſo ſemiſepulta ſitu.
Circum Chaoniæ texunt umbracula quercus,
   Sylvaque vicinas occulit alta feras.
Quaſque ſub hoſpitiis celat frondentibus arbos,
   Plurima laſcivo gutture vernat avis.
Nam quid CollegI ſacras venerabilis ædes *
   Templaque ſublimi conſpicienda tholo?
Quæque ſtatas numeris edis vocalibus horas
   Niliacas TURRIS vincere digna Pharos?
Tecta quid auguſti memorem viſenda Lycæi, †
   Et PATRIÆ, & vero tecta dicata DEO?
Hanc divina ſibi legit Sapientia ſedem,
   Incolit hos virtus Relligioque lares;
Hìc Sophici crebrà celebrantur gymnade ludi,
   Doctaque quæ nullo bella cruore madent.
Hìc agiles poliunt ad bella forenſia linguas,
   Hìc ſalit à volucris fons pede factus equi.
Illic facùndi ſplendent Demoſthenis arma,
   Suadaque germano Cecropis ore ſonat.

** Collegium Societatis* JESU *à fundamentis excitatum, Templum inſtauratum, & viſendis operibus ornatum.*

† Ædificium Academicum in ſuas exedras aptè deſcriptum.

Hìc Juvenum ingenuas animi formantur ad artes,
   Hìc facilis diſcit prima elementa puer:
Quamque olim Patriæ præſtantibus approbet actis,
   Virtutem à teneris combibit unguiculis.
Hìc TUA Palladii ſuperaſtans limina Templi
   A Polycletæa ſpirat imago manu.

Statua Principis in Scholarum veſtibulo ejus in bonas litteras voluntatis monumentum.

Prin-

Principe digna ſacri majeſtas eminet oris,
Ambit honoratas aurea mitra comas,
Flexile Sarranum marmor rugatur in oſtrum;
Et trabea ex humero pendula utroque fluit.
Quæque tibi vivo eſt, eadem quoque marmore ſculptum
Paſcendi ſequitur ſedula cura gregis.
Nam manus una pedum præfert, manus altera librum,
Ut regat illa pedo, quos docet iſta libro.
Illam poſt multos aliquis venerabitur annos,
Verbaque non ſiccis proferet iſta genis:
Furſtenbergiacâ, THEODORUS origine, Princeps,
(Namque illum memini cernere) talis erat,
Talis erat, neque multum à vivo abludit imago,
Eheu quod fas ſit dicere, talis erat!
Mente ſagax, vultu facilis, cultuque modeſtus, *Ingenium & mores Principis.*
Manabat comi multus ab ore lepos.
Tum quoque, cùm ſeris natura fatiſceret annis,
Temporis antiqui geſta referre memor.
Pacis amans, rectique tenax, nec prodigus æris,
Et tamen in Patriæ commoda largus erat.
Oderat immodicos faſtus, ſed & oderat aſtus,
Non affectatæ ſimplicitatis amans.
Moribus antiquis, cultor Pietatis avitæ,
Certus in antiqua Relligione mori.
Non fuit impoſitis populo gravis ille tributis,
Aula ſed infletas ſobria parſit opes.
Non ſibi ſed Patriæ genitum ſe credidit eſſe,
Communemque ſuis civibus eſſe Patrem.
Nunc cœlum colis, ô cœlo digniſſime Princeps,
Aſpectu frueris nunc propiore DEI.
Cunctaque Lunaï varium ſubjecta ſub axem,
Deſpectas oculis inferiora tuis.
Virtuti imperium ſi par tibi fata dediſſent,
Tot meritis Orbis vix ſatis unus erat.

Virtuti ſi par ævum tibi fata dediſſent,
  Sæcula tot meritis vix ſatis ulla forent,
Sed nos indigni qui te frueremur eramus,
  O ſemper magnis Livor inique viris!
Sic, niſi quæ ſerò nobis erepta dolemus
  Nos bona, fatali noſtra ſtupore latent.
At tua nunc pennis peragrat victricibus orbem
  Gloria non ullo præmoritura die.
Et ſi quem vivo Livor ſubtraxit iniquus
  Poſt obitum duplici fœnore creſcit honos.
Donec ſidereis gemmaſcet floribus æther
  Et peragent ſolitas noxque dieſque vices,
Dum mare conſuetis repetent anfractibus amnes
  Et dubio venti prælia marte gerent.
PASTORIS THEODORE BONI, PATRIÆQUE PARENTIS,
  A grata titulum poſteritate feres.
Hæc & plura tuæ ſpectator imaginis olim
  Non tacito, Princeps, verba dolore dabit.
Quo feror? unde abii? quæ me via? quove reducet?
  Quo ruis in vaſto cymba minuta ſalo?
Ante pererrato lucis pater aureus orbe
  Frena fatigatis ignea demet equis,
Singula quàm memori liceat deſtringere verſu
  Condita vel ſumptu, vel reparata tuo.
Tu me marmoream quondam THEODORE relinques,
  Teſtea quæ mihi cum præficereris eram.
Aurea Tu magni revehis mihi tempora * Karli,
  Cæſaris Henrici tu benefacta refers.
In te Meinwerci pietas operoſa revixit,
  Tu verum Imadi præſulis inſtar habes.
Ergo quod Henrico Meinwerco, Karolo, Imado,
  Debeo promeritis hoc THEODORE tuis.

** Karol. Mag. fund. S. Henricus benef. primarius, Meinwercus & Imadus laudatiſſimi præſules Eccleſiæ Paderb.*

INDEX IN PANEGYRICUM.

A.

Academiæ Paderbornenſis fundator Theodorus Epiſcopus & Princeps Paderbornenſis. pag. 1, 2, 85
Academia Paderbornenſis auctoritate Pontificiâ & Cæſareâ erecta. 2
Academias non licet abſque ſummi Pontif. & Imperat. Romani auctoritate condere: quo conſilio id conſtitutum. 23
Academia Paderbornenſis lumen menſque Weſtphaliæ. 83
Academiæ complures directioni PP. Soc. Jesu commiſſæ. 117. 118
Academiæ fundationem Epiſcopum maximè decere. 36
Academiæ Germaniæ recenſitæ. 29
Academiam propriè dictam ſine juriſprudentia eſſe poſſe oſtenſum. 115. 116
Academia non magis ſine veritate, quàm mundus ſine ſole conſtare poteſt. 26
Adolphus Comes Schaumburgius Archiepiſc. Colonienſis diſcipulus Goclenii. 9
Agger ab Aliſone uſque ad Rhenum ductus, à Domitio Ahenobarbo ſtructus. 62
Agrigentini juvenes vino ebrii, tabernam putant in triremim verſam. 19.
Aliſonis antiqui Romanorum Caſtelli ſitus & deſcriptio. 60
Aliſo caſtellum à Romanis contra Tencteros, Uſipetas, Bructeros, Marſos, Tubantes, Chattos, &c. conſtructus. 62
Aliſo primùm in poteſtate fuit Romanorum, deinde Sicambrorum, tum Saxonum, ac denique Francorum. 79. 80
Aliſo à Romanis deſertus in Germanorum rurſus poteſtatem venit. 69
Aliſo vigeſimo poſt Varianam cladem anno in poteſtatem Germanorum venit. 66
Aliſone olim hiberna Romanorum. 60. 61
Aliſonis Romanorum caſtelli amplitudo. 61
Aliſo inſtauratus à Carolo M. 77. 78
Aliſo caſtellum & civitas olim, ubi nunc Arx Neuhuſium ſedes Epiſcopalis. 61
S. Altmannus primùm Scholaſticus Paderbornenſis, deinde Præpoſitus Aquisgranenſis, poſtremò Epiſcopus Patavienſis. 45
S. Altmannus Epiſcopus Patavienſis unà cum Sigehardo Patriarcha Aquileienſi vice Gregorii VII. Pont. Max. præſidet Concilio Triburienſi. ibid.
Andreas Carolſtadius & Philippus Melanchthon ſuadent juventuti ſtudioſæ, ut combuſtis libris, ſpretoque gymnaſio in opificum diſciplinam ſe dedant. ipſi exemplo præeunt. 18
Angrivarii. 74
Anſgarius, Rembertus, Adalgarius, Unno, Sigebertus aliique Corbeienſes monachi Apoſtoli Borealium nationum. 5
Anna Weſtphael mater Theodori Epiſcopi & Princip. Paderbornenſis. 89
S. Anno Archiepiſcopus Colonienſis cum Imado Epiſcopo Paderbornæ educatus. 44
S. Annonis eloquentia in permovendis ad pietatem animis. ibid.
Aribo Archiepiſcop. Moguntinus Paderbornæ concionatur. 51
Arminius & Segimerus inſidias Varo ſtruunt, Legiones cadunt. 66
Arnoldus Burenius Novator, quænam dogmata Apoſtolicæ fidei per ſummam injuriam ſomnia appellet. 16
Arnoldus ab Horſt Decanus Paderbornenſis. 119
Antonius Liber Suſatenſis primus literas in Bataviam invexit. ejus diſcipulus Alardus Amſterodamus Theol. Lovan. 10
L. Aſprenas legatus Vari Aliſoni præpoſitus. 66

B.

S. Bardo Archiepiſcopus Moguntinus, Paderbornæ in feſto Pentecoſtes ſermo-

nem

nem ad populum faciens, mortem ſuam prædicit. 51
Bellum inter Cheruſcos & Maroboduum. 68
Bonifacius, Suibertus, Ewaldi, aliique diſcipuli Theodori Archiepiſcopi Dorovernenſis. 40

C.

Capituli Cathedralis Eccleſiæ Paderbornenſis in juvandis Soc. JESU *Patribus ſtudium.* 118
Carolus M. partem devictæ Saxoniæ offert Deo inſtinctu Adriani Papæ. 81
Caroli M. caſtra propè Luppiæ fontes. 79
Carolus M. reſtaurat Eresburg. 77
Carolus inſtituit Oſnabrugi Gymnaſium, in quo Latinæ Græcæque literæ continuò docerentur. 4. 5
Carolus concilium Paderbornæ celebravit, Leonem III. PP. ibidem excepit. 49
Carolus IV. Imp. hoſpitio exceptus ab Henrico Spiegelio Epiſc. Paderborn. in arce Neuhuſana anno 1375. 81
Caſpar Furſtenbergius duorum Electorum Moguntinorum, & Colonienſis conſiliarius. 92
Conradus Epiſcopus Monaſterienſis, ex familia Ritbergicorum Comitum. 8
Conradus Goclenius Paderbornenſis, Profeſſor Lovanii in collegio trilingui. 9
Concordia Academiarum à novatoribus turbata, quarum antea erat mirificus conſenſus. 22. 23
Conſtantienſi Concilio interfuere è Colonienſi Academia Theodoricus de Monaſterio Theologiæ Doctor; ex Heidelbergenſi Gymnaſio Conradus de Suſato, Weſtphali. 7
Corbeiæ olim Gymnaſium fuit eorum, qui ulteriorem Saxoniam, Vandaliam, Daniam Chriſtianæ fidei præceptis imbuerunt. 5
Cordula à Galen, conjux Wenemari Furſtenbergii, Matrona miræ pietatis. 88. *ejuſdem devotio erga Chriſtum patientem.* 89
Cauſæ ob quas expediat plures in orbe inſtitui Academias. 29

D.

Delbrugia Bructerorum ultima ſedes. 67
Diſcordia gravis ſenatum inter ac cives nonnullos Paderbornenſes. 99
Dogmata quædam fidei ac Theologica ſine adminiculo Philoſophiæ bene explicari & contra hoſtes Chriſtiani nominis commodè defendi nequeunt. exploſi qui id negant. 21
Druſus Aliſonis conditor ad Albim fluvium nomen Romanum protulit. 62
Druſo ara in vicinia Neuhuſii à Romanis erecta, poſtmodum à Germano milite disjecta. ibid.

E.

Eccleſiam unam duntaxat, Academias plures eſſe poſſe ac debere. 28
In vera Eccleſia ſolùm ſtabilis veritas, extra eam falſitas. 23
Eccleſiaſtici ordinis dignitas. 110. 111
Elſen vicus non procul Neuhuſio, veteris Aliſonis nomen hodieque retinet. 60
Epiſcoporum Paderbornenſium domicilium primùm fuit in Urbe Paderborna, poſtmodum ob diſcordias cum civibus Neuhuſium translatum ab Epiſc. ſecuritatis causâ. 80
Equeſter Ordo Teutonicus armis Livoniam Chriſto ſubdidit. 6

F.

Fontium miracula prope Novam Becam, Liechtenawum, Veterem Becam &c. in Diœceſi Paderbornenſi. 55
Formatæ literæ. earum uſus & antiquitas. unde iis auctoritas aſciſci debeat. 25
Franciſcus Epiſcopus Monaſterienſis novatoribus favens interceſſione Collegii Cathedralis in Epiſcopatu toleratur à ſummo Pontifice. 16
Francorum gens unde originem nomenque traxerit. 72. 73
Franci circa Gallieni tempora primùm innotuerunt. 73
Franci quas terras occupaverint. ibid.
Franci & Saxones junctis viribus epibuſque piraticam exercuerunt. ibid.
Fridericus Monaſterienſis Epiſcopus Paderbornenſi in gymnaſio condiſcipulus S. Annonis & Imads. 45
Fridericus Epiſcopus Monaſterienſis fundator Collegiatæ Eccleſiæ S. Mauritii in ſuburbio urbis Monaſterienſis. ibid.
Fridericus Furſtenbergius Canonicus Moguntinus.

tinus. 92

Fridericus Furſtenbergius Satrapa Werlenſis. 89

Fridericus Furſtenbergius Satrapa Bilſteinienſis. ibid.

Furſtenbergica familia origines ſuas ad Comites Oldenburgicos refert. 91

Furſtenbergicæ familiæ virtutes, & avita decora. 88

G.

Gebhardus Truchſeſius Archiepiſcopus Colonienſis à fide catholica deſciſcit. 93

Germanicus Druſi filius Aliſonem reſtaurat. 67

Germanicus victoriam reportat de Arminio, non longè à Minda. 68

Godeſchalcus Greſemundus Meſchedenſis Theologus, ejuſque frater Theodoricus Medicus Clariſſimus, Weſtphali. 7

Gratiæ actæ Theodoro Epiſcopo & Principi Paderbornenſi fundatori Academiæ Paderanæ, nomine juventutis Academicæ. 121. 122

Guilielmus Furſtenbergius Ordinis Equitum Teutonicorum S. Mariæ in Livonia magnus Magiſter. 90. *ejuſdem Principis adverſa fortuna, captivitas, conſtantia, pietas.* 90. 91

Guilielmus Schilder Scholaſticus Paderbornenſis. 119

Gymnaſium Paderbornenſe Soc. JESU *Patribus committitur.* 96

H.

Hatumarus & Baduradus Epiſcopi Paderbornenſes ex illis obſidibus fuere, quos à Saxonibus Carolus M. accepit. 5

Hermannus in campo. 7

Hermannus de Soldis Oſnabrugenſis. ibid.

S. Henricus & Conradus Impp. Paderbornæ frequenter ac libenter commorati ſunt. 50

S. Henrici Imp. ætate magna fuit inter Eccleſias Paderbornenſem & Bambergenſem amicitia & conjunctio. 44

Henricus de Coeſveldia. 7

Henricus de Hervordia. ibid.

Henricus Meſchede Decanus Paderbornenſis. 119

Henricus de Werlis. 7

Hujus ævi ſectarii (præter Anabaptiſtas) abjecerunt Lutheri Academiis maledicentis inſaniam. 33

I.

Ignorantia plurimorum malorum cauſa. 57

Ignorantiæ ſatellites rebellio, temeritas, furor. 83

Imadus Epiſcopus Paderbornenſis B. Meinwerci è ſorore nepos liberales artes Paderbornæ fovit promovitque. 42

Imperatorum Principumque domicilia eadem quoque Muſarum dignæ ſedes. 48

Joannis Comitis Ritbergenſis zelus fidei, & virtus militaris. 104

Joannes Furſtenbergius Abbas Sibergenſis Ordinis S. Benedicti, ſui monaſterii inſtaurator. 89

Joan. Nigrini Prædicantis Soſatienſis de ſupplicio exituque Liborii mendacia. 105

Jordanes Canonicus Oſnabrugenſis unam in orbe terrarum Pariſienſem Academiam eſſe volebat, ſicut unam Eccleſiam Romanam. 27

Julianus Imp. vetat Chriſtianorum liberos in Scholis publicis admitti. 25

Juventutis recta inſtitutio unicum remedium ſedandi exortas de religione lites. 113. 114

K.

S. Kunigunda Virgo S. Henrici Imperatoris conjux à Willigiſo coronatur Paderbornæ. 50

L.

Liborius Wichardus homo turbulentus & verſutus factionis Liborianæ caput. 99. *Cum factioſis ſuis curiam armatus irrumpit.* 99. 102. *è perditorum hominum colluvie* XXV. *virûm conſilium legit.* 100

Liborii popularis facundia & verſutum ingenium. 107

Liborius contemnit mandata ſenatus. 101. *Contra apparitores ſenatus vim parat. domum ſuam armatis hominibus, & machinis curulibus inſtruit.* ibid. *extorquet decretum à ſenatu.* 102. *Conſul creatur. querelæ ejus contra Principem. quem & cupit amotum.* ibid. *Principum aliorum protectionem reſpectat. ejus tyrannis.* 103

Liborius vetat frequentari Gymnaſium PP.

Soc. JESU. 108
Liborii ſcelera. 109
Liborius demtâ Paderbornâ, à Civibus traditur Principi. 104. *Civem innocentem ſuſpendio necat.* 109
Liborius moritur Catholicus. 106
Lovanienſium aſperiora olim ingenia à Joanne Brabantiæ Duce qua ratione mitiora reddita. 57
Ludovicus Pius Cæſar Haroldum Danorum Regem à ſuis æmulis regno pulſum Paderbornæ excipit, ibidem generalem conventum inſtituit. 50
Ludovicus Dringebergius è Paderbornenſi Diœceſi Seleſtadii in Alſatia Joannis Reuchlini, Beati Rhenani, Jacobi Wimphelengii &c. Profeſſor. 10
S. Ludgerus Proto-epiſcopus Monaſterienſis diſcipulus S. Gregorii Trajectenſis. 40
S. Ludgeri epiſtola de S. Suiberto. 74
Luppeſpringa oppidum Luppiæ ortu celebre. 55
Luppia & Padera unus idemque fluvius. 77
Lutherus Academiarum hoſtis, illas Antichriſti lupanaria, diaboli tabernas, &c. vocat. 17
Sub initia naſcentis Lutheraniſmi gymnaſia nonnullis locis clauſa ſunt, ac juſtitium literis indictum. 18
Ubi regnat Lutheraniſmus, ibi literarum eſt interitus. 19

M.

Melchior à Plettenberg Camerarius Paderbornenſis. 119
Monaſterium urbs Weſtphaliæ ab Anabaptiſtarum deliramentis repurgata. 15
Monumentum Druſi Moguntiæ, Druſenloch appellatum. 63

N.

Neuhuſium, Paderbornæ vicinum, domicilium Epiſcoporum & Principum Paderbornenſium. 58
Neuhuſium eo loco ſitum, ubi olim Nero Claudius Druſus Auguſti Privignus caſtellum Aliſonem contra Sicambros condidit. 59. 60
Neuhuſanæ arcis comparatio cum veteri caſtello Aliſonis. 81
Neuhuſium à Paderbornenſibus civibus incenſum reſtituit Henricus Spiegelius Epiſc: & Princeps Paderborn. 80
Novatores cum ebrioſis Agrigentinis juvenibus comparati. 20
Novatores Franciſco Epiſcopo Monaſterienſi perſuadere conantur, ut Scholas aperiat Lutheranis. 15
Novum evangelium cum ſummo Academiarum odio natum. 16

O.

Otho Truchſes Cardinalis Auguſtanus. 117
Otto Ritbergenſis Epiſcopus Neuhuſium jam tum anno MCCLXXVII. *incoluit.* 80

P.

Paderanum à Pado dicta. 75
Paderæ in urbe Paderbornenſi diverſis fontibus ſcaturientis deſcriptio. 54
Paderbornæ ſitus & amœnitas. 53. 54
Paderborna an vetus Teuderium. 74
Paderbornæ vera origo. 75
Paderborna à Saxonibus condita. ibid.
Padorbornæ nomen antiquius Carolo M. 74
Paderborna in vita S. Heimeradi appellatur Sedes Regalis. 51
Paderborna aëris ſalubritate à lue peſtifera immunis. 56
Paderbornenſis agri fertilitas. 53
Paderbornæ olim ætate B. Meinwerci omnes humaniores literæ floruerunt. 42
Paderbonæ hodieque monſtrantur ædes, in quibus fama eſt Leonem PP. à Carolo M. exceptum. 51
Paderbornenſi in Synodo totius Weſtphaliæ conſenſu Chriſti fides ſuſcepta eſt. 41
Paderborna grata Caroli M. ſtatio. 48
Paderborna Imperatorum in Weſtphalia domicilium & grata ſedes. 47. 48
Paderborna commoda Academiæ ſedes. 36
Paderborna omnibus illis commoditatibus abundat, quæ ad Academiæ ſplendorem requiruntur. 53
Paderbornenſis Eccleſia inter Weſtphalicas Cathedrales facilè princeps. 37. 38
Paderbornenſi Eccleſiæ idcirco rubra crux pro inſigni relicta, quod in ea primùm Saxones & Weſtphali cruentis Caroli præliis compulſi,

pulſi, ſub hoc Chriſti ſigno militare cœperint. 38
Paderbornenſis Eccleſia cæteris Weſtphaliæ cathedris antiquitate, opibus & provinciarum amplitudine, clienteliſque minimè concedit. 38
Paderbornenſis Eccleſiæ Clerici qua vivendi olim norma uſi. 112. Multi viri doctrinâ & ſanctitate celebres è gymnaſio Paderbornenſi prodière. 43
Paderbornenſium civium in Principem ſuum inurbanitas excuſata. 56
Paderbornenſis diœceſis rebus iis omnibus abundat, quæ ad humanæ vitæ neceſſitatem deſiderantur. 53
Paderbornenſes poſt fundationem Academiæ erga Principem ſuum reverentiores. 57
Paderbornenſium indoles laudata. 57. 58
Paderbornenſis cereviſiæ præſtantia. 53
Paderborna obſidione cingitur à Comite Ritbergico. poſt triduum deditur. 104
Pariſienſis Academiæ fundatores è Britannia in Galliam à Carolo M. evocati, quid requiſierint ad locum condendæ Academiæ opportunum. 52
Parochorum ignorantia hæreticorum inſidiis patet. 96
Petrus Werthemius ad res novas moliendas primus Marpurgo Monaſterium miſſus. 16
Philippus Melanchthon contendit honores Academicos iis in gymnaſiis tribui poſſe ſtudioſis, quæ auctoritate Summi Pontif. confirmata non fuerint. 24
Philippus Melanchthon oſor Gymnaſiorum & Academiarum. 16. 17
Philonis dictum de Athenis. 83
Poppo Paderbornenſis Epiſcopus ex Præpoſito Bambergenſi. 44
Primi decem Patres Soc. JESU in univerſitate Pariſienſi graduati fuerunt. 27

R.

Religio Chriſtiana Paderbornâ manavit in univerſam Weſtphaliam. 38
Romanorum res ad Aliſonem geſtæ. 64. 65
Romanum Imperium à Pont. Maximo ad Francos eſt tranſlatum. 80
Romæ Schola Saxonum inſtituta prope ædem S. Petri principem. 41
Romanæ fidei deſertores, ab uno errore ſectâque in alias atque alias ſubinde partes opinionum diverſitate rapiuntur. 23
Rodolphus à Langen Eques Weſtphalus Canonicus Monaſterienſis cum Mauritio comite Spiegelbergio Canon. Colonienſi, & Rodolpho Agricola literis liberalibus operam dant in Italia ſub Franciſco Philelpho & Theodoro Gaza viris clariſſ. 8
Rodolphus Langius Canonicus Monaſterienſis promotor bonarum literarum. 9

S.

Salentinus Elector Colonienſis ſtudia literarum Paderbornæ nonnihil erigit. 95
Saltcotena oppidum, aquâ, unde Sal coquitur, nobilis. 55
Saxones Paderbornæ ſacra Chriſtiana amplexati ſunt. 49
Saxones baptizati ad Luppiæ caput. 77
Sicambrorum olim ſedes in Diœceſi Paderbornenſi. 60
Sicambri Rhenum tranſgreſſi & ad Vahalim & Moſam latè dominati, tandem ſubjugatâ Galliâ Francorum regnum condiderunt. 71
Sicambri pluribus gentibus ex Aliſone dominati. 72. 73
Sicambri ſub Francis illuſtres. 71
Sicambri num ſtirpitus exciſi ſint qui in Diœceſi Paderbornenſi ſedes habuerunt. 70
Staniſlaus Hoſius Cardinalis. 91
S. Suibertus Boructuariis fidem Chriſti prædicat. 74

T.

Theodorus Furſtenbergius è Præpoſito Paderbornenſis Eccleſiæ, ejuſdem Epiſcopus eligitur. 94. Eccleſiam Paderbornenſem ære alieno gravatam liberat. ibid.
Theodorus Furſtenbergius Epiſc. & Princeps Paderbornenſis Calendarium Gregorianum in ſua Diœceſi primus promulgat. 95
Theodorus Epiſcopus ac Princeps Paderbornenſis coloniæ literis operam dedit. 91
Theodorus Princeps conſtruit fundatque Collegium Societ. JESU Paderbornæ & inſigni bibliothecâ adornat. 120
Theodorus Princeps conſtruit ſuis impenſis Academiam Paderbornenſem, eamque fundat.

dat. 120

Theodorus Epiſcopus Vectigalia cenſuſque perpetuos alendis ſublimiorum doctrinarum Profeſſoribus è Soc. JESU *conſtituit.* 121

Theodorus Epiſcopus inſtituit Paderbornæ domum Probationis pro PP. Soc. JESU *illud que ſuâ liberalitate fundat.* 121

Theodorus Furſtenbergius malè afflictam, & hæreſi inquinatam Diœceſim Paderbornenſem nactus, ab erroribus repurgavit. 93

Theodorus Princeps templum S. Joannis Apoſtoli profanatum, ære ſuo redimit & PP. Soc. JESU *attribuit.* 120

Theodorus Epiſcopus & Princeps Paderbornenſis civiles motus auctore Liborio Wichardo Paderbornæ excitatos componit. 99

Theodori Principis prudens in diſſipanda factione Liboriana conſilium. 101

Theodorus Epiſcopus Paderbornenſis quàm pacis ſtudioſus, tam in prædones acer, & in defenſionem ſuorum vigilans. 98

Theodorus Princeps prædones Diœceſin ſuam incurſantes profligat cæditque. 98

Theodorus Furſtenbergius Epiſcopus & Princeps Paderbornenſis conſtructor arcis Neuhuſanæ. 81

Theodori Epiſcopi ac Principis Paderborn. Fundatoris Academiæ, modeſtia commendata. 8

Theodori Furſtenbergii Epiſcopi & Principis Paderbornenſis laudes. 92

Theodorus Archiepiſcopus Dorovernenſis Chriſti fidem propagat. 39

Theodorus Archiepiſcopus omnium ſcientiarum promus condus. ibid.

Tiberius Druſi frater Sicambros in deditionem accipit. 63

Tumultuarii fontis deſcriptio. 55

V.

S. Vicelinus Epiſcopus Aldenburgenſis, Paderbornæ literis operam navat. ejus Sancti vitæ ſynopſis, & res præclare geſta. 46

S. Vicelinus Apoſtolus Holſatiorum. 45

Unwanus Archiepiſcopus Bremenſis è collegio cathedrali Paderbornenſi aſſumptus. 43

M. Vinucius Legatus Tiberii. 63

W.

Walterus Brabeck Præpoſitus Paderbornenſis. 119

Wenemarus Furſtenbergius. 88

Wenemarus Horſtius Nob. Weſtph. 9

Wernerus Rollevincius. 7

Weſtphalorum indoles docilitaſque laudata. 13

Weſtphalorum ingeniis adjuncta modeſtia ac moderatio. 12

Weſtphali aliarum nationum vitiis non corrumpuntur, etſi diutius inter illas verſentur. 13

Weſtphali naturâ propenſi ad literarum ſtudia, & horum amore longinqua loca adeunt. 10

Weſtphali extra patriam muneribus publicis, conſiliis Principum, &c. admoventur frequenter. 13

Weſtphalica ingenia in celebrioribus orbis Academiis floruerunt. 6

Weſtphalorum integritas. 12. *Eraſmi Roterod. de Weſtphalorum ingeniis judicium.* ib.

Weſtphalia tota merito obſtricta Theodoro Principi ob fundatam Paderbornæ Academiam. 32

Wevelsburgum arx ab Hunnis, vel contra illos conſtructa. 94. *à Friderico Comite Arensbergenſi reſtauratur.* ibid. *In ditionem dynaſtarum de Beuren venit.* ibid. *Exſtruitur à Principe Theodoro Furſtenbergio formâ triangulari.* ibid.

Wicleph depravator Academiæ Pragenſis. 30

Wiclephi fœdum errorem à Concilio Conſtantienſi damnatum, approbat & reſuſcitare conatur Ph. Melancthon. 17

Wintfeldt campus non longe ab Horna oppido. 67

Wirceburgi XII. obſides Saxonum Chriſtianæ fidei dogmatibus imbuti. 40

Wezilo Germanus S. Annonis, Archiepiſcopus Magdeburgenſis. 45

Erratum.

Pag. 8. lin. 16. *pro* Spilenbergio. *leg.* Spiegelbergio.

Timothy Trace.

·1·9·7·